INDEX COPIOSIOR AD VITAM AETERNAM QUAM ALIÀS ARBOR SCIENTIAE BONI, ET MALI SEU...

Giacinto Parpera, Domenico Baldasserini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
43 C
19

Digitized by Google

8.43.C.19

INDEX COPIOSIOR

AD

VITAM ÆTERNAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

8.43.C.19

INDEX COPIOSIOR AD VITAM ÆTERNAM

Quam aliàs

ARBOR SCIENTIÆ BONI, ET MALI

SEV

Fundamenta; Axiomata Theologorum; Dogmata Recentiorum; Deductiones ex iſtis generales, ac particulares Determinationes Sanæ Doctrinæ Moralis.

Cum Tractatu de Summo Pontifice ex Sacra Scriptura; Traditione; Concilijs Generalibus, & præſertim Concilio Conſtantienſi; Summis Pontificibus; SS. Patribus; Theologis, ac Philoſophis.

Indicabo tibi, ò homo, quid ſit bonum
Et quid Dominus requirat à te. Michęa c.6.

SIC

HYACINTHVS PARPERA
Presbiter Congreg. Orat.

VENETIIS M. DC. LXXXVI.

Apud Io: Franciſcum Valuaſenſem.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

Ad usum [illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

SANCTISSIMVM
INNOCENTIVM XI.

I. MVLTIFARIAM, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſsimè *diebus iſtis loquutus eſt nobis in* S. P. Heb. c. 1.
Filio, quem conſtituit hæredem S. Math. c. 16.
vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula, qui rediturus ad Patrem, ne ipſe Verbum Vitæ æter-

Digitized by Google

S. Petr. ep. 2. c. 1. næ mundo ſileret: locutus eſt adhuc in Petro, qui factus eſt immediatus Dei auditor, per Cæleſtis Patris reuelationem, & ſimul factus eſt ad populos infallibilis præco Dei; ſicut cæteri Prophetæ, qui *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt* (vt ait Scriptura): ſiquidèm, *Deus elegit*

Act. Apoſtol. c. 15. *per Os meum* (inquit ipſemet Petrus) *audire Gentes Verbum Euangelij, & Credere*. Ergò

S. Math. c. 24. S. Marc. c. 13. S. Luc. c. 22. Petrus eſt *Os Dei*, & quod procedit de ore Petri, Verbum Euangelij eſt, & Credendum vtpote infallibile, ſecundùm Sacras Scripturas, & iuxta etiam illam Verbi Incarnati promiſſionem: *Ego rogaui pro te, ne deficiat Fides tua.* Tu autem, Sanctiſſime Pater, *Poteſtate es Petrus* profiteor & ego cum S. Leone Primo Papa, S. Bernardo, Concilio Lugdunenſi ſub

Conſtant. art. 37. Vuicleff. B. Gregorio Decimo, & Conſtantienſi. Ergò infallibile eſt verbum, ac credendum, quod ex Cathedra Petri, veluti ex ore Dei, nobis edicis.

II. Nam

1. S. P Epheſ. c. 4. *Vnus Dominus*

2. Ibidem. *Vna Fides, ac Vna Veritas*

3. Ibidem. *Vnum Baptiſma*

4. Cant. c 6. Symb Nicen. *Vna Eccleſia*

5 Cor. 1. c. 12. S. P. Epheſ c. 4. *Vnum Corpus*

6. Conc Conſt. art. 37 Huſſ. *Vnum Caput*

7. Conc. Conſt. Vuicleff. ar. 41. *Vnus Papa, ac Paſtor* Eccl. c. 12. S. Io. c. 10.

8. S. P. Cor 1. c. 11. Epheſ. c. 5. *Vnum Mulieris Caput Vir*

9. Ibidem. *Vnum Caput Viri Chriſtus*

10. Ibidem. *Vnum Caput Chriſti Deus*

Vnus

Vnus Ergo Papa Eccleſiæ Caput 11.Conc.Conſt.ar.27.Huſz &
Vnum Papæ Caput Chriſtus 12.Conc.Conſt.ar.27.Vuicleff.
Vnum Chriſti Caput Deus. 13.S.P.Cor 1.c.11.Epheſ.c.5.

III. Ergò à primo ad vltimum ex Deo Vnus Papa *ipſe palàm faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti gloriabitur. Sapientiam eius enarrabunt Gentes, & laudem eius enunciabit Eccleſia. Te* ergo (Innocenti Vndecime, ego, ſicut Innocentium Decimum Caramuel, cuius hæc verba ſunt) *Pontificem Optimum, Maximum poſt Deum veneror, vt per Te me docere dignetur Chriſtus, cui ſeruis à lingua ſtudioſè, & inſtantèr imploro. Chriſto Domino Principes ſæculares etiam ſeruiunt à pede, à manu, à gladio: ſed Tu à lingua, Tu à verbo, Tu Petrus es, & lingua Chriſti. Tu es Verbi verbum. Ergo loquere Tu nobis, & Audiemus.* Non loquatur nobis Dominus per priuatum, internumque afflatum, (vti iactant Nouatores) *ne fortè moriamur*); Siquidem te humilimè deprecor, Sanctiſsime Innocenti; *Loquere Domine: quia audit ſeruus tuus*; cum puero Samuele profiteor & ego verum.

Eccl.c.9. Caram. Theol. Fundam. Dedic. Innoc. X. Exod. c. 20. Reg.1.c.3.

IV. Et cum Rabano Epiſcopo Maguntino, fulgida Germaniæ Stella, totis precordijs Papales perſtringo Prerogatiuas, & decanto

Sedis Apoſtolicæ Princeps, lux *aurea Romæ*
Et Decus, & Doctor *Plebis*, & *Almus* Amor
TV CAPVT ECCLESIÆ *es*, Primus Patriarcha *per orbem*

Baron. an. 843.n.28. & Ann. 856.n.29.

Ve-

Veſtra valet Cælum reſerrare, & Claudere
LINGVA
In terra poſitus Clauiger *Æthereus.*

Sanctitatis Veſtræ.

Genuæ 1685. die 29. Septembris.

Humilimus ac Obſequioſsimus Seruus
Hyacinthus Parpera Braid.

PRO-

Digitized by Google

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVm immenſa Dei Bonitas me in ſinu Sanctæ
Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ naſci
decreuerit, hanc in omnibus ſequi me velle
vſque ad Sanguinis effuſionem Dei adiu-
uante gratia, profiteor. Cuius etiam ſenſus
in libello inſcripto Index ad Vitam Æternam, ediſcere
& edocere cenſui, nec niſi vnius Veritatis zelo eumdem ad
proximorum bonum edidi. Sed quia in aliquibus ſatis for-
taſsè meum non expreſsi mentis ſenſum, ſcilicet ſuper Re-
centiorum confutationem, idcircò qua poſſum Spiritus Sub-
miſsione, & animi candore, atque linguæ ſinceritate, de-
claro mentis meæ nunquam fuiſſe in omnibus & contra
omnes me ſcripſiſſe vel ſcripturum: ſed contra aliquos,
innitentes Prudentiæ ſuæ, & contra Aliqua noua, quæ an-
tiquis Principijs minus inhærent, ac ſanæ doctrinæ minimè
congruere videntur, non contra vetera, quæ dicuntur nouè,
nouaque illatione ex antiquis deducuntur (vti ſentit S. S.Vincen.
Vincentius Lyrinenſis). Prætereà cum Doctorum confuto Commone.
Doctrinam, non ideo eorumdem mores condemno. Sed imi- 1.c.27.
tator fieri volo Innocentij Tertij in Lateranenſi Concilio, Innoc III. c. Damnamus de
qui hæreticam Doctrinam Abbatis Ioachim nominatim Summa Trinitate.
damnans, profitetur tamen in nullo velle derogari eidem
Abbati, nec Monaſterio, cum & ipſe ſe ſubmiſſerit Eccleſiæ,
& in Monaſterio vigerit obſeruantia regularis: imitor &
Caramuelem, qui Dianæ amiciſsimus, eiuſdem nihilominus
doctrinam expreſſo nomine perſtringit, & præſertim in
De-

Theol. Fundam. Dedicatoria *ad Dianam. Bellarm. Tom. 7. Gelaſ. diſtinc. 15. c. Sancta Romana. L. apud Celſum §. 16. De Doli mali excep. Num. c. 22.*

Dedicatoria *ad Dianam ab eodem ſe valdè diſtare oſtendit: tandèm me Cardinalis Bellarmini excuſat exemplum, quì in libro* De Scriptoribus Eccleſiaſticis, *in aliquibus aliqua cauenda notat; nec tamèn Authoris nomen damnat, nec ipſe notatur: ſecutus eſt enim Cardinalis iſte Sanctum Gelaſium Papam, qui Factum, vel Scriptum non Auctorem (iuxta Imperatoris cautelam) improbauere. Horum veſtigia ſequens, aliquem fortè nuncupabo, vt eiuſdem examinetur, vel etiam vitetur doctrina, non vt reprobentur mores. Sum enim ego omnium, & in omnibus minimus, ac veluti Aſina Balaam ad longè maiora verba faciens: hanc animi mei profeſſionem cum cæteris in libro obitèr editis, vel edendis, vbique, & ſempèr repetitam volo.*

Hyacinthus Parpera.

Aliàs

Hycrunera Papiſta.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per ſede del Padre Inquiſitore nel Libro intitolato, *Index Copioſior ad Vitam Æternam Auctore Hiacintho Parpera Præsbitero Congregationis Oratorij*, non v'eſſer coſ'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza à Gio: Franceſco Valuaſenſe di poterlo ſtampare, oſſeruando gli ordini, &c.

Data li 30. Ottobre 1685.

(Gerolamo Baſſadona Proc. Ref.

(Nicolò Venier Proc. Ref.

(Gerolamo Gradenigo Proc. Ref.

Gio: Battiſta Nicoloſi Seg.

Digitized by Google

Imprimatur.

Fr. Ioannes Thomas Rouetta
Inquiſ.Gener.Venet.

Digitized by Google

ADMONITIO
AD LECTOREM.

Tituli Ratio, & ſcribendi occaſio.

I. Vitam æternam omnes quidem deſiderant : ſed ad eam comparandam fidelibus neceſſaria ſunt opera bona. Verum cum mala, ac falſa mixta ſint bonis ac veris : hinc neceſſarius eſt *Index*, qui doceat reprobare malum, & eligere bonnm : vti præſtat lapis lydius (qui & *Index* quoque dicitur) in diſcretione auri ab auricalcho ; præterea vita æterna eſt Patria vera, ad quam plures videntur occurrere viæ, & vna tantum eſt recta, ac ſecura, cæteræ verò ducunt ad mortem : Idcircò *Index* iſte prodit, vt fælicior, quam Mercurius in Triuijs, veram vitæ viam viatoribus demonſtret. Denique Sapientia maximoperè commendatur in ſcripturis, & hac opus eſt nobis ad beatam vitam : Porrò ſapientiæ Magiſtros plurimi ſe iactant, & ſcribendi libros nullus eſt finis : ſed non omnes Doctores, nec Magiſtri ſunt, qui Magiſterium profitentur : nec omnes libri reipſa ſapientiam afferunt, qui ſapientiam in nomine præſeferunt, & ideò *Index* iſte Magiſtros veros, ac libros verè ſapientes patefaciet à falſis. Triplici igitur ex capite liber iſte *Index* inſcribitur, & ſequentem ob cauſam conſcriptus eſt.

II. Hæreſes, quas propter hominum prauitatem, oportet eſſe, vt qui probatæ ſunt bonitatis, manifeſti fiant (vt inquit S. Paulus) Sacro- *S.P. Cor. 1. c.11.* ſanctam fidei doctrinam deprauare contendunt : ſic & laxæ opiniones, quæ ob frigeſcentem Charitatem abundant, ſanctam morum doctrinam corrumpere pergunt. Nam quemadmodum Hæreſes (quæ ſunt peruerſæ opiniones contrariæ Euangelicæ doctrinæ) fidem conantur euertere : ſic laxæ opiniones Charitatem labefactant. Quantum enim *S.P. Rom. c.8.* fauent amoris proprij deſiderijs, tantum amori Dei aduerſantur. *Si*

enim ſecundum carnem, vixeritis, moriemini : ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis : (inquit S.Paulus) quæ S.Auguſtinus ità explicat ; *Quantò regnum cupiditatis deſtruitur, tantò Charitatis augetur* ; & iterum : *Regnat carnalis cupiditas, vbi non eſt Dei Charitas*. Siquidem *vtrique ſe amores in vno corde non capiunt*. Sùbdit S.Gregorius Papa. Cum autem in vno corde non benè morentur ſimul Charitas, & cupiditas, ſe ſe expugnant (vti docet S.Auguſtinus alibi.) Nam *Charitas* (inquit S.Bonauentura) *eſt vita virtutum, mors vitiorum* ; & è contra, *refrigeſcit Charitas : quia abundat iniquitas*, ex cupiditate, ſeu ex inordinatis appetitibus, qui ex laxis fouentur opinionibus. Quamobrem videtur non eſſe minus vigilandum in Doctrina morum, quam in Doctrina Fidei : Par namque eſt aliquem perire defectu *Fidei, vel defectu Charitatis*. Quandoquidem *qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus*, (vt inquit S.Iacobus.) Sed non omnes capiunt verbum iſtud : imò ſentiunt aliqui contrarium ; Siquidem altius repeto ; Vndè ſit.

Galat. c.5. Epheſ. c.2. S.Aug. de Doctr.christ. l.3.c.10. Et idem apud Gratianum de Pæn. diſt. 2.c.13. Et Enchir ad Laur. c.117. S.Greg. Moral. l.13.c. 8. S.Bon.opuſ. tom.2. de perf. vita c.7. S.Iac. c.2.

Veræ Sapientiæ turbatio.

III. AQua ſanæ doctrinæ trahitur de occulto puteo Diuinæ Sapientiæ (vt dicit Iob) cuius *fons eſt verbum Dei in Excelſis* (vt dicit Sapiens) ac diffunditur iſte fons in rationem naturalem, legem poſitiuam Dei, legeſque humanas. Verum puteus iſte obſtruitur quodammodò per tot, contrariaſque Doctorum opiniones ; adeò vt aqua limpida ſanæ Doctrinæ haud hauriri iſtis temporibus ferè poſſit : accidit enim (ſicut refert Geneſis) de puteis Abraham, qui obſtructi fuerant a Philiſthęis, qui etiam contendebant, ne iterum effoderentur : Sic hodiè videtur euenire ita, vt cum Tertulliano repetere liceat in Apologetici capite primo : *Malunt neſcire : quia iam oderunt* (*Plane olim id, ſemper eſt, veritas odio eſt,*) dicit ibidem ; vel ſaltem ſi putei non obſtruuntur ; aqua ſanæ Doctrinæ tot opinionibus turbatur, quaſi, vt aqua turbida Ægypti : quare opus eſt frequenti opinionum damnatione à *Summis Pontificibus*, vt purgetur. De huiuſmodi doctrinæ turbatione ſic in Phædone diſſerit Plato : *omnes, cum audiuiſſemus, conturbati ſumus, vt poſtea inuicem aperuimus, quod, cum ſuperiori diſputatione nobis fuiſſet magnoperè perſuaſum, viderentur nos ab eo ſtatu in præſentia deturbaſſe, atque ab eo iam deieciſſe, vt ne dum rationibus iam adductis, ſed & dicendis inſuper fidem nullam adhiberemus, verentes, ne vel nos nequaquam boni eſſemus iudices, vel res ipſæ fide eſſent indignæ. Cuinam rationi credemus ? Quippè cum ratio illa Socratis vſque adeò paulò ante probabi-*

Iob. c.28. Eccl.c.1. Gen.c.26. Tert.Apol. c.1.& c.14. Plato in Phæd.

habilis, iam fidem amiſerit à nempe ob eiuſmodi conſiderationem, vſque adeò ſum obcæcatus, vt ea etiam, quæ prius manifeſtè ſciebam, vt mihi, aliјſque videbatur, dediſcerem, & alia videlicet multa, quæ antea me ſcire putabam: Platoni conſonat Lactantius Firmianus ſic ſcribens: *veritas à vulgo ſolet varijs ſermonibus diſſipata corrumpi*: idem videtur indicare D. Thomas. Vtinam hæc Platonis verba in nobis non adimplerentur. Tot enim excogitatis Rationibus obnubilatur mens, vt quæ lumine naturali ſunt nota, vix diſcernat, ſicuti Sol ſæpè in meridie ob ſuperpoſitas nubes, tenebreſcit; ſic in nube tot opinionum, nobis Rationis lumen interlucet ſolum, ac coruſcat. Hanc tempeſtatem prædixiſſe videtur D. Paulus, dicens: *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*. Quare Sacerdotum erit iterum veritatem docere.

Lactant. de Diuin. Inſt. l. 2. c. 11. *D. Th. 1. 2. q. 94. a. 6.* *D. P. Timot. 2. c. 4.*

IV. Sacerdos enim non ſolum in corde doctrinam, & veritatem habere debet, ſed ex ore eius opportunè prodibit, maximè ad domeſticos Fidei. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*: idcirco pro meo munere vobis ſanam doctrinam, & nudam proferam veritatem; ſeu potius Puteum, & Fontem oſtendam, ex quo eam haurire poſſitis: quoniam verò *Moralia moralitèr tractanda, & tradenda ſunt* (vt dicit Ariſtotiles cum alijs) ſtylus erit ſimplex, ac clarus (iuxta S. Pauli morem) & compendiarius, vt ſuperſit tempus agendi, nec totum inſumatur in diſcendo; tum etiam, quia vberiora, qui volet, ad citatos Authores confugere poterit. Eritque libellus hic ſicut *fons paruus* Eſther, qui creuit in fluuium; vel vt granum ſynapis, quod minimum eſt omnibus oleribus: ſed creſcit in Arborem. Sic ſentio & ego cum S. Ireneo Martyre.

Exod. c. 18. Leuit. c. 8. Malac. c. 2. *Ariſt. Eth. l. 1. c. 3.* *S. Sales l. 3. ep. 2 & l. 4 ep. 63.* *Aug. Maſ. tract. de arte Hiſt.* *S. P. Cor. 2. c. 2.* *Eſth. c. 10.* *S. Ir. Præf. l. 1. aduerſ. her.*

Huius Criminationes.

V. SVnt qui dicant tutioribus opinionibus Ianſeniſmum promoueri, *Ianſeniſmus* enim Sacras leges coarctando pluſquam oportet contra Sacram Scripturam, Sanctorum, ac Superiorum definitiones, reducit Dei præcepta ad impoſſibile. *Sed, & ipſe timor Domini* [inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 118. ſerm. 5.] *niſi ſecundum ſcientiam ſit, nihil prodeſt; imò obeſt plurimum. Etenim vera ſapientia à timore Dei incipit: nec ſapientia ſpiritalis ſine timore Dei: ita timor ſine ſapientia eſſe non debet*. Sunt è contra, qui dicant laxis opinionibus Luteraniſmum foueri, ac propugnari. *Luteraniſmus* enim nimis exagerando ſuauitatem Diuinæ Bonitatis, ac legis; adeò carnis deſiderijs laxat habenas: vt demum bona opera neget eſſe neceſſaria ad ſalutem. Ianſeniſtæ, vt Phariſęi imponunt hominibus onera grauia, &

importabilia. Luterani verò prætendentes liberare ſpiritum ab oneribus, ac timore legis Moſaicæ, prolabuntur in libertatem carnis, de qua noxia libertate ad Galatas ſic ſcribit D. Paulus: *Vos in libertatem vocati eſtis Fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis.*

D P.Gal. c.5.

VI. Ego autem Papiſta ſum, verius corde, quam nomine, quo nomine verè Catholicum me iacto; iuxta Nouatorum etiam ſenſum, qui in vocabulario Italo Gallo, & Gallo Italo impreſſo Geneuæ anno 1664. *V. Papiſta* fatentur idem eſſe *Papiſta*, ac *Catholicus*: quamobrem cum Baronio noſtro profiteor, & opto: *Sint nobis viuentibus hac ſemper præconia laudum, & poſt mortem tituli ſepulcrales, vt Romani ſic ſemper dicamur, atque Papiſtæ*. Profiteor enim ſic me velle viuere ſecundum ſcripturas, & traditiones Dei; iuxta Sanctorum vnanimem ſenſum, ac Summorum Pontificum decreta: & inter vtrumque teneo, & medius tutiſſimus ibo; via ſcilicet Regià Chriſti procedo, non declinans, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Eſt enim Chriſtianiſmus Magiſterium, ac diſcipulatus Chriſti, qui eſt *via*, *veritas*, *& vita*, & docuit mortificare ſapienter vitioſa carnis deſideria, & viuificare probas animi noſtri propenſiones. *Ne quid nimis in hac ſchola docemur: noli igitur eſſe iuſtus multum*. Vt Ianſenius: *ſed poſt concupiſcentias tuas ne eas*; vt Luterus: *ſed rationabile ſit obſequium veſtrum*. *Honor* enim *Regis iudicium diligit* (canit Dauid) *hoc eſt diſcretionem*, (explicat S. Ignatius) & idcircò vna Eccleſia ſit magiſtra; Sancti Patres adiutores Dei, & Eccleſiæ, quia *qui vos audit, me audit*, proteſtatus eſt Chriſtus, loquiturque hominibus oraculo Eccleſiæ, & ore Superiorum, & idcircò millies profiteor cum D. Ambroſio, quod: *In omnibus cupio ſequi Romanam Eccleſiam*: Ipſa enim eſt *columna, & firmamentum veritatis*, vt dicit S. Paulus, & illius ſupremus Rector ore Ioannis 22. ſic profitetur: *Nos veritatem tenemur colere*: & hanc colamus, & nos.

Baron. Martir. an. not. 16. Octob.
Eccl c.7.
Eccl. c.18.
S.P. Rom. c.12.
S.Io.c.13.
Pſal.98.
S. Ign. Ep. Circul.2.
S.Luc.c.10.
S.Amb. de Sacr. l.3. c. 1.
Bar ann. 384.n.31.
S.P.Tim. c.3.
Io.22.c.ad condit. extrauag. De verb. ſignif.

Antiqua doctrina colenda.

VII. HOc præcipit Dominus per Salomonem, dicens: *Fili mi ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta cor tuum cuſtodiat, & deſcribe in Tabulis cordis tui. Ne ſis ſapiens apud temetipſum, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Innititur* (ait S. Hieronymus) *prudentiæ ſuæ qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicenda videantur, Patrum decretis præponit. Hinc Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens*, ne propria ſectetur Commenta, vel Nouitates. Quamobrem etiam Synodus Romana tempore Hilarij Papæ. Sic quinquies clamauit: *vt ſer-*

S.Hier. in c. ne innitaris.
De Cõſtit. Eccl. c.39.
Baron. an. 465.n.16.

ſcrutur antiquitas, *rogamus*: vt refert Baronius. Idem quoque euenit tempore S.Stephani: *Nil nouandum, niſi quod traditum eſt*; ſanxerunt & propterea: *Retenta eſt antiquitas, & expulſa nouitas*, (vt dicit S.Vincentius Lirinenſis) quod refert etiam Cardinalis Baronius. Memores enim erant moniti prophetici dicentis. *Interrogate de ſemitis antiquis, & interroga Patres tuos, & ipſi dicent tibi*. *Ipſi enim* (ait ſapiens) *didicerunt à Patribus ſuis*: & Patres Patrum à Deo, qui *antiquus dierum* à Daniele dicitur, & docet hominem ſcientiam: *Seruemus igitur præcepta maiorum*: concludit S.Ambroſius apud S.Vincentium Lirinenſem; Hinc *mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, vt quo quiſque foret Religioſior, eo promptius nouellis adinuentionibus contrairet*.

S.Vinc.Lir. com monit. 1.c.9. Baron.an. 258 n.52. Ierem. c.6. Deut.c.32. Eccl.c.8. Daniel.c.1. S.Vincent. common.1. c.7.

VIII. Opiniones autem propriæ non conſentientes ſuperioribus ſunt veluti vulpes paruulæ, quæ demoliuntur vineam Domini exercituum, quæ eſt Domus Iſrael, & Eccleſia Dei: vnde cecinit etiam quidam mordendo, *Theologi varijs laqueant ſenſibus almam*, & ſanctè etiam dolebat Beatus Iacoporus à Tuderto, quod pluribus ruinam afferret Sophiſtica Theologia, quibus congruit Seneca ſcribens: *Poſtquam* docti *prodierunt*, Boni *deſunt*, *docemur diſputare* (nota) *non viuere*. Sit igitur Opuſculum hoc quaſi vitta hiacinthina, quam aſpicientes lectores, admoneantur, de mandatis Domini amplectendis, & vna de nouis hominum opinionibus cauendis; iuxta Domini præceptum per Moyſis os.

S.Vincent. common.1 c.9. Cant.c.2. Iſa.c.5. B.Iacop.l.1 Satir.1. Sen.ep.95. Num.c.15.

Veritas profitenda.

IX. V*Nuſquiſque in ſuo ſenſu abundet* (inquit D.Paulus) dummodò tamen à veritate non ſit alienus. Cæterum veritas ipſa præualere debet, & omnes eam inuocare debemus, vt Eſdra admonet. Quamobrem admonet Eccleſiaſticus; *Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & mendacio ineruditionis tuæ confundere. Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam*. Hæc ſapientis monita profiteor me obſeruaturum: Veritati non contradicam. Falſitatem ignoranter ſcriptam retractabo, ſi legitimè cenſear. Precor enim cum Regio Propheta Dominum: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque*. Certiſſimum namque eſt (dixit quondam Gamaliel relatus à S.Clemente Papa, & Martyre) *quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque regni ſublimitas homini debet eſſe pretioſior veritate*. Tu quoque lector, fac ſimiliter. *Pro anima tua ne confundaris dicere vera, vt ipſum dicamus omnes; nec ſint in nobis ſchiſmata*: *ſed*

S.P Rom. c.14. Eſdr.l.3 c.4. Pſal. 118. Eccl. c.4. S.Clem.l.1 Recogn. in fine. Eccl.c.4. S.P Cor.1. c.14.

perfecti ſimus in eodem ſenſu, & ſententia: vt hortatur D. Paulus. Hoc autem contingit, ſi vnius Eccleſiæ Magiſtræ à Spiritu Sancto edoctæ, ſenſibus conformes erunt ſenſus noſtri: iuxta illud Philoſophicum effatum: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: Nam *Eccleſia eſt Columna veritatis* (ait S. Paulus) *fundata ſupra firmam petram* (ait S. Mattheus): Humana autem opinio circumfertur omni vento doctrinæ, ac affectionis, & tamquam Protheus mutatur, ac creſcit in immenſum: vt dixit olim S. Petrus, & refert S. Clemens: *Fides* (ait) *rerum, cauſarumque ſententia pro ingenijs magis defendentium ponderantur. Vnde & eadem cauſa nunc iuſta, nunc iniuſta putatur, & quod modo verum videbatur; alterius aſſertione falſum videtur.*

S. P. Tim. 1 c. 3
S. Matth. c. 16.
S. Clem. l. 3 Recognit. circa principium.

X. Triplicitèr autem veritas pateſieri poteſt. 1. Confutando errorem ipſi contrarium, ſicut qui deſcriberet tenebras, indicaret, & lucem. *Contrariorum enim eadem eſt diſciplina*. 2. Confirmando veritatem, ſicut lumen ſe ipſo ſe prodit, & tenebras pellit. 3. Confirmando veritatem, & confutando errores ſimul: ita dicit S. Dionyſius Areopagita, & Concilium Tridentinum confirmat: *Non eſt ſatis veritatem dicere, niſi repellantur errores*: Idcircò vt hæc doctrina æterni ponderis verior appareat, *in Prima Parte* huius *Indicis fundamenta*, ſeu *prima Principia* moralis diſciplinæ oſtenduntur, ex quibus cætera ſunt deducenda, & ad quæ reſolutiones caſuum particularium reduci debent; vt ſana ſit Doctrina; iuxta Philoſophi præceptum in libris Analyticorum de Reſolutione, & D. Thomam. *In ſecunda Parte* exponuntur *Axiomata Theologorum*, ac *dogmata Recentiorum*, quæ ſunt veluti *Fundamenta ſecundaria*, & *Principia ſubalterna. In Tertia Parte* proponuntur *Deductiones ex præcedentibus*, quæ veritatem ſecundariam docent, ſicut præcedentia Primariam legis veritatem præſeferunt; ſuntque *Deductiones* iſtæ *Tractatus de Probabilitate*, ex cuius ſana intelligentia reformaretur orbis, & ex cuius minus prudenti vſu vniuerſi penè delabuntur in Præceps. *In Quarta Parte* errores ex falſa Probabilitate enaſcentes, confutantur, & potiſſimum in medullata explicatione Propoſitionum à Summis Pontificibus Alexandro Septimo, & Innocentio Vndecimo condemnatarum, quæ vt clarius intelligantur ad ſuos Titulos virtutum, vel vitiorum, ad quos pertinere cenſentur, rediguntur.

S. Dioniſ. Epiſt. 7.
Trid. ſeſſ. 13. c. 8.
D. Thom. 1. 2 q. 93. art. 5. & q. 96 ar. 4.

Digitized by Google

Auctoris mens.

XI. T*Eſtificor* (cum Diuo Paulo) *coram Deo*, *& Chriſto Ieſu*, *qui iudicaturus eſt viuos*, *& mortuos per aduentum ipſius*, *& Regnum eius*, quod zelo vnius veritatis, hæc ſcribo, iuxta eiuſdem Apoſtoli ſequentia verba: *prædica verbum*, *inſta opportunè*, *importunè*. *At oſtium mihi apertum eſt magnum*, *& euidens*, *& aduerſarij multi*. Verum memini eiuſdem Pauli dicentis, *prædica verbum in omni patientia*, *& doctrina*, nec qualecumque talentum dedit mihi Dominus, abſcondere volo in terra, contra Euangelicum monitum; ſicuti etiam monet Sapiens dicens: *Non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo*: nam *qui abſcondit frumenta*, *maledicetur in populis*, *benedictio autem ſuper caput vendentium*.

D.P.Tim. 2.c.4. Idem Cor. 1.c.16. S.Mat.c.25 Eccl.c.4. Prou.c.1.

XII. *Nec ſumus ſicut plurimi* (audeo humilitèr loqui iterum cum S.Paulo, *adulterantes verbum Dei*, *ſed ex ſinceritate*, *ſed ſicuti ex Deo*, *coram Deo*, *in Chriſto loquimur*: *Arrogantiæ autem non eſt quærere*, *vel aſſerere veritatem*, (vt inquit D.Auguſtinus) Hanc (Deo dante) proponam, & ſpero placituram, ſi modo (loquor cum D.Petro apud S.Clementem Papam, & Martyrem) *rationabiles ſint auditores*, *& amici veritatis*, *qui diſcernere valeant vim*, *ſpeciemque verborum*, *& agnoſcere*, *qui ſermo ex Arte ſophiſtica veniat*, *non veritatem continens*, *ſed imaginem veritatis*, *& qui ſit*, *qui ſimpliciter*, *ac ſine fuco prolatus omnem vim non in ſpecie*, *& ornatu*; *ſed in veritate*, *& ratione poſſideat*.

S.P.Cor.2. c.2. S.Aug.ser.7 lib. 4. C.vlt. S.Clem.P. & Mar.l.1 De Recog.

XIII. Si quis autem aduerſarius eſſe mallet, *nouerit is à me ſupèr* hac materia, *quod ſentio dictum* (commodat mihi verba S.Bernardus) *non ſibi contradictum*, *etiamſi quid alitèr ab ipſo ſapimus*. *Nam ſi verum nos ſapimus*: *veritas ei contradicit*, *non nos*. *Sed enim ſi non confunditur acquieſcere veritati*; *& veritas cum eo ſapit*, *& nos*; *ſin autem ſeruum Dei tamen non oportet litigare*; *ſed magis patientem eſſe ad omnes*. *Ideoque non quærimus pugnas verborum*; *nouitates quoque vocum* (iuxta Apoſtolicam doctrinam) *euitamus*; *Patrum tantum opponimus ſententias*, *ac verba proferimus*, *& non noſtra*; *nec enim ſapientiores ſumus*, *quam Patres noſtri*. *Abbundet ſanè in ſuo ſenſu*, *qui vult*, *quantum vult*; *dummodò patiatur nos in ſcripturarum ſenſibus abundare*; *quomodo dicit Apoſtolus*. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis*, *tanquam ex nobis*; *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Veritas igitur præualeat, & hanc quiſque colat. Si ergo [profiteor cum Socrate in Phædone apud Platonem] *Vera vobis loqui videor*, *concedite*:

S.Ber.ep.77 S.P.Cor.2. c.3. Plat.in Phed.

ſin

ſin minus omninò contradicite, diligenter cauentes; ne ego dum annitor me ipſum ſimul, voſque decipiam, & veluti apis aculeo in vobis relicto abeam.

XIV. Cum verò nos doctrinam non probamus, non ideò reprobamus Doctores, ſeu Doctorum mores, ac vitam illorum carpimus. Nam Sanctiſſimi quoque viri, ac Martires Chriſti, magnis in rebus errauerunt, materialitèr tamen: cuiuſmodi fuerunt S. Cyprianus Martyr; Papias, ac Iuſtinus Martyr, S. Victorinus Martyr, & Abbas Ioachim: vt refert Baronius. Nam *in nullo penitus errare, non humanitatis; ſed Diuinitatis eſt* (ait Imperator) & S. Thomas rationem reddit dicens: *Multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur, propter hoc, quod nunc eſt magis manifeſtum, quod ex eis ſequatur.* Nec etiam reſiſtendo aliorum opinionibus, charitatem frangimus: cum etiam Angeli Pacis pleni beatifico amore, ſibi inuicem reſtiterint: vt refert Daniel. Hinc canendo S. Franciſcus Saleſius ſcripſit:

Non ſentire bonos eadem de rebus iiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Placet tamen hic diſſertius cum Cardinali Caietano ſic proteſtari: *verba erroris, falſitatis, deceptionis, ignorantiæ, & aliorum huiuſmodi, non contra perſonas, ſed contra opiniones; & hoc etiam quatenus minus ſolidæ ſunt vel apparent, interpretanda eſſe volo; quoniam perſonis nullo pacto, opinionibus vero non niſi, vt diſſonant, aduerſari intendo,* Nam meis inſonat etiam auribus S. Auguſtini monitum contra Petilianum ſcribentis: *Diligite* [ait] *homines, interficite errores. Sine ſuperbia de veritate præſumite, ſine ſæuitia pro veritate certate. Nec enim hominum* (profiteor etiam cum D. Auguſtino, & S. Hieronymo apud Baronium): *Sed errorum inimicus ſum.*

Bar. an. 358. nu. 37. 42. 50. 51. Bar. an. 118. n. 2. Bar. an. 303. n. 126. C. Damnamus. De ſum. Trin. D. Thom. 1 q. 32. art. 4. Daniel. c. 10. S. Sales l. 7. ep. 58. Caiet. in Præf. comment. Prim. Par. D. Th. S. Aug. to. 7. l. 1. cõtra liter. Petiliani. c. 29. Bar. an. 402. n. 37.

Veritatis ornatus ſimplicitas.

XV. **N***On nocet* (inquit Plato) *bis dicere, quod bene dicitur; quin imò* (ait Idem) *quæ pulcra ſunt, & bis, & ter repetenda ſunt:* Hinc abs re fortaſſe non erit ſequens dictorum repetitio. Sapientia, & Philoſophia eſt cognitio veritatis, Cognitio autem veritatis eſt cognitio quiditatis rerum: hanc verò vel proprio inuenimus ingenio, vel per verba à magiſtris comparamus: adeò vt verba ſint vaſa, vel aurea, vel lignea, vel fictilia, quæ veritatem nobis exhibent. Non eſt igitur Philoſophia verborum cognitio; ſed rerum per ipſa ſignificatarum ſcientia: hinc dicit Seneca. *Philoſophia non*

Plat. l. 34. Dial. 6. De leg. Idem l. 10. Phileb. Sen. ep. 16.

eſt

Digitized by Google

eſt in verbis ; ſed rebus : cui conſonat eruditiſſimus Clemens Alexandrinus, dicens : *quæ verè eſt Philoſophia non in lingua, ſed in mente iuuabit eos, qui audierint ; oportet autem* (vt opinor) *eum, qui curam gerit veritatis, non inſidiosè, captoque conſilio, ac cura adhibita, dictionem componere : ſed conari tantum id quod vult, quomodo poteſt exponere. Eos enim, qui hærent dictionibus, & in eis ſunt occupati, res ipſæ effugiunt.*

Clem. ſtrō-mat. lib. 2. in princ.

XVI. *Meum autem probabile* (vt exiſtimo) *inſtitutum* (proſequitur idem Clemens, ſed alibi) *verbo, quidem, ac ratione conuenientèr viuere : ea autem qua ſignificetur id, quod intelligitur. Quo autem nomine ſignificetur id, quod volo exponere, nihil mihi curæ eſt. Opem enim ferre, vt ſeruentur ij, qui ſeruari cupiunt, puto eſſe optimum ; non autem dictiunculas, tamquam quædam ornamenta, componere. Ne ſis de nominibus nimium ſollicitus* (inquit Pitagoreus) : *nominum autem, & verborum facilitas, & non nimis accurata examinatio, vt plurimum non eſt ſordida, & illiberalis: ſed eius potius contrarium: Eſt autem nonnunquam etiam neceſſaria. Hæc quam fieri poteſt breuiſſimè Scriptura enunciauit dicens : ne multum verſeris in verbis. Dictio enim eſt tamquam veſtis in corpore : res autem ſunt carnes, & nerui : non oportet ergo maiorem veſtis, quam ſalutis corporis curam gerere : non ſolum enim frugalis vitæ ratio ; ſed etiam à ſuperuacaneo cultu, ornatuque aliena oratio exercenda eſt ei, qui veram vitam elegit. Non oportet ergo vnquam dilatare phylacteria, vanam ambiendo, & magnifaciendo gloriam*, hactenus Clemens non verborum (verba ſugerit S. Ioannes Damaſcenus) *artificium, quo ego egenus, & pauper planè careo, poſtulent, ſed ſententiarum vim attendant.* Non enim in ſermone: ſed in virtute conſiſtit Regnum Cęlorum : *nec vincere : ſed oppugnatæ veritati opitulari, eamque laborantem fortitudinis manu defendere, ac tueri nobis propoſitum eſt.* Noſtra igitur *in lectione* (verba ſuppeditat S. Iſidorus Hiſpalenſis) *non verba ; ſed veritas eſt amanda, ſæpè autem reperitur ſimplicitas veridica, & falſitas compoſita, quæ hominem ſuis erroribus illicit, & per linguæ ornamenta laqueos dulces aſpergit. Sermo Dei occultum habet fulgorem ſapientiæ, & veritatis repoſitum in verborum viliſſimis vaſculis. Veritatis ſimplex oratio eſt* : ait Seneca.

Clem ſtrō-mat. l. 1. paulò ante med.

S. Dam. or. 1. de Imag.

S. P. Cor. 1. c. 4.

S. Iſid. Hiſ. ſent. l. 3. c. 13. n. 9.

Sen. ep. 49. lib. 1.

XVII. Clementi, ac alijs ſubſcribit Arnobius : *Pompa ſermonis, & oratio miſſa per regulas concionibus, litibus, foro, Iudicijſque ſeruetur, deturque illis, imò qui voluptatum delinimenta quærentes omne ſuum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur, ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amænitate dicatur : nec quid aures commulceat ;*

Arnob. l. 1. Adu. Gent. prop. fin.

 ſed

ſed quas afferat audientibus vtilitates; maximè cum ſciamus etiam quoſdam ſapientiæ deditos non tantum abieciſſe ſermonis cultum, verùm etiam cum poſſent ornatius, atque vberius eloqui, triuialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet grauitatis rigorem, & ſophiſtica potius oſtentatione iactarent. Enim verò diſſoluti eſt pectoris, in rebus ſerijs, quærere voluptatem, & cum ſibi ſit ratio, cum malè habentibus, atque ægris ſonos auribus infundere dulciores non medicinam vulneribus admouere: hæc Arnobius.

Lact. Fir. De falſa ſapient. l. 3. c. 1. Cui conſonat Lactantius Firmianus. *Deus (ait) hanc voluit rei eſſe naturam, vt ſimplex, & nuda veritas eſſet luculentior, quia ſatis ornata per ſe eſt; Ideòque ornamentis extrinſecus fucata corrumpitur: mendacium verò ſpecie placet aliena; quia per ſe corruptum vaneſcit, ac defluit; niſi aliundè ornatu quæſito circumlitum fuerit ac politum: Idcircò æquo animo fero, ingenium mihi mediocre eſſe conceſſum*. Peccatur autem in hoc ſæpiſſimè, quia plures ingenium ad vanitatem, pauci animum excolere ſtudent ad veritatem. Propterea

Diſputantium finis ſit veritas.

Sen ep. 108 XVIII. M*Vltum* (ait Seneca) *ad rem pertinet, quo propoſito, ad quam rem accedas*: quamobrem cum ingenij gloriola ſæpè ſit diſputandi ſtimulus, non veritatis zelus; hinc quæ *Philoſophia fuit* (ſubdit idem Seneca ibidem) *facta Philologia eſt*; indèque innumeræ emergunt quæſtiones, & perpetuæ verborum contentiones, quas prohibet Timotheo Sanctus Apoſtolus dicens:

S. P Tim. 2. c. 2. *Noli contendere verbis: verbis* autem *contendere* (ait S. Auguſtinus)

S. Aug. l. de d. & chriſ. c. 28. *eſt non curare, quomodò error veritate vincatur; ſed quomodò tua dictio dictioni præferatur alterius*. Attendant ergo Recentiores, qui philoſophantur potiſſimùm in verbis, non in rebus; & idcircò iure à Seneca dicentur *Philologi*, non *Philoſophi*: *Tales autem* [ait

Clemens ſtromat. lib. 1. paulò ante medium. Clemens Alexandrinus] *ſunt litigioſi iſti, ſiue ſectas ſectentur, ſiue artes, neſcio quas exerceant dialecticas. Iſti ſunt qui funiculos trahunt* (inquit Scriptura) *& nihil texunt, inanem laborem plurimi facientes, quem impoſturam, & aſtutiam ipſe vocauit Apoſtolus, aptam, ad erroris inſidias. Verum placet Res ipſa pulchris præferenda vocibus*. Placeat ergo & vobis verborum ſenſus, & in ſenſu rerum veritas quæratur.

Digitized by Google

Doctrinæ aliquis Terminus.

XIX. MEminerint etiam quod eorum gloriatio retorqueri poteſt in ipſorum præiudicium ; nam iactant nouas ſemper ſubtilitates ; ſed reſponderet Seneca, quod *nullus terminus falſo eſt . Veritati aliquid extremum eſt : error immenſus eſt* : cui fauet Pſaltes dicens : *Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum : in circuitu enim impij ambulant . Bonum enim omne , & veritas certo fine concluditur : malitia verò , & mendacium ſine fine ſunt* : concludit S. Hieronymus. Verùm de his infrà. Hæc ſunt quæ Autumnalibus Ferijs occurrerunt mihi dicenda vobis : ignoſcite autem , *ſi pluribus intentus* (vt veſtris patet oculis) *minor eſt ad ſingula ſenſus* : & rogate Dominum , vt ampliorem det mihi ſpiritum ſuum , vt vlteriora vobis ipſe præſtem.

Sen. ep. 16. *Pſal. 11.* *S. Hieron. in Eccleſ. c. 12* *Part. 3.*

XX. Crebris Antiquorum verbis loquor : quia magna eſt iucunditas, ac vtilitas , ipſammet Sapientum audire locutionem : tum vt ex Antiquorum ore pateſiat , quam vetus ſit noſtra Doctrina , & quam firma , quæ tot , tantiſque viris innititur ; nec vlteriores excogitamus , vel adijcimus quandoque rationes : quia ipſi eas adducunt , & cum non mihi ſoli , ſed Sapientibus firmæ Rationes videantur, tales etiam prudentér ab alijs iudicabuntur . Si autem Rationes ipſæ non pateant , Sapientes tamen ſine Rationibus loqui cenſendi non ſunt : tum quia moralia plerumque ab auctoritate pendent: *Quare peritorum hominum* (inquit Ariſtotiles) *& ſeniorum , ſeu prudentum pronunciationibus , & opinionibus abſque demonſtrationibus , non minus quam demonſtrationibus attendendum eſt .* Nam *Maioribus noſtris* (ait Lactantius Firmianus) *etiam nulla ratione reddita rationis eſt credere . Auctoritati autem credere magnum compendium eſt , & nullus labor . Rationi verò credere laborioſum , & periculoſum* . Nam *Imperitorum hominun* (inquit S. Auguſtinus) *maxima eſt multitudo , qui ſi ratione velint verum comprehendere , ſimilitudinibus rationum facillimè decipiuntur* : & hæc mihi potiſſima ratio ita ſcribendi . Porrò imitando Innocentium Tertium , Sanctum Thomam , ac Diuum Paulum , Ethnicos Philoſophos ſæpè allego , qui ſolo naturali lumine freti , loquuntur ; & tamen in his cum lumine Fidei concordant , vt duo lumina nos ad morum veritatem magis illuminēt. Præſertim quia *quidquid verum à quocumque dicatur, à Spiritu dicitur Sancto* , vti docent S. Ambroſius , & S. Auguſtinus, quibus accedit Lactantius Firmianus . *Ego* (ait) *eos , qui vera imprudentèr loquuntur , ſic habendos puto ,*

Ariſtot. Moral. Nicom. l. 6. c. 11. *Lactant. l. 2 de Orig. erroris c. 6.* *S. Aug. to. 1 l. de quant. Anim. c. 7.* *In 3. C. cum omnes de conſt.* *S. Th. 1. q. 1. ar. 8. ad 2. & 1. 2. q. 96. ar. 5. ad 3.* *S. P. 18. Apoſt. c. 17.*

Digitized by Google

S. Ambr. ſuper 1. Cor. c. 13. S. Aug. ep. 28. Lactan. de vero cultu l. 6. c. 8. Eccl. c 30. Eccl. c. 12.

tamquam diuinent ſpiritu aliquo inſtincti . Hinc etiam.

XXI. Obaudienda mihi viſa eſt Eccleſiaſtici vox dicentis : *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens , & in Prophetis vacabit . Narrationem virorum nominatorum conſeruabit . Nam verba Sapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi , quæ per Magiſtrorum Conſilium data ſunt à Paſtore vno . His amplius ne requiras :* Concludit Eccleſiaſtes, & ego cum eo.

XXII. Faxit Deus Optimus, Maximus, vt huius *Indicis* Folia, ac huius Opuſculi paginæ proſint ad fidelium Gentium ſalutem. Hæc enim (poſt maiorem Dei gloriam) eſt mea Intentio, & Finis.

ADMONITIO SECVNDA.

Scopus huius Indicis *plenius reuelatur*.

I. I*Ntelligenti pauca* . Verùm *dum breuis eſſe laboro , obſcurus fio* . Quamobrem ne nimis lateat huius operis ſcopus, ita ediſſero . Eſt opus aliquod, quod *Muſeum* appellant , vulgò (à Moſaico) quod ſi è regione, ac in conſpectu proſpiciatur, habet vnum aſpectum; ſi verò à latere , & *in profilo* (vt dicitur) quandam refert imaginem : ſic vſuuenire huic Opuſculo videtur: ſi ſecundum primam faciem attendatur, nihil peculiare connexum , coherenſue , ac vtile preſefert; propterea moneo, vt ex latere , & hoc pacto aſpiciatur ; nimirum.

S. P. Cor. 2. c. 11. — Eccleſ. c. 1. — Pſal. 118. — Oſea c. 14. — Sap. c. 7.

II. Nouus opinandi modus, qui hiſce noſtris temporibus irrepit, me cum Summo Pontifice Alexandro Septimo . & Innocentio XI. glorioſè regnante plurimum angit . Nam *Quis ſcandalizatur , & ego non vror* ? cum D. Paulo quilibet debet profiteri Chriſtianus . Eſt enim magnoperè periculoſus ; vtpotè qui latam videatur aperire viam , quæ ducit ad perditionem ; Ne autem ego ſimul cum alijs communi morbo periclitarer ; *dedi cor meum , vt ſcirem prudentiam , atque doctrinem , erroreſque , & ſtultitiam* ; & cum omnis homo ſit mendax , & ſolus Deus verax eundem cum Dauid deprecatus ſum dicens : *illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum , & doce me iuſtificationes tuas* . Ipſe enim per Oſeam pollicetur ; *Ego exaudiam , & ego diligam* ; Optaui, & datus eſt mihi ſenſus (liceat ſic effari)& moralis Veritatis ſcintillula menti meæ illuxiſſe videtur, *quam ſine fictione didici , & ſine inuidia communico , & boneſtatem illius non abſcondo . Infinitus enim theſaurus eſt hominibus , quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei* . Ideò hunc edidi libellum: vt ſana doctrina ab adulterina diſcerneretur : ac vera vitę

via

Digitized by Google

via pateret, & in primis ; cum *liberum arbitrium* ſit illud , quod eſt gubernandum: de libero arbitrio ſummatim ago. Quoniam verò bona intentio aſſeri videtur, eſſe tota Regula ipſum rectè gubernandi; hinc *de bona intentione* in principio memini . Præterea cum dirigendarum actionum aliquæ aſſignentur Regulæ ex quibuſdam parum ſanis fundamentis ; idcircò ego *fundamenta vera* in Prima Parte , quæ *ſunt leges* ; & quæ ad ipſas leges ſpectant , oſtendo . Verùm quia reipſa Moderni profitentur non oportere nos tanto intelligendæ legis ſtudio torquere , cum Probabilitas quælibet ſufficiat, & hæc ; *Numquid non ſapientia clamitat , & prudentia dat vocem ſuam* (idem intelligi videtur de Probabilitate , quæ eſt Recentiorum ſapientia) *in ſummis, excelſiſque verticibus, ſupra viam, in medijs ſemitis , ſtans iuxta portas Ciuitatis, in ipſis foribus loquitur dicens: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum* . Nam Probabilitas eſt obuia;quia nihil eſt impræſentiarum quod(præter Fidei dogmata) & Eccleſiæ decreta non ſit dubium,& vnà ſit Probabile;vti ex Modernorum lectione patet. Cum ergo per ipſos obuia ſit *Probabilitas* nulla exigeretur diligentia in ea quærenda:Quod tamen quam erroneum ſit,oſtenditur inCapite quod *veritas eſt diligentèr quærenda*,& conſequentèr moderna, Probabilitas non eſt illa ſapientia , quæ tanto ſtudio eſt inquirenda . Ergo non eſt veritas , ad quam diligentia requiritur.

Cap.1.
Cap.2.
Cap.3.
Prouer.c.8.
Cap.18.

III. Recentiores replicant, quod apparuit benignitas, & humanitas Dei in terris, quæ nobis impoſuit *Iugum ſuaue , & onus leue* ; ſed requiſita diligentia à te [aiunt] non eſt onus leue ; ſed valdè graue. Ergo non eſt Diuinæ legi, ac voluntati conſentanea ; quæ Replicatio , vt diluatur , ſana traditur prædictorum Chriſti verborum intelligentia . Verum iterum replicant , noſtra cum pluribus alijs eſt germana eorumdem verborum interpratatio , & ideò tua eſt ſpernenda: quare denuò cogor admonere eos ex Euangelio , quod *Aliqui Cæci ſunt , & Duces Cæcorum* , & propterea non cunctis in re tanti momenti eſſe fidendum: Ad quem igitur (vltimò replicant Moderni) ibimus fidum magiſtrum,quem prudentèr conſulamus, vt ipſe nobis fidelitèr conſulat ? *Ad cor proprium* (reſpondet pro me Sapiens). Hoc enim bonus erit Conſiliarius , & iuſtus Iudex ; ſi tamen nullo priuato præoccupetur affectu . Nam cor noſtrum , ventilata hinc indè tota cauſa , iuſtam proferet ſententiam.

Cap.19.
Cap.20.
Cap.21.

IV. Omnium verò Fundamentorum *compendium* ex tribus Sanctis Apoſtolis trado, vt Fundamenta omnia ſummatim ab ipſis confirmentur. Hi enim paucis ſanam edunt Doctrinæ Regulam: vti attentè legenti patebit: ſicut etiam patet quam ab hiſce diſtent quamplures Recentiorum Reſolutiones ; Vndè à Summis Pontificibus

Cap.22.

dam-

Digitized by Google

damnantur, & aliæ quoque ſunt cauendæ, vti monet Innocentius
Vndecimus mira Eccleſiæ ſolicitudine regnans.

V. *In ſecunda* verò *Parte Axiomata Theologorum* in ſeptuagin-
ta duobus Capitibus, ac *Dogmata Recentiorum* in viginti, veluti ſe-
cundaria Principia, ac Fundamenta elucidantur. In *Parte Tertia*:
C.1.2. Quoniam veritas plerumque latet: hinc cum cæteris oſtenditur *Pro-
babilitas* eſſe ſequenda. Cum enim Originale, ac exemplar colere
nequimus, Imaginem eius veneremur: ſic contingit in Probabilita-
C.3. te, quæ *veri eſt ſimilitudo*; Cuius *Probabilitatis gradus* numeran-
tur, vt magis, ac magis Doctrina clareſcat, & ſimul etiam qui gra-
C.4. dus ſit amplectendus innoteſcat. Non enim *qualibet Probabilitas
ſufficit*, *vt quis prudentèr operetur*: vti propterea patefacimus.
Sed *Probabilitas certò Probabilis ſequenda*: de qua ſubindè agimus:
C.5. quia verò ſæpè concurrunt plures Probabiles opiniones, vna Proba-
C.6. bilior alterâ: hinc de *Concurrentia Probabilitatum*, & quæ ſit eli-
genda indicatur, ideſt *Probabilior*. At non ſolum *Probabilior*; ſed
C.7. & *Tutior* innuitur ſectanda, & explicatur. Ad quorum comproba-
C.8. tionem traditur *Compendiaria confirmatio veræ Probabilitatis*, &
C.9. *confutatio falſæ*, & iterum *exhibetur Compendium dictorum ex Sa-
C.10. cris Scripturis compactum*.

VI. Nimis arcta videtur Recentioribus hæc via, & latior ama-
retur: vndè eis oſtenditur quod *Opiniones laxæ periculoſæ ſunt,
C.11. ſaltem in praxi*: vt autem earumdem periculum magis detegatur;
C.12. patefit dari *Pſeudoprobabilia*, & horum ſimiliter *Gradus Pſeudo-
probabilium*, ac Cenſuræ propoſitionum oſtenduntur; quæ vt ma-
gis reuelentur, indicantur varia *Fundamenta Pſeudoprobabilium*,
& præcipuè Doctorum plus debito vſurpata auctoritas; quapropter
dicimus *Doctorum conſulta* quanti facienda ſint. Inſuper quia bonis
mixti ſunt mali in hoc mundo; ideò bis indicantur *Doctores qui ca-
uendi*, demoſtraturque quod *Numerus Doctorum non ſufficit ad
iuſtificandam actionem*: vndè reliquum eſt vt *Doctores Sancti ſe-
quendi ſint*.

VII. Quanto iure plures à Summis Pontificibus reijciantur propo-
ſitiones, & huius libelli ſuſceptus ſit labor, liquet ex Collatione do-
ctrinæ Recentiorum Caſiſtarum cum lege ipſa Decalogi, cui diſſen-
tiunt in pluribus: vndè *Noua Diuinæ legis à Recentioribus Caſiſtis
interpretatio* exhibetur, & ſequimur manifeſtare *Recentiorum Pro-
babiliſtarum abſurda*: ex quibus quoque patet, quod *libertas opi-
nionum diuiſio vnitatis ſit*, & hoc repetitur fuſius, & demum pa-
tefit *Monſtruoſum Commentum*, quod ex huiuſmodi noua Probabi-
liſtarum Modernorum doctrina proſit. Aliæ quoque *Phantaſiæ Re-
centiorum* exponuntur, vt *ex fructibus eorum cognoſcatis eos*.

VIII. Ne

Digitized by Google

VIII. Ne autèm contrarias Recentiorum obiectiones videamur metuere ; Idcircò *Apologia pro Recentioribus* , *& breuis reſponſio* proponitur : & quia Chriſtus veritas poſitus fuit *in ſignum* , *cui contradicetur*:(vti prædictum fuit);ſic hoc Opuſculum veritate plenum , contradictioni patere non ambigimus ; & ideò *Apologia pro Indice* iſto exponitur. Aliæ etiam Recentiorum excuſationes præferuntur, ſed eliduntur.

IX. In *Parte quarta*, cum ſint producendæ Propoſitiones à Summis Pontificibus damnatæ , differitur primum *de Summo Pontifice* ex Sacra Scriptura : Traditione : Concilijs Generalibus , & præſertim Conſtantienſi : ac Sanctis Patribus ; cuius auctoritas ſi humilitèr ab aliquibus Recentioribus coleretur , quamplures vitarentur errores . Audent enim aliqui eius declarationi detrahere ; propterea de Summo Pontifice exponuntur in pluribus Capitibus prærogatiuæ, & oſtenditur ſimul *Auctoritas Papæ ſupra Doctores* , & ſubindè indicatur *Declaratio* Pontificia quantum valeat , & quia diuerſimodè ſe habet Pontifex erga libros ; hinc prodeunt *Cenſuræ* librorum . Ne verò diutius immoremur in ſingulis Propoſitionibus intelligendis , ac confutandis , *Claues* morales lectori damus , vt in Domum Sapientiæ ingredi ipſe queat ; cui aliæ *Claues morales* ad aperiendas morum deceptiones, vt vitentur , traduntur ; & ſic ipſe per ſe , & has , & alias facilè aperiat.

X. Ex præcedentibus deindè colliguntur *Reſolutiones* ſingulares Propoſitionum damnatarum, præmiſſa breuitèr iterum fundamentali Doctrina pro ſingulis. A Sapientibus enim hæc fortaſſe legentur, qui pro ſua ſapientia inſipientiæ meæ breuitatem ſuplebunt, vti enixè rogo. Semen enim eſt liber iſte , ac perfectioris Operis rudimentum.

XI. *Pars quinta* (quam meditor) inſcribetur *Index omnigenus*. Nam continebit doctrinam de qualibet materia morali , & ſuperiores quatuor Partes, quæ in genere de moralibus differunt , rediget ad particulares doctrinas , ac ad Reſolutiones prædictis Principijs generalibus cohærentes. Vtinam *Index* ſimilis ſit illi Arbori, de qua ex Ieſu reuelatione ſcribit S.Ioannes : *In medio plateæ eius* , *& ex* *Apoc. c.22.* *vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens Fructus duodecim* , *per menſes ſingulos* , *reddens fructum ſuum* , *& folia ligni ad ſanitatem Gentium*.

Digitized by Google

Informatio debet præcedere Iudicium.

XII. VErùm mei ſit rigidus Iudex, qui auditor: ſed meminerit quod iudicium apud logicos eſt ſecunda mentis operatio, quam præcedit prima, ſcilicet ſimplex rerum apprehenſio: & apud Forenſes iudicium, ac iudicialis definitio, ſeu ſententia eſt poſtremus actus, quam præcedunt Proceſſus, Acta, Allegata, & probata: *Eſt* enim (ait Imperator) *Inciuile, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula propoſita iudicare, vel reſpondere. Non* enim *poteſt iudicare de toto, qui totum non audit*: repetit S. Bernardus: vndè monet Eccleſiaſticus: *Prius quam audias, ne reſpondeas verbum*: *nam qui prius* (ait Salomon) *reſpondet quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum*: vndè Deus ipſe prius vocauit, & audiuit Adam, quam eum iudicaret; & deſcendit, vt videret, an clamor Sodomorum, qui ad Dei aures peruenerat, opere, & facto compleretur. Debet enim præcedere plena facti informatio, ac ſeria cauſæ cognitio, antequam iudicium proferatur, vel antequam aliquis condemnetur. Igitur & tu (ait Eccleſiaſticus) *priuſquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaueris, corripe iuſtè*; Omnia ergò examinet; deindè iudicet: verum Aliqui primò credunt velocitèr rumori; vel cuiuis narranti indiſtinctè fidem præbent; ac primo rerum leuitèr aſpectui incumbunt, nec plenam informationem facti perquirunt: cum tamen verum ſit quod *ex facto Ius oritur*: nam Iuſtitia veritati innititur, & veritas iuſtitiam parit: hinc S. Bernardus monet: *Sit breuis, & pura narratio*: qui autem alia procedunt via, ſæpius falluntur, & caſus eſt, non prudentia; ſi iuſtè iudicent, ac ad rem reſpondeant: eo magis quo; *In ambiguis* (ait Imperator) *orationibus maximè ſententia ſpectanda eius eſt, qui eas protuliſſet*: vndè *omnes* (ait S. Auguſtinus) *qui legimus, nitimur indagare, atque comprehendere quid voluit ille, quem legimus*: hanc praxim ſe aliquando non obſeruaſſe confitetur idem S. Auguſtinus dicens: *Erubui non me tot annos aduerſùs Catholicam Fidem; ſed contra carnalium cogitationum figmenta latraſſe*: eo quippè temerarius, & impius fueram, quod ea, quæ debebam quærendò, diſcere, accuſando dixeram: *Quinimò* (ſubdit S. Gregorius Papa) *ſuperbi, qui ſemper increpare appetunt, & numquam ſanere, multa plerumque increpando mentiuntur*: *Nam vt arguere doctè videantur, fingunt nonnumquam, quæ redarguant.*

L. Inciuile ff. de legib. — *S. Bern. de morib. epiſc. c. 6.* — *Eccl. c. 11.* — *Prou. c. 18.* — *Geneſ. c. 3.* — *Geneſ. c. 18* — *Eccl. c. 11.* — *S. Bern. de conſid. l. 1. c. 10.* — *L. in ambiguis ff. de Reg. Iur.* — *S. Auguſt. Conf. l. 1. c. 18.* — *S. Greg. moral. l. 23. c. 10.*

XIII. Vtinam ſæpius hoc non contingat: etenim aliqui contradicunt,

dicunt, condemnant, antequam perſpectam habeant loquentis ſententiam, vel etiam nolunt intelligere, & cauillantur in verbis, & illa dici volunt, quæ ipſi fingunt, non quæ alius ſenſit; vt ſic appareant ipſi Doctiores, alij verò indocti [vt inquit Plato] & ne amittatur vani nominis ſonus, omittitur, ac gratis impugnatur Veritas. Interroget me Cenſor, vt meorum ſenſum verborum proferam, ſi errraui, corripiat me iuſtè, non mordaci ore, ſed Chriſtiano corde: nam *ſi quid rectè dicere videbitur, qui me reprehenderit, ego primus aſſentiar:* profiteor cum Platone: *Tu ergo antequam loquaris, diſce* (moneo cum Eccleſiaſtico) *& deindè doce*. Denique maiorem Dei gloriam ex animo, non noſtram gloriolam quæramus: Sic Deus pacis, ac veritatis erit nobiſcum; ipſe enim vtriuſque eſt Deus, & quærentibus veritatem, aderit, & perſequentibus pacem, fauebit; Sed. *Plato l. 18. Ethydem.* *Plat. l. 24. Gorgias. Eccl. c. 18.*

XIV. *Vtrùm aliquid inueniamus* (lubet cum Diuo Auguſtino repetere) *nil nobis temerè affirmantibus, lectori bene attendenti, ſatis indicabit ipſa tractatio; latebroſa eſt enim nimis, & quibuſdam quaſi cauernoſis anfractibus ſæpè intentionem quærentis eludit; vt modò velut elabatur è manibus, quod inuentum erat: modò rurſus appareat, & rurſus abſorbeatur. Ad extremum tamen ſententiam noſtram, velut* certior indago *comprehendet, In qua ſi vllus error eſt, cùm ab omni errore veritas liberet, atque in omni errore falſitas implicet, numquam errari tutius æſtimo, quàm cum in Amore nimio veritatis, & reiectione nimia falſitatis erratur. Qui enim ſeuerè reprehendunt, hoc nimium dicunt eſſe. Ipſa autem veritas fortaſsè adhuc dicat, nondum eſt ſatis, Sanè quiſquis legis, nihil reprehendas, niſi cum totum perlegeris, atque ita fortè minus reprehendes. Eloquium noli quærere. Multũ enim de rebus laborauimus, & de celeritate abſoluendi tam neceſſarij quotidianæ vitæ operis: Vndè hactenus nulla fuit nobis cura verborum.* *S. Aug. to. 4. lib de mendacio c. 1.*

ADMONITIO TERTIA.

Querela Recentiorum retorquetur.

I. IN *pace in idipſum* dormiebat Propheta Samuel, quem per Pythoniſſam reuocari ad Vitam inſtitit Rex Saul, ad quem Propheta dixit. *Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer?* Sic Recentior conqueri contra me videtur. Dormiebat (ait) in Domino cum Samuele conſcientia noſtra, tot Doctorum ſopita opinionibus; quare nos inquietas, vt vigilemus ad huiuſmodi Doctrinam, ac veluti inimicus Pacem conſcientiarum noſtrarum perturbas. *Tu ne es igitur ille, qui conturbas Iſrael?* At reſponſum me arguens, ſuggeris: *Reg. 1. c. 28* *Reg. 3. c. 18.*

ris: *Non ego turbaui Iſrael: Sed tu & Domus Patris tui: quia dereliquiſti mandata Domini*, & ſecuti eſtis opiniones hominum; nec
S.P. Galat. æmulor veſtræ paci: *Sed inimicus factus ſum, verum dicens vobis*.
c.4. *Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem; ſed pro Veritate*: de
qua ſic profitetur Dei Filius: *Ego in hoc natus, & ad hoc veni in*
S.P.Cor.2. *mundum; vt teſtimonium perhibeam veritati: Omnis qui eſt ex ve-*
c.13. *ritate* (nota) *audit vocem meam*. Quare tacere auſus non ſum, ne
vnum, & ſi minimum talentum mihi concreditum, abſconderem in
S.Ioan.c.18 terra, in mei damnationem: Non indignemini ergo mihi, nec ſper-
natis diſciplinam; *Sapientiam enim, & diſciplinam, qui abijcit, in-*
fælix eſt, & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inu-
tilia opera eorum: *Nam longè melius eſt* (ait S. Cyrillus Hieroſoli-
Sap.c.5. mitanus) *vt ſordes cognoſcas, & oderis, quam ignorans, in eaſdem*
incidas. Cum *autem quis ab vnica recta excedit via, cum ſæpè nu-*
S.Cyrill. *mero delabitur in precipitia*. Nec bona fides prohibet, ne admonea-
catech.6. mus: Nam (inquit S.Auguſtinus) *ſi ea ſententia fallitur quis, qua*
ædificat ad Charitatem, quæ finis præcepti eſt, ita fallitur, ac ſi quiſ-
quam errore deſerens viam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam
S.Aug to.3. *via illa perducit. Corrigendus eſt tamen, & quam ſit vtilius viam*
de Doctr. *non deſerere, demonſtrandum eſt, ne conſuetudine deuiandi etiam in*
Chriſt.l.1. *tranſuerſum, aut peruerſum ire cogatur*: aſſerendo enim temerè, ac
c.36. adhærendo imprudentèr conceptæ ſententiæ fit vt nec monitus reſi-
piſcat, & inde hæreſes ab oriuntur.

II. Verùm cum Saphar Naamathite obiurgat me iterùm quidam
Recentiorum dicens: *Numquid, qui multa loquitur, non & audiet?*
Et cum cæteros irriſeris, à nullo confutaberis? Dixiſti enim purus
eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpectu tuo. Atque vtinam
Iob.c.21. *Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi? Vt oſtenderet ti-*
bi Secreta Sapientiæ, & quod multiplex eſſet lex eius. Cui ipſe cum
Iob reſpondeo: *Eia docete me, & ego tacebo: & ſi quid fortè igno-*
raui, inſtruite me: quare detraxiſtis Sermonibus Veritatis, cum è
vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me? Ad increpandum tantum
Iob.c.6. *eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis: ſuper pupillum*
irruitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum. Veruntamen
quod cæpiſtis, explete: præbete aurem, & videte, an mentiatur, Re-
ſpondete obſecro; abſque contentione, & loquentes id, quod iuſtum
eſt, iudicate? & non inuenietis in lingua iniquitatem, nec in fauci-
bus meis ſtultitia perſonabit.

III. *Ecce intellexi ſingula ſecundum Scientiam* (proſequar cum
Iob) *veſtram & ego noui: nec inferior veſtri ſum; Sed tamen ad*
Iob.c.13. *Omnipotentem loquar: prius vos oſtendens fabricatores mendacij,*
& cultores peruerſorum dogmatum. Atque vtinam taceretis, vt
putaremini eſſe Sapientes. Audite ergo correptiones meas, & iudi-
tium

Digitized by Google

tium labiorum meorum attendite. Numquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Numquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? Aut placebit ei, quem cælare nihil poteſt? Aut decipietur, vt homo veſtris fraudulentijs? Ipſe vos arguet; Non in varia Opinionum vanitate, ſed in veritate legis ſuæ. Si ergò veram pacem conſequi concupiſcitis, *Veritatem diligite: ait Dominus Omnipotens.* Inſiſtit Recentior, & ſubdit.

Pſal 95.

Zaccar.c.8.

IV. *Index* rudimenta tradit: *quid* autem *prodeſt* (inquit Caſiſta cum Seneca) *aperta monſtrare? Plurimùm. Interdum enim ſcimus, nec attendimus. Non docet admonitio, ſed aduertit; ſed excitat, ſed memoriam continet, nec patitur elabi. Pleraque ante oculos poſita tranſimus. Admonere genus adhortandi eſt. Sæpè animus etiam aperta diſſimulat. Ingerenda eſt itaque illi notitia rerum notiſſimarum; Illa hoc loco in Vatinium calui repetenda Sententia eſt: Factum eſſe ambitum ſcitis; & hoc vos ſcire, omnes ſciunt. Scis amicitias ſanè colendas eſſe; Sed non facis. Scis improbum eſſe, qui ab vxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor vxorum. Scis, vt ille nil cum adultero, ſic nihil tibi eſſe debere cum pellice, & non facis. Itaque ſubindè reducendus es ad memoriam. Non enim repoſita illa eſſe oportet; ſed in promptu; quæcunque ſalutaria ſunt, ſæpè agitari debent; Sæpè verſari vt non tantum nota ſint nobis; ſed etiam parata. Adÿce nunc; quod aperta quoque apertiora fieri ſolent.*

Sen.l.1.ep. 94.pag.775

V. Demùm obijciunt, quod auctoritatibus dicta confirmem, non Rationibus, ſed hæ non deſunt, & Authores ſine ratione non loquuntur, vel aperta, vel ipſi nota. Deindè adductæ authoritates ſolent eſſe vel Sacræ Scripturæ, vel Canonum, vel Sanctorum, vel Sapientum omni exceptione maiorum. Deniquè ne ratio mihi ſoli videretur probabilis, & hallucinarer; aliorum libentèr acquieſco ſenſui, ac iudicio: Nam *Imperitorum, ac tardiorum* (mei ſimilium) *hominum profectò maxima eſt multitudo; qui ſi rationes velint verum comprehendere ſimilitudinibus rationum, facilimè decipiantur*: Me monet D.Auguſtinus in *Tomo primo in libro De quantitate Animæ* Capite *Septimo*: Curo tamen ſylogiſtica ratiocinatione perſtringere potiora.

VI. Chriſtianis Catholicis ſcribo, non Ethnicis, Iudæis, vel Nouatoribus laboro. Verum eſt Chriſti Ieſu Euangelium, cui *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo*, per tot miraculorum Myriades, *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres vnum ſunt*; quod nec falli poteſt, cum Sapientiæ *eius non ſit numerus*, nec fallere; quia *Bonitatis eius infinitus eſt theſaurus*. Propterea *Cælum, & terra tranſibunt* (inquit Ieſus) *verba autem mea non præteribunt. Verba autem quæ locutus ſum vobis, Spiritus, &*

Opuſc. S. Franc. Tom.1.c.21. *vita ſunt. Ego enim ſum via, Veritas, & Vita.*

VII. *Teneamus ergo* (inquit S.Franciſcus) *veram vitam, & doctrinam, & Sanctum eius Euangelium, qui dignatus eſt pro nobis Patrem ſuum, & nomen eius nobis manifeſtare, dicens: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus. Sanctifica eos in veritate,* (nota)*Sermo tuus veritas eſt,*(nota)Non ergo facilè eſt admittenda opinionum Probabilitas, ſed quærenda eſt diſciplina, quæ Euangelio, Summis Pontificibus, Ieſu Chriſti Vicarijs, Sanctis Patribus, Euangelij interpretibus reſpondeat. Nam ſi haurietis aquas ſapientiæ *de fontibus Saluatoris*, ſalutares quoque erunt ſententiæ. *Si Radix Sancta, & Rami.* S.P. Rom. c.11.

VIII. Studendum ergo, vt cum Iob dicat noſtrum quilibet: *Radix mea aperta eſt ſecus aquas*; vt addatur cum Ezechiele: *Erat pulcherrimus in magnitudine. Erat enim Radix illius iuxtà aquas*. adimpleaturque de ea Oſeæ vaticinium dicentis. *Ibunt Rami eius, & conuertentur Sedentes in Vmbra eius*: Nec vmquam cum eodem Propheta dicatur: *percuſſus eſt Ephraim; Radix eorum exſiccata eſt*. Si enim Arbor ſcientiæ noſtræ plantata erit iuxtà aquas Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Sanctorum Patrum, ac Pontificum erit pulcherrima, & fructificabit ad Æternitatem: ſin autem iuxta torrentem humanarum cogitationum, areſcet ad ignem æternum. Curamus ergò, vt tandem perueniamus ad Summam illam Sapientiam [vti dicebat Socrates, & refert Seneca] quæ eſt *Bona, malaque diſtinguere*. At diſcamus à Iob Sanctiore Magiſtro; imò ab ipſo Deo, qui *dixit homini: Ecce timor Domini ipſe eſt Sapientia: & recedere à malo Intelligentia.* Iob c.29. Ezech.c.31 Oſea c.14. Oſea c.9. Sen.lib.1. ep.71. Iob.c.28.

IX. Timeo autem ne priuati hominis, vel ſui Ordinis gloriola, Veritati præferatur, quæ nihilominus præualet in æternum. Ego autem ne huiuſmodi cupido, vel vrgeret ad errores, vel in erroribus obfirmaret, decreueram meum reticere nomen (vt cęperam): Sed nunc cogor edere: *Viuit autem Deus* (cum Iob profiteor); *quia donec ſupereſt halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*. Sed cum Dauid canere exopto: *Non abſcondi miſericoridam tuam, & veritatem tuam à Concilio multo*. Pro qua paratus ſum etiam Palinodiam canere, quæ vt præſtem toto corde, bis Sanctiſſime Innocenti XI. Magiſter veritatis. *Si errau, tu doce me, ſi iniquitatem locutus ſum, vltrà non addam.* Iob.c.27. Pſal 39. Iob.c.34.

X. Pro Methodo Ergo mea breuiſſima in rebus maximè notis huius primæ partis, & *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt Sapiens Architectus fundamentum poſui; alius autem ſuperædificat*; pro ſua multa eruditione, & ex millibus librorum ſupplebit reliqua, quæ huic libello deſunt. Ergò breuitèr commemoro. S.P. Cor.1. c.3.

PARS

PARS PRIMA
FVNDAMENTA VERA.

CAPVT PRIMVM.

Liberum Arbitrium quid poſsit.

I. DEus Optimus Maximus hominem ad ſui Imaginem, & ſimilitudinem conditum, æternæ vitæ deſtinauit, vbi eum *videbimus ſicuti eſt, & ſimiles ei erimus plenè*: vt autem hunc aſſequeretur finem, duabus potentijs eum ornauit, Intellectu ſcilicèt, & voluntate, quæ ſunt veluti bini pedes, vel binæ alæ ſpiritus noſtri, quaſi columbæ. Intellectus, vt duceret voluntatem; voluntas, vt exerceret intellectum, ac eumdem ſequeretur, & ambo ſimul conſtituerent *liberum arbitrium*, à quo boni, malique mores, ſeu actus humani, quibus præmia, vel pænas meremur, procedunt: eodemque propterea paulominus ſumus ab Angelis, ac per idem Arbitrium Deo (& ſi non ad æqualitatem) reſpondere poſſumus. S. Iſidorus Hiſpalienſis ſic definit: *Arbitrinm eſt voluntas liberæ poteſtatis, quæ per ſe ſpontè, vel bona, vel mala appetere poteſt*. *Liberum* verò *arbitrium* dirigendum voluit per viam rectam, vti ſolet Deus; quarè dicit Sapiens: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas*. Recta autem via eſt voluntas Dei: vndè Danid Deum obſecrabat, dicens: *Doce me facere voluntatem tuam*; voluntas verò Dei per leges nobis innoteſcit, de quibus erit agendum; verùm prius ſtatuendum eſt, quod.

Ariſt. Eth. l.6.c.2.

S. Iſid. different. l.1. c.27.

Sap. c.10.

Pſal. 142.

CAP.

CAP. II.

Vt bona ſit actio, non ſufficit bona intentio; ſed boni etiam medij requiritur electio.

I. BOna intentio eſt veluti Sol, qui illuminat omnia; verùm ſicuti Sol, ſi ſolus aſpiciatur, nec inſpiciantur pedes, offendet viator. Sic, qui vnum intendit bonum finem, nec quibus medijs ſit comparandus, conſiderat, offendet: non enim liberum eſt, quælibet media eligere, etiam ad bonum finem: quamobrem dicit S.Paulus: *non ſunt facienda mala, vt veniant bona*: & S. Euangeliſta Mathæus refert dixiſſe Ieſum: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit*. Vt autem ſimplex ſit oculus (inquit S.Bernardus) duobus indiget. *Videte* (inquit Sanctus) *ne fortè non ſit verè oculus ſimplex, qui fallitur. Fallitur enim tàm qui bonum malum, quam qui malum bonum putauerit. Scitis autem neutrum horum Væ illud euitare Propheticum; Væ qui dicitis bonum malum, malum bonum. Ego verò, vt interior oculus verè ſimplex ſit, duo illi eſſe, arbitror, neceſſaria. Charitatem in Intentione, & in Electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam*. Hoc idem repetit alibi dicens: *duo quædam in intentione* (quam faciem animæ eſſe diximus) *neceſſaria requiruntur. Res, & cauſa; ideſt 1. quid intendas, & 2. propter quid*: D.Bernardo conſentit S.Gregorius Papa: *cuſtodit, & non declinat, qui hoc, vbi intendit, operatur. Cuſtodire quippè per intentionem eſt non declinare per operationem*.

S.P.Rom. c.3. S.Math.c.6 S.Bern.de Præcep. & diſpenſ c.2. Iſa.c.5. S.Bern.ſup. Can ſer.40 S.Greg. mor.l.16.c. 16.

II. Ex his ſanè duobus animæ decor, vel deformitas indicatur. Finis namque eſt veluti forma in moralibus (vt inquit Sanctus Thomas): Forma autem requirit materiam benè diſpoſitam: ſic & finis conuenientia media. Huic adſtipulari Doctrinæ S.Ambroſius videtur dicens: *Gemina virtus in homine perfecto eſt; vt & intentio ſit, & actio, Finis intentionis eſt actio, principium actionis intentio*, nec ſibi diſſidet ſic alibi ſcribens: *Quia Imago Dei es, in corde tuo eſt, ſit & in operibus tuis, ſit effigies Euangelij in tuis factis, vt in tuis moribus mea præcepta cuſtodias*. Luculentius S.Auguſtinus hanc tradit Doctrinam, & referimus infrà.

S.Tho. 1.2. q.23.ar.8. S.Ambr.ſō-mēt.in Luc. Proem. & in Pſalm. 118.ſer.22.

III. Hæc doctrina hiſce Chriſti verbis declaratur. *Venit hora quando omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*;

S.Io.c.16.

& ni-

& nihilominùs peccabant ; vt ipſemet Ieſus aſſerit eodem capite : Ergo non ſufficit bona intentio ; ſed requiritur boni electio medij , ad bonum finem conſequendum . Rex Saul bonam habuit intentionem ſacrificandi Deo , & tamèn reprehenſus fuit à Propheta Samuele , quod ſtultè egerit , cum quo ſociantur tres Othones Imperatores apud Baronium . Pilatus quoque flagellando Dominum (inquit S. Auguſtinus) bonam habuit intentionem liberandi eum à morte , nihilominùs malè egit . Sancto Paulo bona erat intentio perſequendo fideles , propter zelum paternarum traditionum (vt ipſemet ſcribit ad Galatas) & tamen peccabat . Amalecites ille interficiens Saulem iam morti proximum , arbitrabatur obſequium ſe præſtare Regi enixè precanti , ac iubenti ; nihilominus reum mortis ſe fecit . Dato autem , & non conceſſo , quod ſola bona *intentio* ad opus bonum ſufficeret , quis de huiuſmodi certior eſſe poteſt ? Hæc enim obijcitur menti , & ſæpiùs eſt inordinata , vel minus recta intentio mentitur bonam , nec diſcernitur : vndè à D. Paulo ſcribitur ad Hebræos , quod ipſe Deus eſt , *Diſcretor cogitationum , & intentionum cordis* : nam bonæ intentionis nomen , & facies eius eſt ſicut Sol , in cuius intuitu hallucinatur oculus . *Vide* ergò *ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint* (admonet apud S. Lucam Ieſus Chriſtus) . Nam *Prauum* (inquit S. Bernardus cum Ieremia) *cor hominis , & imperſcrutabile , ità vt nemo ſciat , quæ ſunt in homine , niſi ſpiritus , qui in eo eſt : ſed nec ipſe plenè : nam cùm Apoſtolus diceret :* Mihi pro minimo eſt ; vt à vobis iudicer , aut ab humano die , adiecit : ſed nec ego me ipſum iudico . *Quarè ? Quoniam non poſſum* (ait) *ratam , vel ipſe de me proferre ſententiam* . Ego enim nihil mihi conſcius ſum ; non tamen in hoc iuſtificatus ſum . *Non ex toto credo me , vel ipſi conſcientiæ meæ , quippè cum nec ipſa quidem queat me comprehendere totum ; nec poteſt iudicare de toto , qui totum non audit* . Qui autem iudicat me Dominus eſt . *Beatus igitur homo , qui ſemper eſt pauidus* : concludere videtur cum Salomone idem Sanctus . Regula denique viuendi , & lumen verum eſt ; de quo Dauid canit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum , & lumen ſemitis meis* ; quod in ſcripturis , ac cæteris legibus affulget , vt infrà .

Reg. 1. c. 15. *Bar. an. ... n. 6.* *S. Aug. in Pſal. 5.* *Galat. c. 1.* *Reg. 2. c. 1.* *D. P. ad Hebr.* *S. Luc. c. 11.* *S. Bern. ep. 42. vel Tr. de moribus Epiſc. c. 6.* *Ier c. 17.* *D. P. Heb. c. 4.* *Prou. c. 28.* *Pſalm. 118*

IV. Demùm meminiſſe debemus quod *Prudentia* tot encomijs à Sanctis , & Ethnicis , elata ad ſydera , adeòque neceſſaria vitæ , cæteriſque virtutibus , tota fere eſt , non in proponendis Finibus , qui ab alijs virtutibus intenduntur ; ſed in diſpoſitione mediorum ad Fines ; videlicet an 1. *liceant* ; 2. an *expediant* ; 3. an *ædificent* ; quæ tria ab Apoſtolo Paulo conſiderabantur ; vt ipſemet ſcripſit ad Corinthios , dicens : *Omnia mihi licent : ſed non omnia expe-*

S. P. Cor. 1. c. 10.

Digitized by Google

expediunt : omnia mihi licent : ſed non omnia ædificant . Caueamus igitur ne nos decipiat ſola intentio finis , vel directio intentionis ad bonum finem ; quoniam hæc non eſt ſatis ; ſed requiritur etiam , vt media ſint proportionata fini iuxta leges ; quare de *legibus* agendum eſt .

De intentione , eiuſque prærogatiuis agimus in Par.4.c.9.

CAP. III.

Lex Aeterna.

Paralip.l. 2.c.34. I. TEmporibus Ioſiæ Regis Iuda , neglectum in Templo Domini *librum legis*, reperit Helcias Sacerdos , quem Regi obtulit ; vt populis iterum proponeretur ad vitæ normam , morumque regulam ; ſic *accidere videtur* noſtris hiſce temporibus . Nam *liber legis* adeò negligi videtur ob emergentes laxas opiniones , vt propterea expediat eum denuò proponi hominibus . Idcircò *de legibus* ſummatim diſſerimus , & in primis *de lege æterna*, quæ legum exemplar , ac liber prototypus earum eſt : *Lex verò æterna eſt Diuina mens* , quatenus ordinat omnium creaturarum actus , & motus ad ſuos debitos fines . Vt igitur cæterarum legum libri ſint authentici , actioneſque creaturarum legitimæ , Deoque gratæ fiant , conformes legi æternæ eſſe debent : nam amicitia Dei (inquit S.Petrus apud S.Clementem Papam , & Martyrem , *efficitur benè viuendo , & voluntati eius obediendo , quæ voluntas omnium viuentium lex eſt* . *S. Clem. l.1.Recog.*

II. Verùm quis aſſequi valet Dei mentem , *& quis cognouit ſenſum eius* ? (inquit S.Paulus) *incomprehenſibilia namque ſunt iudicia eius* . Ergò lex æterna Dei in ipſius mente deſcripta latet in tenebris , quas Deus *poſuit latibulum ſuum* . Quamobrem ne lateret , ſed innoteſceret, *Dixit Deus de tenebris lucem ſplendeſcere* , & mundo illuxit huiuſmodi lex in cæteris legibus , quæ ſunt veluti radij Solis æterni , & riuuli fontis ſapientiæ Dei : *Omnes enim leges à lege æterna deriuant* : (ait S. Thomas) Illucet autem præcipuè in lege naturali : vndè ortum eſt illud effatum : *Opus naturæ eſt opus intelligentiæ* , quod à D.Auguſtino ſic comprobatur : *Quidquid naturalitèr eſt , à Deo eſt* . *S.P.Rom. c.12.* *S.Tho. 1.2. q.93.ar.3.* *S.Aug. de Ciu. Dei l. 5.c.11.*

CAP.

CAP. IV.

Lex Naturalis.

I. LEx æterna indita naturæ, veluti irradiatio quædam Solis æterni, aliud nanciſcitur nomen, appellaturque *lex naturalis*, *ſeu Ius naturale*. Hinc homo, cum ſit animal, edoctus eſt etiam naturalem animalium legem. Eſt autem *Ius naturale* (vt inquit Imperator) *quod natura omnia animalia docuit*. *Ius enim iſtud, non humani generis proprium eſt; ſed omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur*.

L. 1. Inſt. §. 3. ff. de iuſt. & iure inſtit l. 1. tit. 2. de iure naturali.

II. Hinc procedit ſui conſeruatio, ac defenſio; vim vi repellendo. Hinc deſcendit maris, & fæminæ coniunctio, liberorum educatio. Videmus enim cætera quoque animalia iſtius Iuris eſſe perita. Ius iſtud, cum ſit in natura communi inſitum, omnibus ineſt, ac immutabile eſt, cum natura ipſa, quæ etſi in indiuiduo corrumpatur, in ſpecie tamen immutabilis perſeuerat.

De hac diſſerunt.

D. Thomas 1. 2. q. 94. tota.

Gratianus in Decretis diſt. 1. c. 6. 7.

CAP. V.

Lex rationis naturalis.

I. HOmo animal eſt; ſed rationale; ratione namque natum eſt omnia peragere. Eſt autem *ratio* (vt ait Seneca) *nihil aliud, quam pars* (vt ita dicamus) *diuini Spiritus merſa in corpus humanum*; *Eſtque ratio arbitra bonorum, & malorum*; & bonum ſine ratione nullum eſt: *ſequitur* namque *ratio naturam*, *& eſt ratio naturæ imitatio*; imò eſt quaſi quidam veluti radius Diuinitatis, qui non ſolum naturam rectam, ſed naturæ auctorem ſequi docet abſque alio Magiſtro. *Signatum enim eſt* (inquit Dauid) *lumen vultus tui ſuper nos, quod oſtendit nobis bona*. Lumen ſcilicèt rationis naturalis. Proptèr quod dicit S. Paulus, quod Gentes *ipſæ ſibi ſunt lex*.

Sen. ep. 66.

Pſal. 4.

S. P. Rom. c. 2.

II. *Hominis autem bonum eſt eſſe ſecundum rationem*; *malum verò eſſe præter rationem*; vt docet D. Thomas cum Diuo Dionyſio. Hæc lex vocatur *Ius gentium* primæuum; quia ſolum Gentibus eſt

S. Tho. 1. 2. q. 71. ar. 2.

D. Dion. de Diuinis nominibus c. 4. circa finē

D com-

commune, & primo mundi æuo, ac ætate, & in ſtatu innocentiæ regnaſſet omninò. De hac lege loqui videtur Ariſtoteles dicendo: *Lex iubet vnius cuiuſque virtutis viuere ratione, & vetat cuiuſvis vitÿ viuere modo*: De hac potiſſimùm loquebatur Criſippus dicendo [vt refert Imperator] *quod lex omnium diuinarum, & humanarum rerum eſt Regina: quam oportet eſſe Præſidem, Principem, ac Ducem; vtpotè regula Iuſtorum, & iniuſtorum; præceptrix faciendorum, ac probibitrix non faciendorum*. Arridet Plutarcus ſic: *Ad Principem ineruditum: lex omnium Rex mortalium, atque immortalium* (vt ait Pindarus) *non ea foris ſcripta in libris, aut lignis inſculpta: ſed viua in corde Ratio. Non enim ob tempus vitæ Beatus eſt Deus; ſed virtutis, principatu. Id enim Diuinum eſt, & pulchrum id ipſum, quod ab ea regitur*. Plutarco adſtipulatur Lactantius Firmianus cum Cicerone: *Suſcipienda* (ait) *Dei lex eſt, qua nos ad hoc iter, ſcilicèt ad ſummum ſapientiæ, virtutiſque portum, ſine vllo errore perducat, illa Sancta, illa Cæleſtis, quam Marcus Tullius penè diuina voce depinxit; cuius ego ne plura dicerem verba ſubieci: eſt quidem vera lex, Recta Ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat. Vnus erit* (huius legis) *communis quaſi Magiſter, & Imperator omnium Deus*. Eſt enim eadem *lex ſynderesis*, quam D. Thomas dicit eſſe habitum *primorum principiorum moralium*. Hanc ſequi, eſt virtutem colere; vt cum Seneca docet Clemens Alexandrinus: imò, & D. Bernardus: *virtus* (ait) *eſt filia rationis: ſed magis gratiæ*, huiuſque cognitio eſt vera Philoſophia, vt cum ijſdem dicit Imperator.

L. 1. Iuris §. 4 ff. de iuſtitia, & iure.
Ariſt. Eth. l. 3 cap. 2.
Imp. l. nam ff. de legib.
Plut. p. 2 ad Princip. inerud.
Lactant. de vero cultu l. 6. c. 8.
Marc. Tul. l. 3 de Rep.
S. Tho. 1. p. q. 79. ar. 71.
Clem. Ale. Pedag. l. 1 c. 13.

III. Huius legis præcepta ſunt *Religio* ergà Deum, cum nulla ſit tam barbara gens (vt ait Cicero) quæ Deitatem non adoret; 2. *Amor* ergà proximum nam præcipit, vt *quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, & quod tibi vis fieri, alteri facias*: vt cùm ſint omnes homines vno parente geniti, vnum ſint amoris vinculo: vt ait Plato apud Ciceronem; nam *amor eſt primum* naturæ rationalis, imò Dei *Præceptum*, & *finis* omnium aliarum legum, quæ vel remouent prohibentia amorem, vel præcipiunt, quæ ad amorem diſponunt, & inducunt; 3. *Affectus erga virtutes*: hinc dicit Ariſtotiles, *quod mens omnis expetit, quod eſt optimum ſibi*: nec aliud eſt virtus, quam recta ratio (inquit Seneca): Vndè liquet quod *rationabilitèr viuere, eſt virtuosè viuere*. Eſt enim *virtus habitus electionis in mediocritate conſiſtens ea, quæ eſt ad nos; vt definit recta ratio, & vt definierit ipſe prudens*: inquit Ariſtoteles.

Imp. l. iur. ff. de iuſt. & iure.
S. Bern. ſer. ad vita ſolitaria ad Fratres de monte Dei circa finem
L. 1. velut ff. de iuſt. & iure.
Cic off l. 1.
Ariſt. Eth. l. 9. c. 8.
Ariſt. Eth. l. 2. c. 6.

IV. Virtus ſiquidem eſt mediocritatis amatrix, vt nec plus, nec

minus

minus quis agat; quam ab vnoquoque Ratio recta, hoc eſt, quæ iuxtà luminis naturalis dictamina, dictat, ac diſcernit. Operatio namque hominis, vt homo eſt, non eſt ſine ratione, repetit Ariſtoteles. Rationalitas ſiquidem eſt differentia hominis à cæteris animalibus. Huius autem præcipuè præcepta ſunt (vt diximus) quæ Tobiæ Filio tradidit Pater, nimirùm: *quod ab alio fieri tibi non vis, vide ne tu aliquandò alteri facias.* *Omnia* (ait Chriſtus) *quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et hæc D. Matthæi verba ſunt explicatio mandati: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; vt inquit D. Thomas.

Ariſt. eth. lib. 3. c. 6. *Ariſt. eth. l. 1. c. 7.* *Tob. c. 4.* *S. Mat. c. 7.* *D. Tho. 1. 2. q. 99. ar. 1. ad 3.*

CAP. VI.

Ius Gentium ſecundarium.

I. HOmo, *cùm in honore eſſet* (inquit Dauid) *noluit intelligere; vt benè ageret*, obtemperando Dei præcepto; Hinc vno inconuenienti dato, plurima alia contigerunt. Namque peccante primo Adamo, vniuerſa penè euerſa eſt rerum temperies, ac perturbatus eſt legum ordo: quamobrem Gentes, vt tot, tantiſque emergentibus malis occurrerent, plurima pro temporum neceſſitate, ſanxerunt, quæ prima facie iuri naturali videntur repugnare: verùm non repugnant; ſed inſeruiunt; In pluribus namque Ius naturale ſe habebat negatiuè, ac indifferentèr, nihil poſitiuè decernens: & in alijs, de duobus malis minus malum, quaſi bonum, eligendum eſſe cenſuerunt; & hæ conuentiones *Ius Gentium ſecundarium* appellatur: *Ius Gentium*, quia Gentibus, non animalibus eſt proprium; *Secundarium*, quia ſecundum eſt à præcedenti, & ſecundo loco ratio naturalis, proptèr neceſſitatem communis boni, dictauit eſſe amplectendum.

Pſal. 48.

II. *Ex hoc iure Gentium introducta ſunt bella ad ſui tutelam, & ad improborum audaciam coercendam: diſcretæ gentes, Regna condita; Dominia diſtincta: Agris termini poſiti: ædificia collocata, commercia, ac commutationes: venditiones, emptiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ: exceptis quibuſdam, quæ à iure ciuili introducta ſunt*: cui concordat decretum Gratiani, deſumptum ex S. Iſidoro ità ſcribente: *Ius Gentium* (ait) *eſt ſedium occupatio, ædificatio, munitio; bella, captiuitates, ſeruitutes; Poſtliminia, Fœdera; Paces, induciæ, legatorum non violandorum religio: connubia inter alienigenas*

L. ex hoc ff. de Iuſt. & iure.

Gratian. diſtin. 1. c. 9 Ius Gentium.

genas probibita. *Hoc indè Ius Gentium appellatur, quia eo iure omnes ferè Gentes vtuntur*.

CAP. VII.

Lex Decalogi.

D.P. Rom. c.7. I. HVmani generis Intellectus ob peccati caliginem, ac paſſionum fumum adeò caligabat; vt plerumque ignoraret quid bonum, quidue malum, vt de ſeipſo fatebatur D. Paulus: *Peccatum non cognoui niſi per legem*: Imò bonum malum, malum bonum dicebant, (vt inquit Iſaias); quare Deus naturæ, ac legum omnium conditor, dignatus eſt ipſemet eſſe interpres: nam duabus tabulis lapideis Moyſi traditis, velut duplici lege, vel potius duplici vnius legis parte, ergà Deum tribus præceptis, ſeptem alijs ſecundæ tabulæ declarauit legem rationis naturalis, cultum ſcilicèt Dei, & amorem proximi: addidit indè alia mandata, ac præcepta *moralia*, *iudicialia*, & *cærimonilia* ſimul, vocaturque *lex Decalogi*: lex ſcilicèt decem ſermonum, ſeu mandatorum. (Iſa.c.5.)

Pſal. 118. Pſal. 16. II. De hac potiſſimùm canebat Dauid: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*; & iterùm, *lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, Sapientiam præſtans paruulis. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*; vt declinemus à malo, & faciamus bonum, iuxtà propheticum monitum. Primo primæ tabulæ præcepto præcipitur nobis *Fides*. Nam *veri adoratores adorant Deum in ſpiritu, & veritate*. Scilicèt *Fide*. Præcipitur item Spes, & Charitas, ſicut & alijs præceptis indicitur Religio, ac proteſtatio per aliquos actus, quod Deus ſit omnium Auctor, & omnium habet prouidentiam. (S. Ioa.c.4.)

III. Vnumquodque præceptum duas habet partes: vnam *apertam*, & aliam *implicitam*: vna eſt affirmatiua, negatiua altera; ideò tribus præceptis prohibetur Infidelitas, deſperatio, odium Dei, & omnis ſuperſtitio, vt docet Cathechiſmus Romanus, & D. Thomas; & S. Hieronymus de Duplici Præceptorum genere affirmatiuorum, vel negatiuorum meminit ad Celantiam. (Catech.p.3. Præcept. S.Tho.2.2. q.93.art.1. S.Hier.ad Celantiam Ep.10.l.2.)

CAP.

CAP. VIII.

Lex Euangelica.

I. CReſcebat humani generis cæcitas, ac malitia, ſed & creuit
Dei bonitas; nam cùm multifariàm, multiſque modis lo-
quutus fuiſſet Deus Patribus per os Sanctorum, qui à ſæculo
ſunt Prophetarum eius, nouiſſimè loquutus eſt nobis in Filio, qui
eſt *Fons Sapientiæ in Excelſis, & qui factus eſt nobis paruus Fons
exiliens è terra, qui creuit in fluuium, ac lucem; & in Solem* Eccl.c.1.
conuerſus eſt (vt dicitur Eſther). Eſt enim Chriſtus Sol Iuſtitiæ, Eſth.c.10.
ac luminis fons, & *luminum Pater*: Quamobrem ſplendore ſuæ
doctrinæ, *legem Euangelicam* promulgauit, quæ præcipiendo,
dat vires obediendi, ac proferendo lumen præſtat, & gratiam:
vndè *lex gratiæ* dicitur, ac *lex Amoris, & Filiorum*, quemad-
modum *lex Moyſis* appellabatur *lex timoris, ac ſeruorum*.

II. Lex autem Euangelica explicat Moſaycam, & illuſtrat natu-
ralem; & vniuerſa lex iſta duobus præceptis perſtringitur, ac cæ-
teras leges ipſa perſtringit. Sunt autem hæc; 1. *Diliges Dominum* S.Math.c.
Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota men- 22.
*te tua, & 2. Proximum tuum ſicut teipſum: in his enim duobus
præceptis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ*: Quinimò vno præ-
cepto conſtat lex Euangelica, nimirùm, *Diliges*. Vnus namque
eſt *Amor*, qui fertur in Deum, & proximum; vnuſque Amor vni-
uerſam Scripturam epilogat, ac recapitulat, vti ipſemet Dominus
teſtatus eſt B. Catharinæ Genuenſi. Hinc dixit S.Gregorius Pa- B.Cath.
pa: *Omnia vnum præceptum ſunt*: ac S.Paulus: *plenitudo legis* vit.c.6.
eſt dilectio, & quidquid Scriptura docet, ordinatur ad Charita- Hom 27.in Euang.
tem, vt inquit D. Auguſtinus: imò D. Paulus aſſerit: quod *Fi-* D.P.Tim.
nis præcepti eſt Charitas. Omnis igitur lex ad Charitatem diſpo- 1.c.1.
nit, & Charitas omnia præcepta amplectitur, vt radix ramos, in- S.Aug.l.de Doct.Chr.
quit D.Gregorius Papa. c.35.36.

III. Verùm vti Sol prius lucet, indè ardet; ſic prius lucet in S.P.Tim.
anima Fides, deindè ardet Amor Dei, & Proximi. Hinc lex E- 1.c.1.
uangelica in primis præcipit Fidem dicens: *qui non crediderit, con-* S.Greg.ho. 27.in Eu.
demnabitur: nam *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*: inquit San- S.Mar.c.6.
ctus Paulus. S.P.Heb.c. 11.

CAP.

CAP. IX.

Lex Eccleſiaſtica, ſeu Ius Canonicum, ac Pontificium.

I. DEus *omnia diſponit in pondere, numero, & menſura*, & ipſius ſapientia attingit *à fine vſque ad finem fortitèr, & diſponit omnia ſuauitèr*. Hinc iuxtà vires, ac captum diſcipulorum ediſſerebat myſteria, & edicebat præcepta Chriſtus. Cùm autem rediturus eſſet ad Patrem, reliquit in Petro datæ ſibi omnis poteſtatis in Cælo, & in terra Vicariatum, ac inſtituit Pontificiam dignitatem; cuius lingua, ſuis temporibus, reliqua declararet, ac præciperet, quæ ad æternam animarum ſalutem pertinerent. Huiuſmodi autem declarationes, vel conſtitutiones à ſucceſſoribus Petri editæ, appellantur *lex Eccleſiaſtica*, ſeu *Ius Canonicum, ac Pontificium, & præcepta Eccleſiæ*. Nam Summus Pontifex habet à Deo *clauem ſcientiæ*, vt dirigat fideles, & *clauem Poteſtatis*, vt obliget, & cogat; quæ ſunt duæ præcipuæ partes legis (vt docet D. Thomas) & propterea *Canonum ſtatuta* (inquit Pontifex) *cuſtodiantur ab hominibus, & nemo in actionibus, vel in iudicijs Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur*. Et Concilium Tridentinum ſic repetit: *Sciant vniuerſi Sacratiſſimos Canones, exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indiſtinctè obſeruandos*.

Sap. c. 11. Sap. c. 8. S. Mat. c. 28. D. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 4. 5. C. Canonũ de conſt. Trid. ſeſſ. 25. c. 18. Idem dicitur c. Romano. C ſi omnes diſt. 19. c. enim vero.

II. Triplex eſt autem ratio conſtituendæ legis in Principe: prima *edictum*: eſt autem *edictum* (inquit Theophilus) *quidquid ex ſua natura motus Princeps ſtatuit ad honeſtatem, & vtilitatem ſubditorum*. Dicitur autem *edictum* ab *edicendo*, quod prædicere ſignificat, & obuiam ire rebus, quæ ſi contingant, damno, aut dolori ſint ſubditis futuræ; 2. Conditur etiam lex Principis, quæ generali nomine *Conſtitutio* vocatur *per Epiſtolam, quæ eſt Reſcriptum Principis ad relationem magiſtratus alicuius de re quapiam dubia emiſſam*. Conſtituitur etiam lex per *Decretum*, *quod eſt ſententia Principis inter duas partes, de quarum ipſe cauſa cognoſcit*, indicat pronunciata, diciturque *decretum à decernendo*, quod diſcipere ſignificat. Differt autem *Decretum* Principis ab alijs Decretis, eo quod iſtud dirimat eam ipſam, & aliam ſimilem cauſam, quocumque tempore exortam.

C. ſi quis cauſa 1. q. 7. Theoph. Inſt. l. 1. tit. 2. §. ſed &. L. 3. c. de legibus gloſa ibi c. vt circa v. perpetuo de electione.

III. Comprehendit autem lex Canonica *Decretum* Gratiani: *De-*

cre-

cretales Gregorius IX. à Sancto Raymundo de Pennafort collectos iu quinque libros: *Sextum Decretalium* a Bonifacio VIII. *Clementinas* Clemens V. *Extrauagantes communes, & Ioannis XXII. Concilia Bullaſque* omnes, vt dicit Nicolaus Papa, & cum eo Marcellinus, & Damaſus item Papa apud Gratianum. Quanti facienda ſit lex Eccleſiaſtica in moderandis conſcientijs declarant Sanctus Raymundus in ſua *Summa* Raymundina, Sanctus Antoninus in ſua pariter *Summa*, & Beatus Angelus à Clauaſio in ſua *Summa Angelica*, & Sanctus Thomas eiuſdem auctoritate confirmantes ſuas reſponſiones ad Caſus Conſcientiæ. *Nicol. c. ſi Romanor. diſt. 19. Marcellin. c. omne & Damaſ. c. omnia c. 25 q. 1.*

CAP. X.

Lex Ciuilis, ſeu Ius Cæſareum.

I. D*Ei perfecta ſunt opera* (vt inquit Moyſes); Idcircò quemadmodum Papalem pro animabus, ſpiritualique, ac æterno bono conſtituit auctoritatem; Sic pro corporibus, temporalique populorum commodo conſtituit Reges, & Imperatores, quaſi Dei miniſtros: vt ait Sapiens dicens: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Hanc agnouit, & docuit Plutarcus veritatem, ſic *ad Principem ineruditum*, ſcribens. *Iuſtitia legis eſt finis, lex Principis opus. Princeps Dei imago omnia digerentis, neque is opus habet Phidia, qui fingat: ſed virtutis opera ſeipſum Deo quam ſimilimum facit, iucundiſſimumque ſpectatu opus, & Dijs Chariſſimum. Quale verò elegantiſsimum in Cœlo ſimulachrum ſui Deus Solem, atque Lunam infixit: tale in Ciuitatibus eius exemplum eſt, atque lumen Princeps. Iura Dei ſimilis, qui dat mortalibus æqua, ſcilicèt recta præditus ratione, idque habens Diuinum, non ſceptrum.* Hanc à Deo delegatam poteſtatem agnouit Imperator Iuſtinianus, ſic profitendo: *Diuinæ quidem res perfectiſsimæ ſunt. Humani verò Iuris conditio ſemper in infinitum decurrit, & nihil eſt in ea, quod ſtare poſsit perpetuò: Multas enim formas edere natura nouas deproperat: ideò Imperialem fortunam rebus humanis Deus præpoſuit, vt poſsit omnia, quæ nouitèr emergunt, emendare, componere, & modis, & regulis competentibus tradere.* *Deut. c. 32. Prou. c. 8. L. tant §. 18. H. ſi. Iuris a Iuſtiniano compoſita. Plut. p. 2. Ad princ. inerud.*

II. Infinita namque ſunt indiuidua facta, ac plures ſunt caſus, quam leges, *nec poſſunt* (vt inquit Imperator) *omnes articuli ſingillatim, aut legibus, aut ſenatu conſultis comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is qui, Iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ità ius dicere debet. Nam neque* le- *L. 12. Non poſſunt ff. de legib. L. neque ff. de legib. L. nā vt ff. de legib.*

leges (ait idem Imperator) *neque Senatus conſulta, ità ſcribi poſſunt, vt omnes caſus, qui quandòque inciderint, comprahendantur; ſed ſufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri: nam (vt ait Pedius* ſequitur Imperator) *quotiès lege aliquid vnum, vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt cætera, quæ tendunt ad eamdem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè iuriſdictione ſuppleri.*

C. Intelleximus de noui operis nũciatione

III. Pontifex autem, & Reges ſibi inuicem conſentire debent, ſicut Spiritus, & Corpus, vt viuat homo; quarè (inquit Pontifex) *ſicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari: ità & Sacrorum Statuta Canonum Principum conſtitutionibus adiuuantur.*

CAP. XI.

Lex Manifeſta.

Prou. c. 6. C. erit autẽ diſt. 3. Greg. c. quoniam de conſtit. Sen. ep. 94. Inſt. de fide c. Hered. §. ſed quia L. 8. ſicut ff quibus modis pignus, & hipotb. c. ad hæc de dolo & C. dilecti de iudicijs. S. Greg. moral. l. 9. c. 6. D. Th. 1. q. 1. ar. 9. L Maſcar. de arte hiſtor. tr. 5. c. vlt. Ariſt. eth. l. 1. c. 3. L. nemo ex his §. 2. C. de aſſeſſoribus.

I. LEx *lux eſt* (vt inquit Sapiens). Ergò erit clara. Hinc cum S. Iſidoro Hiſpalenſi dicit Summus Pontifex. *Lex erit manifeſta, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat: nam conſtitutio Sedis Apoſtolicæ* (inquit Gregorius Nonus) *nihil debet obſcurum, vel ambiguum continere.* Eiſdem conſonat Seneca dicens: *legem breuem eſſe oportet, quò faciliùs ab imperitis teneatur, veluti miſſa diuinitùs vox; Iubeat non diſputet.* Hinc (ait Imperator) *nobis in legibus magis ſimplicitas, quam difficultas placet*; & idcircò non vult quod *ſubtilitates* à Iudicibus *admittantur*, & Summus Pontifex eadem confirmat dicens: *Rigor, & diſtrictio iuris non requiritur, nec ſubtilitèr, ſed ſimplicitèr, & purè procedendum erit. Nam & Scriptura Sacra* (inquit S. Gregorius) *idcircò eiſdem vocabulis vtitur, vt res quas inſinuare appetit, notitia vſitatæ appellationis exprimantur.* Eadem aſſerit D. Thomas; quamobrem Auguſtinus Maſcardi dicit: *quod in agilibus non eſt opus metaphiſica; & quod præcepta debent eſſe clara, & probabilia; quia genus ſunt legum, et ſi priuatarum, & ſubtilitates non proſunt in praxi*: vndè.

II. Ariſtoteles quoque docet: *quod moralia moralitèr, craſſo modo, ſcilicet ſunt tractanda*, & à dicentibus, & ab audientibus: Sicut Mathematica mathematicè. Vtrique autem diſciplinæ noceret is, qui moralia mathematicè, & Mathematica moralitèr tractare vellet. Hinc dicit Imperator quod: *In legem committunt, & hi, qui vigorem eius ſcrupuloſis, & excogitatis artibus eludere feſtinant, & propterea contra eum, qui legem dicere potuit apertius eſt interpretatio facienda*, vt inquit Pontifex. Idem videtur

gni-

Digitized by Google

ſignificare Sapiens dicendo quod : *qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt*. Eadem ſentire videtur S.Franciſcus Saleſius.

Eccl.37. *S.Franc. Sales l.3. ep.12.lib 4. ep.63.*

III. *Verba igitur intelligenda ſunt iuxta ſubiectam materiam*, & cùm lex ſit in materia morum, & hæc proponatur populo, cuius maior pars indocta eſt, debet huius captui accommodari, nec ſublimitèr loqui, *ità vt omnes qui audiunt, ſequi poſſint, & intelligere, quæ dicuntur*: ſic definit S.Clemens Papa, & Martyr, & cum eo S.Hieronymus apud Gratianum: *Eccleſiaſtica* (ait) *interpretatio, etiamſi habet eloquij venuſtatem, diſſimulare eam debet, & fugere, vt non otioſis Philoſophorum Scholis, paucisque diſcipulis; ſed vniuerſo loquatur hominum generi*. *Numquam enim* (inquit Arnobius) *veritas ſectata eſt fucum, neque quod exploratum eſt, ac certum, circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem: hinc Eſdras diſtinctè, & apertè ad intelligendum* (vt ait Scriptura) Dei mandata proponebat Hebræis.

S.Clem. P. l.1. Recog. circa princ. *Gratian. diſt.38. c. 15.* *Arnob.l.1. contra Gentiles circa finem.* *Eſdr.l.2.c. 8.*

IV. Igitur meminiſse etiam oportet *quod habent ſuos terminos ſingulæ Artes, & Scientiæ* (vt docet etiam Cardinalis Bona, & Ioannes Caramuel) *Termini logici logicè; Termini morales moralitèr erunt intelligendi, & explicandi*. Nam voces, & termini habent ſuam vim ab hominum placito, quod in hac, vel illa Arte, aut ſcientia ſic, vel ſic vult intelligi verba, ac voces: qui autem vellet vſurpare, vel intelligere voces præter hominum inſtitutionem, fieret ſanè confuſio linguarum; ſicut accidit in conſtructione Turris Babel. *Habet enim* (inquit S.Auguſtinus apud Gratianum) *omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, abſurda videntur*.

Bona de diſcret.ſpirituũ c.20. *Caram. Theol.fundam.p.2.n. 51.* *Gen.c.11.* *Grat.diſt. 38.c.14.*

CAP. XII.

Promulgatio legis.

I. M*andatum*, ſeu *lex lucerna eſt* (ait idem Sapiens). *Nemo autem accendit lucernam, & in abſcondito ponit, nec ſub modio, ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant, & luceat omnibus, qui in domo ſunt*. Ergo lex promulgabitur, & proponetur populis, per promulgationem, tamquam lucerna, vt omnes lumen videant, & ambulent Gentes in lumine eius. Nam ſolemnis promulgatio ſerium indicat legiſlatoris animum obligandi ſubditos, vt faciant verbum eius. Item Lex eſt menſura, & regula actuum humanorum; aplicanda igitur erit voluntati actuum humanorum, fonti, ac principio per intellectum

Prou.c.6. *S.Luc.c.11.* *S.Mat.c.5.*

(vt inquit D.Thomas): *Secùs voluntas non fertur in incognitum*: iuxtà illud: *nihil volitum, quin præcognitum, & voluntarium eſt, quod procedit à cognoſcente ſingula*: ait Ariſtoteles.

S.Tho. 1.2. q.90.ar.4. Ariſt. Eth. l.3.c.1.

II. *Non eſt autem neceſſarium* (inquit Pontifex) *cùm Conſtitutio ſolemnitèr editur, aut publicè promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel litteras inculcare, ſed id ſolùm ſufficit, vt ad eius obſeruantiam teneatur, qui nouerit eam ſolemnitèr editam, aut publicè promulgatam*: cui ſubſcribit D.Thomas. *Nam* (inquit idem Pontifex) *Eum, qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet. Scienti autem* (inquit D.Iacobus) *bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. Et ille ſeruus* (ait S.Lucas), *qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis*.

Pontif. Decretal. l.5. tit.5.c. Ad hæc de Poſtulatione. D.Tho. 1.2 q.90. art 4. ad.2.c.cum de reg. iur. in 6. S.Iacob.c.4. S.Luc.c.12.

III. Notandum hìc obitèr differre *Legiſlationem à Declaratione*, ſeu interpretatione. Legiſlatio eſt legis nondum latæ conſtitutio. *Declaratio eſt legis iam latæ elucidatio*. Prima eſt veluti lucis creatio (quandoquidem *lex lux*): Secunda eſt detectio Solis nubibus tecti; ſicuti Machabæorum temporibus Sol, qui erat in nubilo, magnoperè reſplenduit in clypeos aureos. Promulgatio eſt lex *in fieri*: Declaratio eſt lex *in facto* eſſe; ſed minùs apparens, & ideò claritati exponitur. Prima nouum onus imponit. Secunda impoſitum oſtendit, vt inquit Imperator. Ad primam requiritur promulgatio, vt Superioris animus ſeriò innoteſcat, & populus intelligat, quod obſeruare teneatur. Ad ſecundam ſufficere videtur quæuis notificatio: nam declaratio, cùm nihil innouet, vel portet de nouo, habet vim ſuam ex lege iam lata, ſed ob eius obſcuritatem mox declarata, vt docet D.Thomas. Sicuti ſi Medicus denunciet Principi aliquas herbas eſſe venenatas, tenetur hìc abſtinere ab illis non vi præcepti Medici ſubditi ipſius, ſed ex vi legis naturalis, quæ præcipit fugienda valdè noxia: vel ſi ſpeculator annunciet inimicos ſtricto gladio aduentare, tenetur Dux, ac Imperator ſe præparare ad bellum vi legis naturalis, ac militaris prudentiæ, cuius obligatio viget in annunciato caſu: (vt innuit Ezechiel Propheta] Eſt enim declaratio veluti lucerna, quæ illuminat ad vitanda diſcrimina: vndè canit Deo Dauid: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis*. Non ipſe igitur declarator modò ligat, verùm ligatos ab alio oſtendit: quamobrem D.Paulus annuncians Chriſti præcepta, ac declarans Corinthijs Euangelium dicebat: *Non ego, ſed Dominus*: idem de Moyſe declarante legem Circumciſionis Hebræis innuit Chriſtus: *Non quod circumciſio ex Moyſe ſit, ſed ex Patribus*; (vt inquit Chriſtus.) ſic & Summus Pontifex in

Prou. c.8. Machab. l.2. c.1. L. Heredes ff. qui teſtamenta facere. S.Tho. 2.2. q.60. art.5. Ezech. c.33 Pſal. 118. S.P.Cor. th.1.c.5. S.Ioan.c.7.

in pluribus definitionibus repetere valet: *Non ego, ſed Dominus*. *S.P. Cor.2.*
Pro Chriſto enim legatione fungimur; Cum Diuo Paulo profitetur; *c.5.*
Legatus enim loquitur ex ore Regis, cuius ſenſus ſunt verba ipſius *Epheſ.c.6.*
Legati.

CAP. XIII.

Finis legis, ac Legislatoris Intentio.

I. OMne agens, *agit proptèr finem*: Hinc Princeps, qui vicem, ac curam gerit Reipublicæ, proptér eiuſdem bonum publicum, ac vtilitatem leges fert. Publica autem vtilitas inuenitur in tranquillitate Ciuium, ac Ciuitatis pace. Pax verò perturbatur priuatis Ciuium affectibus, prauiſque hominum moribus: vt ſcribit S.Iacobus: *vnde lites* (ait) *& bella? Nonne ex concupiſcentÿs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* *S Iacob.c.1* Vt igitur Legislator bonum pacis tueatur in Ciuibus, malam concupiſcentiarum perturbationem cohibere legibus debet. Sunt igitur leges medicamenta, non morborum, ſed morum, & fræna improbæ cupiditatis: *Nam* (inquit Gregorius Nonus) *effrænata cupiditas, ſui prodiga, pacis æmula; mater litium, materia iurgiorum, tot quotidie noua litigia generat, vt niſi iuſtitia conatus eius ſua virtute reprimeret, & quæſtiones ipſius implicatas explicaret; ius humani fœderis litigatorum abuſus extingueret; & dato libello repudÿ concordia extra mundi terminos exularet. Ideò lex proditur; vt appetitus noxius ſub iuris regula limitetur, per quam genus humanum, vt honeſtè viuat, alterum non lædat, ius ſuum vnicuique tribuat, informatur*: *Proem.Decretal.* vndè patet, quod *lex lux eſt* (vt ſupra dictum fuit) quæ abdita reuelat pericula, præcipitia patefacit. Eſt lex etiam fræpum, exlegum concupiſcentiarum, ac medicamen amarum; ſed ſanum prauarum paſſionum, & eſt ſimilitèr lex ſtimulus ad bonum, & frænum à malo, nam *lex eſt Præceptrix faciendorum, & probibitrix non faciendorum* (vt inquit Imperator). *L.1.nam ff. de legib.* *Scimus igitur, quia bona eſt lex* (infert S. Paulus) *ſi quis ea legitimè vtatur, ſciens hoc, quia lex iuſto non eſt poſita; ſed iniuſtis, non ſubditis, impÿs, & peccatoribus ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicarÿs, maſculorum concubitoribus, plagarÿs, mendacibus, & periuris, & ſi quid aliud ſanæ Doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundum Euangelium gloriæ Beati Dei, quod creditum eſt mibi:* *S.P.Tim.1 c.1.* *etenim non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus.* *S.Mat.c.29* Et

oderunt peccare boni virtutis amore: oderunt peccare mali formidine pænæ.

II. Si autem deeſſent leges, quilibet concupiſcentias ſuas ſequeretur, & vniuerſus rationis perturbaretur ordo, & præcipites ſe darent homines ad ſui, Ciuitatiſque malum. Sunt enim praui, vt
Prou. c.29. pueri: *Puer autem* (vt ait Sapiens) *qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam, & qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſteà ſentiet contumacem, & ſicuti equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps*: ait Eccleſiaſticus: è contra, *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad Petram* (vt explicat D.Hieronymus). *Nam ſerò malorum pænitet, qui ſe meminit noluiſſe in tenera adhuc ætate à ſuis voluptatibus ad regulam continere prudentiæ*: concordat D.Auguſtinus in expoſitione
Eccl.c.30.
Pſal. 136. eiuſdem Pſalmi; *qui ſunt* [dicit] *paruuli Babiloniæ? naſcentes malæ cupiditates: quando naſcitur cupiditas, antequam robur faciat aduersùm te mala conſuetudo, cum paruula eſt, elide illam.*

Cum Sanctis lumine fidei donatis conſentit Seneca lumine rationis
Senec.ex ep.51. naturalis præditus: *Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum, quam longiſſimè profugiamus. Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. Debellandæ ſunt in primis voluptates, quæ ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Libertas eſt nulli rei ſeruire, effæminat animum amænitas nimia. In hoc nos amplectuntur, vt ſtrangulent.* Non enim virtus, ac *ſapientia in-*
Iob c.28. *uenitur in terra ſuauiter viuentium* (ait Propheta, ac etiam Poeta) *virtutem poſuere Dij ſudore parandam*: Verùm docendi ſumus à Diuino Magiſtro, qui apertè aſſerit quod: *Regnum Cælorum*
S.Math.c. 11. *vim patitur, & violenti rapiunt illud*: nam virtus poſſidet Paradiſum: *Dominus enim virtutum ipſe eſt Rex Gloriæ. Virtus* autem à *vi*, ſeu *violentia* dicitur, quam quiſque proprijs concupiſcentijs inferre debet; ſecùs nos, vt equus indomitus non aſſuetus viæ, præcipitabunt, nec valebimus ſtatim cohibere; quia (vt ait
Ariſt.Rhetor.l.1.c.4. Ariſtoteles) *conſuetudo eſt altera natura*, & D.Auguſtinus dicit:
Conf.l...c.5 *ex voluntate peruerſa facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*. Nam *adoleſcens iuxtà viam ſuam, etiam cum ſenuerit,*
Prou. c.22. *non recedet ab ea* (ait Sapiens). *Si autem ſecundùm carnem vixeri-*
S.P.Rom.c. *tis, moriemini*: inquit D.Paulus: *Si verò ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: mortificate ergò membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*: repetit D.Paulus, cum D.Petro: *Bonum namque*
S.Coloſ.c.3 *eſt viro, ſi portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*: monet & Ie-
Ierem.lam. c.3. remias.

III. Finis igitur legis innoteſcit eſſe moderatio paſſionum huma-

na-

narum, ac exercitium actuum virtutis, vt habitum conſequantur homines, & ſic Reſpublica tranquillitate fruatur; vt docet D. Thomas, dicens: *quod Intentio Legiſlatoris eſt de duobus: de vno quidem, ad quod intendit per præcepta legis inducere, & hoc eſt Virtus. Aliud autem eſt, de quo intendit præceptum ferre, & hoc eſt, quod ducit ad virtutem, ſcilicèt actus virtutis. Non enim idem eſt finis præcepti, & id, de quo præceptum datur: ſicut neque in alijs rebus idem eſt finis, & quod eſt ad finem.* Res, & opus præceptum eſt finis proximus legis. Bonum autem quod intenditur per obſeruationem præcepti, eſt finis remotus; Primus obligat, non ſecundus. Primus enim reſpicit *ſubſtantiam* actus ſeu operis proximè intenti à lege. Secundus reſpicit *modum operis. Intentio* namque *Finis eſt quidam modus formalis actus ordinati in finem*, inquit D.Thomas. Primus, ſeu ſubſtantia actus præcipitur, non ſecundus, niſi alitèr Finis, ac modus quoque præcipiatur: ſicut eſt Charitas: Nam *finis præcepti Charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta* (vt inquit D.Paulus). Finis proximus legum humanarum ſunt Actus virtutum moralium, vt habeatur humana fælicitas in pace Reipublicæ. Finis legum Chriſtianarum ſunt Actus virtutum ſupernaturalium, vt indè plena comparetur Charitas, & per Charitatem Deus. Ad hanc reſpiciunt omnes Scripturæ, & hanc diſertè præcipiunt, quæ tamen ſit de *corde puro*, ab omni peruerſo amore proprio; de *conſcientia bona*, iuxta legum, ac legiſlatorum mentem; non propriam opinionem: *fide non ficta*; ideſt verè fidem Dei, fidelium virtutes, ac pietatem ſectetur, non ad oculum; ſed ex animo, tamquam Domino ſeruientis; vt inquit S.Paulus.

D.Tho.1.2 q.100.ar.9. ad 2.

D.Tho.1.2 q.100.art. 10.

S.P.Tim.2 c.1.

S.P.Epheſ. c.6.

CAP. XIV.

Quanta ſit obligatio legis humanæ poſitiuæ tam Canonicæ, quam Ciuilis, & excuſatio ab obſeruatione legis.

I. ALtiſſimus Dominus, & Rex Regum hominem donauit libero arbitrio, non vt libertate in ipſum abuteretur Dominum, ſed vt liberè eidem obſequeretur, & obſequendo æternum mereretur Regnum. Hoc autem hominis obſequium non ſolum ſibi immediatè vult præſtari Deus: verùm etiam mediatè in Pontificibus, ac Regibus, qui ſunt *Miniſtri Regni eius* [vt inquit Sapiens] ac pro Deo legatione funguntur. Hinc D.Paulus ſic ad Romanos ſcribit:

Sap.c.6.

Rom. c.13.

Omnis

Digitized by Google

Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: nam Principes non ſunt timori boni operis; ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illo. Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum; ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim Miniſter eſt. Vindex in iram ei, qui malum agit. Ideò neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram; ſed etiam propter conſcientiam: ſeruientes (vt ſcribit ad Epheſios) *ex animo, ſicut Domino*: Vndè patet, quod Domini præceptum ſit, obtemperare Principibus: qui verò his parere renuunt, Dei præceptis reſiſtunt, vt dicit D. Thomas cum Cornelio à Lapide, vt autem clarior innoteſcat huius legis humanæ obligatio; repeto, quod.

Epheſ. c. 6 Coloſ. c. 3.

D. Tho. 1. 2. q. 96. art. 4. Corn. in ep. ad Rom. c. 13.

II. Lex eſt menſura Actuum (vt diximus ſæpè) Actus autem hominis poteſt tripliciter conſiderari. 1. *Actus* conſideratur, quatenùs elicitur immediatè ab ipſa potentia libera voluntatis, & extrà ipſam non egreditur. ſed in ipſa remanet, eſtque merè *Actus internus* vni Deo notus, qui *nouit abſcondita cordis*: de quibus Eccleſia non iudicat occultis. *Homo enim videt, quæ patent, Deus autem intuetur cor*: vt ipſemet teſtatus eſt Samueli. 2. *Actus* hominis conſideratur, vt elicitur à cæteris potentijs diſtinctis à voluntate, & ab hac ſeparatis, ac præciſis; cuiuſmodi ſunt Actus manuum, pedum, linguæ, & ſimilia præciſè conſiderati, qui Actus potiùs dicendi ſunt Actus in genere naturæ, quàm moris. Sunt enim Actus iſti præciſè conſiderati *Actus* hominis, vt animal eſt, non, vt rationale eſt; & ideò *Actus merè externi*. 3. Conſideratur Actus, vt externus quidem eſt; ſed quatenùs imperatur à voluntate, vel quatenùs Actus internus eſt Actus voluntatis coniunctus cum Actu eſterno alterius potentiæ: eſtque *Actus mixtus* ex interno, & externo, fitque Actus compoſitus, ſicut fit compoſitum ex Anima, & corpore: vndè dicit S. Auguſtinus, quod Actus internus dat nomen actui externo: *Affectus* (ait) *operi tuo nomen imponit*: dictum hoc S. Auguſtini confirmatur à Chriſto dicente: quod *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*; & Sapiens quoque dicit: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum ex ipſo enim procedit vita*: vndè liquet, quod ſicut corpus ſine anima non eſt homo, ſed cadauer hominis; ſic Actus externus ſine Actu interiori non eſt *Actus humanus*, ſed vmbra: *Actus namque humanus eſt, qui à voluntate deliberata procedit*: vt docet Diuus Thomas: qui alibi repetit: *Illud homo dicitur operari, quod ratio operatur: quia homo eſt id, quod eſt ſecundùm rationem*. Si autem non ope-

Pſal. 43. Reg. 1. c. 16.

S. Aug. de Spir. & Anima c. 4.

S. Math.

Prou. c. 4.

D. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 1.

operetur ſecundùm rationem, aget, vt *agens naturale*, non vt *agens liberum*; vt *natura*, non vt *ratio*. Cùm igitur præpoſuerit Deus Summum Pontificem hominibus fidelibus, vt eos dirigeret doctrinis, & præceptis, voluit, vt regeret homines, non animalia, & idcircò voluit, vt Pontifex poſſet eos obligare, directè quidem ad actus externos, ſed humanos, qui nequeunt eſſe tales ſine interno, & ideò indirectè poſſet etiam obligare ad internos: hinc ſuperioribus dixit D. Paulus, vt *ex animo*, *non ad oculum* ſeruirent Dominis; vt explicat etiam Cornelius à Lapide in dictis locis D. Pauli. Exigit namque Deus, quod *Iuſtitia noſtra abundet plus quam ſcribarum, ac Phariſæorum*, qui exterius tantum opera præſtabant, & erant ſicut ſepulcra dealbata. *S. Math. c...*

III. Aliqua autem ſunt, quę eximunt ab obligatione legis. Si nimirum lex à Principe lata præciperet impoſſibilia, excuſaretur homo ab obſeruatione eorumdem: Nam *impoſſibilium nulla eſt obligatio*: vt declarat Imperator, & confirmat Summus Pontifex dicens, quod *lex erit poſſibilis*: *Impoſſibilitas* autem eſt duplex (vt dicitur). 1. *Phyſica*, cum deeſt homini naturalis vis ad illud peragendum. 2. *Moralis*, cum ineſt illi quidem vis phyſica agendi, ſed agendum eſſet illi *magno cum incommodo*, cuiuſmodi res *moralitèr* cenſetur *impoſſibilis*, & propterea excuſat in legibus humanis: vt definit Imperator, qui tradit etiam hanc regulam dicens: *In condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum eſt*: *ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant*. Excuſat etiam Ignorantia inuincibilis, & inculpabilis: vndè ait Summus Pontifex: *vos reddit ignorantia probabilis excuſatos*: ſicut excuſatus fuit ab ipſomet Deo Rex Abimelech propter eiuſmodi ignorantiam.

L. Impoſſibilium ff. de Reg. Iur. c. erit diſt. 4.

C. erit autē diſt. 4.

L. nepos ff. de verb. ſignific.

L. in condemnat ff. de Reg. Iur.

CAP. XV.

Signa Legis.

I. LEx mens eſt Principis, ſignificata ſubditis cum voluntate eos obligandi. *Lex* namque (vt inquit Ariſtoteles) *eſt ſermo vim habens cogentem*, ſeu habens vim coactiuam: ſicut conſilia, & admonitiones vim habent directiuam tantùm. Quoniam verò oriri poſſet dubium, quandònam ſermo Principis ſit præceptum, vel Conſilium, hinc ad dignoſcendas leges, ſequentia tradimus ſigna.

In primis Legiſlator pro ſua gubernandi populos prudentia, ne ſubditis laqueos iniiciat, ipſique ambiguitate verborum capiantur,

tur,

Digitized by Google

Cor.c.7.

tur, diſertè loquetur: Sicut D.Paulus ad Corinthios ſcribebat, dicens: *De virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do.*

II. Lex, ſeu Conſtitutio Principis agnoſcitur, ſi *edictum* nuncupetur.

III. Lex eſt, ſi mittatur, ac proponatur Senatui, qualis videtur in Eccleſia, Collegium Apoſtolicum Cardinalium.

IV. Si præcipiatur diuulgari, Scriptura præcedente, per omnes Populos.

V. Si dicatur idem *in ſimilibus* obſeruandum.

VI. Si *Lex*, vel, *Canon generalis* appelletur, qualis eſt præſertim clauſus, ac inſertus in corpore Iuris.

VII. Si iubetur expreſsè *ad omnes* pertinere; hæc indicant *præceptum*, *non Conſilium*, & cùm præſeferat Principis nomen, ac legis ſpeciem, ligare cenſebitur; *lex* enim *à ligando* etiam dicitur. Quarè ſi nuncupetur *lex*: lex erit. Si lex; ergò *ligat*.

Huiuſmodi ſigna ab Imperatore in lege tertia Codicis ſub Titulo *De legibus*, recenſentur, & notantur à Gloſa in Capitulo *Vt Circa* in Titulo *De Electione* in Sexto Decretalium in Verbo *Perpetuò*.

CAP. XVI.

Interpretatio auctoritatiua legum.

L.Quod Principi ff. de conſtit. — *L.ſi Imperialis §. 1. c.de legib.* — *Ariſt.l.1. c.1. de interpret.* — *S.Aug. cōf. l.13.c.23.* — *L.in ambiguis de Reg iur.* — *S.P.Cor. 1. c.2.* — *L.Sacrat. C.de legib.* — *C.Inter alia ſent. excom.* — *L.ſi Imper. § 1.C.de legibus.*

I. QVod *Principi placuit*, *legis habet vigorem*; vt inquit Imperator; placitum verò Principis aliquandò per legem non ſatis patet: quamobrem opus eſt interpretatione: Hæc autem ad eumdem pertinet Principem: *Tam enim* (ait Iuſtinianus) *conditor*, *quàm interpres legum*, *ſolus Imperator iuſtè exiſtimabitur: nam ea, quæ ſunt in voce, ſunt notæ earum, quæ ſunt in anima paſſionum*: (vt docent Ariſtoteles, & S.Auguſtinus) ergò *in ambiguis* (dicit Imperator) *orationibus maximè ſententia ſpectanda eius eſt, qui eas protuliſſet: nemo* enim *ſcit*, *quid ſit in homine*, *niſi ſpiritus hominis*: (vt inquit S.Paulus) idcircò ipſemet homo per clariora verba debet ſenſum ſuum aperire. *Si quid igitur* (ait Imperator) *in legibus latum fortaſſis obſcurius fuerit, oportet id ab Imperatoria interpretatione patefieri; & vndè ius prodijt* [inquit Summus Pontifex) *interpretatio quoquè procedat: exploſis itaque* (repetit Iuſtinianus) *ambiguitatibus*, *tam conditor*, *quam interpres legum, ſolus Imperator iuſtè exiſtimabitur. Si enim in præſenti leges condere ſoli Imperatori conceſſum; & leges interpretari ſolo dignum Impe-*

rio

Digitized by Google

rio eſſe oportet. Quis enim legum enigmata ſoluere, & omnibus aperire idoneus eſſe videbitur, niſi is, cui legiſlatorem eſſe conceſſum eſt? Princeps namque (ait Summus Pontifex) *quamuis quæ ſunt facti iuſtè poſſit ignorare; attamen iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere.* Vocatur autem *interpretatio hæc* à Principe edita *Auctoritatiua*: quia ab auctoritate Principis procedens, auctoritatis legem habet. (vt ait Imperator) Non ſicut *interpretatio doctrinalis* Magiſtrorum, quæ nulla per ſe fulcitur auctoritate, niſi quatenùs legum auctoritati innititur: vt apertè docet S. Auguſtinus apud Gratianum; *exceptis libris Canonicis* [ait] *alios lego, vt quantalibet Sanctitate, doctrinaque polleant; non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios Auctores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod à verò non abhorrent, perſuadere potuerunt.* *C. licet de conſt. in 6. L. ſi Imperialis C. de legib.* *Gratian. diſt. 9. c. 4. 5 8. 9. 10. 11. præſertim c. 5.*

CAP. XVII.

Interpretatio doctrinalis.

I. **M***Vndum tradidit Deus diſputationi*: Cùm enim omnia ſciret homo, *noluit intelligere; vt benè ageret*; hinc *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, & factus eſt, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*; vel pauca cognoſcit, & plura obſcurè; Cuiuſmodi ſunt etiam leges: Vndè ſæpius opus eſt Principis interpretatione. Verùm nè frequens recurſus moleſtus foret, & Principi, & ſubditis; Idcircò aliquæ traditæ ſunt regulæ ad illarum intelligentiam, ſecundùm quas Docti, qui à Principe facultatem obtinent docendi, (vndè *Doctores* dicuntur) non ex proprio ingenio, ac arbitrio leges, vel alios Textus interpretari debent. *Pſal. 48.*

II. In primis igitùr peruestiganda eſt mens, ſeu voluntas, vel ſententia, ſeu ſenſus, ac intentio, animuſque Principis: idem enim in hoc loco ſonant huiuſmodi verba. Eius enim voluntas, ac placitum lex eſt, non autem ipſa verba, quæ ſunt tantummodò mentis, ac animi interpretes, ac præcones: quarè (inquit Pontifex) *non debet aliquis conſiderare verba, ſed voluntatem, cum non intentio verbis, ſed intentioni verba debeant deſeruire; Nomina enim* (ait Imperator) *ſignificandorum hominum gratia reperta ſint, qui ſi alio quolibet modo intelligantur, nihil intereſt, & proptereà* (inquit idem Imperator) *In ambiguo ſermone non vtrumque dicimus; ſed id dumtaxat, quod volumus. Itaque qui aliud dixit, quam vult,* *C. in his de verb. ſign. Inſtit. de legat. §. 29. L. in ambiguo ff. de reb. dubijs.*

neque id dixit, quod vox ſignificat : quia non vult ; neque id non loquitur. Idem docent S.Dionyſius Areopagita, & S.Auguſtinus : *Dum res cognoſcitur, non eſt de vocabulis laborandum.* Idem aſſerit Imperator, qui propterea dicit, quod, *leges ſcire non eſt earum verba tenere : ſed vim, ac poteſtatem*, & propterea *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet. In fraudem verò, qui ſaluis verbis legis ſententiam circumuenit* : Nam (ſequitur idem Imperator) *non eſt dubium in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Siquidem (ait Pontifex) *Certum eſt quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

S.Dionyſ. de Diuinis nomin.c.4. S.Aug. de Gen.ad lit. l.4.c.5. L. ſcire ff. de legib. L Contra. L. fraus ff. de legib. Pontif.cert. um de Reg.Iur. in 6. Pontif.c. Intellig. de verbo ſign.

III. Voluntas, vel intentio alicuius patefit potiſſimùm *ex fine*, ac ſcopo, quem quis in dicendo habuit : Nam (inquit Pontifex) *intelligentia dictorum, ex cauſis eſt aſſumenda dicendi : quia non ſermoni res; ſed rei eſt ſermo ſubiectus.* Suppeditant etiam regulas interpretandi Sancti Gregorius, Iſidorus, & Hieronymus apud Gratianum : Sic ait S.Iſidorus : *Sciendum eſt, quod pleraque capitula, ex cauſa, ex perſona, ex loco, ex tempore conſideranda ſunt, quorum modi, quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur, cum antè iudicant, quam intelligant; ante inculpant, quam iterando lecta perquirant.* Hinc etiam S.Gregorius, ait : *Regulæ Sanctorum Patrum pro tempore, loco, & perſona, & negotio inſtante neceſſitate traditæ ſunt :* item Hieronymus in proemio Epiſtolæ ad Epheſios : *neceſſe eſt, vt iuxta diuerſitatem locorum, & temporum, & hominum, quibus ſcriptæ ſunt, diuerſas cauſas, & argumenta, & origines habeant. Et quomodò B.Ioannes in Apocalipſi ſua ad ſeptem Scribens Eccleſias, in vnaquaque earum ſpecialia, vel vitia reprehendit, vel virtutes probat; itá, & Sanctus Apoſtolus Paulus per ſingulas Eccleſias vulneribus medetur illatis : nec adinſtar imperiti Medici, vno collirio omnium oculos vult curare.* Duplex autem eſt Legiſlatoris intentio (vt inquit D.Thomas) vna eſt *intentio finis*, ad quem meditatur ducere Ciues, altera mediorum, ſeu *operum præceptorum*, per quæ intendit eos illuc ducere : Hæc obligat : prima explicat ſecundam.

Gratian. diſt. 29. C.1. C.2. C.3. D.Th.1.2. q.10.ar.9. ad.2.

IV. Agnoſcitur Principis mens, ac voluntas *iura iuribus concordando*, textum textui conferendo : *Nam ea, quæ in principio* (inquit Pontifex) *ad medium, & finem; illa verò, quæ in medio ad finem, atque principium ſapè referri contingit.* Sanè (inquit Imperator) *quæ præcedunt, vel quæ ſequuntur, ſummarum ſcripta ſunt ſpectanda.* Et S.Franciſcus Borgia dicit quod *optima interpretandi ratio eſt ſcripturam per alia ſcripturæ loca componere; & in*

C. Secundo de Appell. S.Borg.l.de Rat.concio- nandi c.2.

Digitized by Google

inciuile eſt, niſi tota lege perſpecta aliquis iudicare: inquit Iuſtinianus Imperator: *errant autem homines* (inquit S. Auguſtinus) *non ſeruantes modum, & cum in vnam partem procliuitèr ire cœperint, non reſpiciunt Diuinæ auctoritatis alia teſtimonia, quibus poſſint ab illa intentione reuocari, & in ea, quæ ex vtriſque temperata eſt veritate, ac moderatione conſiſtere.* Cui fauere videtur Rex Salomon dicens, *qui prius reſpondet, quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat.* & iterum, *Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum.* Verùm quia.

L. inciu. ff. de legib.
S. Aug. to. 4 contra mēdacium c. 4
Prou. c. 18.
Eccl. c. 11.

V. Verba ſunt ſigna mentis humanæ ad placitum: Hinc quilibet homo aliqualitèr ad ſui arbitrium verbis vtitur, ac Phraſibus. Quamobrem *conſuetudo loquendi* etiam eſt attendenda, & deindè communis loquendi forma in Regione vſitata: *Ante omnia* (inquit Imperator) *Patrisfamilias conſuetudo, deindè Regionis, in qua verſatus eſt, exquirenda eſt. Placet namque* (inquit idem) *coniectionem fieri ex vicinis Scripturis, vel ex conſuetudine Patrisfamilias, vel Regionis.*

L. 50. ff. de legatis 1.°
L. Heredes ff. qui teſtam. facere §. placeret dicta l. 10.

Indicia verò voluntatis in legatis præſertim ſunt. 1. dignitas legatarij. 2. amor. 3. cognatio Teſtatoris.

VI. Si mens loquentis adhuc non innoteſcat, tunc (inquit Imperator) *benignius leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſeruetur. Nam ſemper in dubijs benigniora præferenda ſunt*, ait Imperator.

L. Benig. ff. de legib.
L. Semper ff. de Reg. iur.

Traduntur deindè regulæ interpretandi leges odioſas, pœnales, fauorabiles, ac priuilegia, ſed de his agendum erit in *Parte Secunda*, cum Axiomata Theologorum explicabuntur.

VII. Salua legis voluntate, *verba debent aliquid operari* (vt inquit Pontifex) *& verba accipienda ſunt cum effectu* (dicit idem), hoc eſt debent intelligi, vt eorum ſignificatus adimpleatur. *Profectò* [repetit idem Papa] *verba intelligenda ſunt, vt res, de qua agitur valere poſſit, potius quam perire.* Papæ Imperator conſentit, *nec alitèr* [ſequitur Imperator] *à ſignificatione verborum recedi oportet, quam cum manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe Teſtatorem.*

C. Si Papa de Priu. in 6.
C. Relatum Cleric. non Reſid.
C. Abbati de verbi ſignific.

VIII. Lex generalitèr, & indiſtinctè loquens, generalitèr, ac indiſtinctè eſt intelligenda: niſi per aliud diſtingui debeat (vt ait Imperator) & cum contradictio in Scripturis videtur inuolui; tunc *diſtinguite tempora, & concordabit Scriptura:* ait cum D. Auguſtino Summus Pontifex. *Bonaque diſtinctio habet vim Commentarij* - dicit Caramuel.

L. 12. quoties.
L. 21 vbi eſt ff. de rebus dubijs. & l. 67. quoties ff. de Reg. Iur.

Sed contra ſuperiora à nobis dicta replicat Recentior, quod non tenemur ad quærendam legis cognitionem, ſicut mulier, quæ vt perditam inueniat drachmam, accendit lucernam, & euertit domum, &

L. non alitèr ff. de legal. 3.

L.3. Præſes ff. de officio Præſidis quærit diligentèr donèc inueniat eam. Hæc excuſatio eſt eorum accuſatio, nam indè etiam dicimus quod.

cauſ.2.q.1. c.ſi peccauerit.

CAP. XVIII.

Aug. ſer.6. de verbo Domini.

Veritas, & ſalus diligentèr eſt quærenda.

Caram. Theol.fundam.p 1.n. 790. *S.Luc.c.15* *S.Luc.c.6.*

I. VIr prudens ædificaturus ſibi Domum, non fundat eam ſupèr arenam, vel ſupèr primam, ac obuiam terræ ſuperficiem: ſed *fodit in altum* (ait S.Lucas) ad inueniendam firmam petram, vt ſuper hanc extruat: ſic prudens Chriſtianus conſtructurus fabricam vitæ ſpiritualis, peruenturam vſque ad conſpectum Dei, non debet ædificare ſuper arenam friuolarum rationum, nec ſupèr primam rationem, quæ obijcitur menti, eique recta videtur, ſecundùm primam faciem, & inſpectionem: *eſt enim* (vt ait Sapiens) *via, quæ videtur homini recta; nouiſſima autem eius deducunt ad mortem*; ſed fundare debet viuendi propoſitum ſupèr firmam petram rationis veræ, vel ſaltèm *certò probabilis: nam in omni actione ſuſcipienda* (inquit etiàm Cicero) *animaduertendum eſt, quanta illa res ſit, quam efficere velimus, nè minor, neue maior cura, & opera ſuſcipiatur, quam cauſa poſtulat. Vbi autem maius periculum intenditur* (ait Pontifex) *cautius eſt agendum*; quare cum æterna animæ ſalus ſit rerum omnium ſumma; imò *vnum vnicè neceſſarium* (vt dicit Chriſtus). Hinc maxima erit adhibenda cura, vt veritatem aſſequamur, & veram agendi rationē amplectamur: ſed cum plurima nos lateant, nec nobis ſempèr virtutis; ac legis clareſcat veritas: idcircò (repetit Cicero) *non alienum eſt, ad eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam vſuperitos, & quid his de vno quoque genere officij placeat, exquirere. Maior enim pars eſt, non modò quid quiſque loquatur, ſed etiam quid quiſque ſentiat, atque etiam qua de cauſa quiſque ſentiat. Vt enim Pictores, & hi, qui ſigna fabrificant, & verò etiam Poetæ, ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult, vt ſi quod reprehenſum ſit à pluribus, id corrigatur, hiſque, & ſecum, & cum alijs quid in eo peccatum ſit, exquirunt: ſic aliorum iudicio per multa nobis, & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt*; Sapiens Romanus videtur idem voluiſſe profiteri, quod Sapiens Salomon, nimirùm; *qui Sapiens eſt, audit conſilia, & quod ibi ſanitas, vbi conſilia multa*: Nam prudentia non ſiſtit (vt vulgò dici ſolet) in primo diuerſorio, nec iudicat *ſecundùm faciem* (vt monuit etiam Chriſtus, & dicit Ariſtoteles) ſed diligentèr inquirit, & conſul-

Prou. c.14. *Cicer.of.l.1* *Põt.C.vbi periculum de elect. in 6.* *S.Luc.c.10* *Cicer.of.l.1* *Prou.12.* *Prou.11.& 12.* *S.Io.c.7.* *Ariſt.Top. 1.c.1.*

Digitized by Google

ſultat, conſultata dijudicat, dijudicata præcipit, & exequitur; ſic docet S.P.Thoſ. 1.c.5.

II. S. Thomas cum Ariſtotele, & Diuus Paulus duobus verbis horum doctrinam opportunè confirmat, dicens: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*, & conſonat D.Paulus Sapienti ita monenti. Eccl. c.37. *Antè omnia verbum verax præcedat te, & antè omnem actum conſilium ſtabile. Non enim omne verbum, & conſilium* (exponit Cornelius à lapide) *ſequendum; ſed quod veritate fulcitur, & firmis rationibus*: Corn.ind. c.37. verſ. 20. hinc Chriſtus idem monet iteratò dicens: *Videte, vigilate, & orate: quod vobis dico, omnibus dico. Vigilate*: S.Mar.c.13 vigilandum ſiquidem, & aperiendi oculi, vt cognoſcamus quæ agenda, & quæ fugienda, & magna diligentia vtendum in re æterni momenti, vt Diuus Petrus ſcribit: *Satagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem faciatis*: D.Petr.2.c.1. vti Moyſes quoque; imò Deus ipſe præcipit Hebræis: *Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſolicitè* Deut.c.4. (nota). Idem repetit Michæas Propheta, dicens: *Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum* (nota) *ambulare cum Deo tuo*. Michæas c.6. Huius ſolicitudinis, ac diligentiæ exemplum præbuit Chriſtus electurus Apoſtolos. S.Luc. c.6. *Erat* enim *pernoctans in oratione Dei* (inquit S.Lucas) *ſpecies tibi* (inquit S, Ambroſius) *Chriſtiane datur, forma præſcribitur, quam debeas æmulari: quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? quid te facere conuenit, cùm vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Chriſtus miſſurus Apoſtolos, orauit prius, & ſolus orauit.* S.Amb.1. in Luc.c.6.

III. Ad noſtram doctrinam faciendæ electionis æternum Patrem ſolicitè conſuluit Chriſtus: Diuinum Magiſtrum ſequutus eſt Paulus Apoſtolus, qui reuelatum ſibi Euangelium, poſt aliquod tempus, contulit cum D.Petro, nè in vacuum *curreret*, vel cucurriſſet: vt ſcribit ipſe ad Galatas, & cum optimè ſciret quod, qui conuerſus fuerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluat animam propriam (vt ait S.Iacobus) nihilominus *caſtigo corpus meum* (inquit Diuus Paulus) *ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*. S.Iac.ep. c.5. S.P. Cor. 1 c.9. Proptereà monet Epheſios: *Videte quomodò cautè ambuletis*: nam *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius in toto corde* (nota) *exquirunt eum*: Item Gal. c.2. & Epheſ.c.5. *Tu mandaſti enim* (ſequitur Dauid) *mandata tua cuſtodiri nimis*. (nota) Etenim maximum, & primum mandatum eſt: Pſal.118. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* (nota) *ex tota mente, & ex omnibus viribus tuis*; S.Mat.c.22 & idcircò Rex Dauid confitebatur Deo; *In toto corde meo exquiſiui te, non leuitèr, vel ſegnitèr* (vt exponit Diuus Hieronymus): Pſal.111. *Beatuſque eſt vir, qui timet Dominum, quia*

Digitized by Google

in mandatis eius cupit nimis (nota verbum) *nimis* .

IV. Hiſce præceptis monitus S.Philippus Nerius cum Diuo Saleſio, & Ioanne Climaco : In omni re requirebat 1. *Tempus* , 2. *Conſilium* , & 3. *Orationem* ; & ipſe Sapiens item monet : *Omni cuſtodia ſerua cor tuum* . *Ex ipſo enim vita procedit* : nam ſi Prudentia, & Iuſtitia exigunt cuſtodiri *commodatum* exactiſſima diligentia, vt dicunt Pontifex , & Imperator , quantò magis cor noſtrum , & Gratia Dei in nobis [quæ eſt vita æterna] erit cuſtodienda, quam diligentèr , quin imò [ait Ioſue]: *Hoc diligentiſsimè* [nota] *præcauete, vt diligatis Dominum Deum veſtrum* . Eadem confirmat S. Petrus dicens : *curam omnem* [nota] *ſubinſerentes* ; & iterum ibidem, *magis ſatagite* [nota] *vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis* . Quamobrem cauendum erit, ne inæſtimabilis Dei gratia, noſtraque ſalus periculo exponatur, vt admonet S.Thereſia proprio experimento, & damno: vt infrà dicemus .

V. Ioſaphat Rex Iuda Iudices adhortando ſuperiora ſic confirmat : *Videte* [ait] *quid faciatis : non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini , & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit . Sit timor Domini vobiſcum , & cum diligentia* [nota] *cuncta facite* . Eamdem docet diligentiam Imperator decernens hæredem excuſari ignorantia , ſi contra eum agatur , non autem ſi agat : *nam planè* [ait] *qui agit certus eſſe debet* [nota] *cum ſit in poteſtate eius, quando vult experiri , & antè debet rem diligentèr* [nota] *explorare , & tunc ad agendum procedere* : huius exemplum videtur in Iſaac, qui aſſertioni confirmatæ ex oblatione conditæ venationis non citò acquieuit ; ſed tangendo etiam explorauit , an eſſet filius ſuus Eſau , an non . *Itaque* (inquit Sanctus Ambroſius) *tractant in veri inueſtigatione tenendum illud decorum , vt ſummo* (nota) *ſtudio requiratur, quid verum ſit , non falſa pro veris ducere , non obſcuris vera inuoluere , non ſuperfluis , vel implexis, atque ambiguis occupare animum . Moyſes non incognita pro cognitis habebat , hiſque temerè aſſentiebatur . Nihil eſt enim , quod magis homo cæteris animantibus præſtet , quàm quod rationis eſt particeps , cauſas rerum requirit . Primus igitur officij fons prudentia eſt . Qui tamen fons , & in virtutes deriuatur cæteras ; neque enim poteſt iuſtitia ſine prudentia eſſe : cum examinare quid iuſtum , quidue iniuſtum ſit , non mediocris prudentia ſit . Summus in vtraque error . Qui enim iuſtum iudicat iniuſtum , iniuſtum verò iuſtum , execrabilis eſt apud Deum* . Quod nè ſibi accideret Iob , ſic ſe gerebat . *Cauſam quam neſciebam* (ait) *diligentiſſimè* (nota) *inueſtigabam* : Vbi Diuus Gregorius ſic dicit : *quæ in re notandum video, nè ad proferendam ſententiam vmquam præcipites eſſe debeamus , nè temerè indiſcuſ-*

S.Philip. vit. l. 1. c. 12. 20. 21.
S.Saleſ. introd. P. I. & l. 2. cp. 1. & tract. amoris Dei l. 8 c. 14.
S.Clim. Grad. 4.
Prou. c. 4.
Pontif. c. vnico de commod.
Imper. Inſt. l. 2. Tit. 15. §. 2. & ff. l. 13. Tit. 6. l. 18. & l. 14. Tit. 7. l. 1. §. 2.
Ioſ. c. 23.
S.Petr. ep. 2. c. 1.
S.Thereſ. vit. c. 5. 6. 7 infr. p 3. F. 3. n. 3.
Act. c. 15.
Paral. 2. c. 19.
L. qui in ff. de Reg. Iur.
Gen c. 27.
S Ambr. off l. 1. c. 26. 27.
Iob. c. 29.
S.Greg. moral. l. 19. c. 14.

Digitized by Google

diſcuſſa iudicemus, nè quælibet mala audita nos moueant, nè paſſim dicta ſine probatione credamus.

VI. Hinc S. Iſidorus Hiſpalenſis hiſce monet (*Ante factum cogita*) *ante opus præmeditare diù, quod vis agere, diù inquire, diù proba, & ſic age, cum diù cogitaueris, tunc fac, quod probaueris.* Cui conſonat S. Ioannes Damaſcenus: *Omnia cum conſilio, & conſideratione facienda ſunt. Salus eſt in multo conſilio: Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſolicitè: Caue tibi, & attende diligentèr, quoniam cum ſubuerſione ambulas; & iterum. Ex cura, & ſolicitudine orietur tibi pax*, & cum Eccleſiaſtico. *In omnibus operibus tuis expergiſcere &c.* & inſupèr cum Clemente ait. *Non dormientium, ac mollitèr, & ignauè viuentium eſt Regnum Dei; ſed violenti rapiunt illud.* Cui reſpondet iterum Hiſpalenſis Epiſcopus: *Ad virtutes* (ait) *difficilè conſurgimus, ad vitia ſine labore dilabimur. Iſta enim prona, illa ardua ſunt. Grandes enim ſudores perpetimur, vt ad* Cœlum *conſcendere valeamus*, & iterum idem S. Damaſcenus: *Ita natura comparatum eſt, vt omnia diligentia, ac labore, ac præſertim Dei donantis fauore, ac beneficio percipiantur.*

S. Iſidor. L. de Contēptu mundi c. de præmedit. & c. Sapientia. S. Damaſc. Parallel. L. 1 c. 66. Deut. c. 4. Eccl. c. 13. Eccl. 10. Eccl. c. 32. S. Iſid. ſenten. l. 2. c. 36. S. Damaſc. Dialect. c. 1

VI. Exemplum huius diligentiæ oſtendunt feruidi, ac ſubtiles Fratres Seraphicæ Religionis in tot iteratiſque ſupplicationibus Sedis Apoſtolicæ porrectis, vt dignaretur veram Seraphicæ Regulæ intelligentiam docere; vt teſtantur Summi Pontifices Nicolaus III. Clemens III. Ioannes XXII. qui eorum dubia non ſpreuerunt, ſed pluribus Epiſcopis, & Magiſtris examinanda obtulerunt. Hanc ab eorum Patriarcha didicerunt Filij diligentiam, qui plures orationes, ac conſilia adhibuit, vt diſcerneret, an foret Deo acceptum, orationi, vel prædicationi vacare, vt refert S. Bonauentura. Comprobatur hæc doctrina exemplo Iudicis, qui omnem tenetur adhibere diligentiam; vt videre eſt apud Gratianum. Comprobatur quoque exactiſſima diligentia, quæ in cauſis Canonizationum adhibetur. Nam ſi in his tanta exigitur ſolicitudo, & diligentia, quanta opus erit in negotio æternæ ſalutis? Vnum pro omnibus exemplum ſuſpiciatur in Hieroſolymitano Apoſtolorum Concilio, in quo *magna conquiſitio* (nota) fiebat ſuper hac quæſtione. An Neophiti ex Gentibus eſſent circumcidendi.

C. Exijt qui ſeminat de verbi ſignif. in 6. C. Exiui de Parad. in Clem. lib. 5. de verb. ſignif. Extrauag. S. Bon. vit. S. Fr. c. 12. Grat. cau. 30. q. 5. c. 10 11. Act. c. 15.

VII. Igitur veritas, & ſalus noſtra quærenda diligentèr. Nam *maledictus eſt, qui facit opus Dei negligentèr*, (vt inquit Hieremias): *neque enim ſufficit opera per ſe bona facere, ſed benè facere*: ſubdit S. Ignatius Loiola, quandoquidem ſi in ſtudio veritatis, & ſalutis æternæ vera non requireretur diligentia, & diligens cura, ſuperfluæ forent, & Chriſti, & Spiritus Sancti admonitiones. Nam ſi cuilibet Doctori poteſt quis prudentèr, & abſque periculo ſe credere. Ad quid

Io. 22. Ierem. c. 48. S Ignat. ep. 2. in circul. de perf. rel.

Digitized by Google

quid illud Chriſti: *Attendite à falſis Prophetis*? Ad quid eumdem pernoctare in oratione Dei in monte, vt eligeret duodecim Apoſtolos ex omnibus Diſcipulis, cùm hi omnes præſeferrent ſpeciem virorum bonorum? Ad quid illud Sapientis: *Conſiliarius ſit tibi vnus ex mille*, cùm vnuſquiſque ex mille prudentèr eligatur, iuxtà Recentiorum placita? Ad quod tot preces, tempus, & conſultatio; vt bonum nanciſcamur Ducem (vt aiunt S. Franciſcus Saleſius, & Philippus Nerius cum S. Ioanne Climaco) cùm ſatis ſit quemlibet obuium ſequi? Ad quid illud Apoſtoli. *Videte, quomodò cautè ambuletis*; & illud Petri. *Satagite*. Cùm ſufficiat quemlibet Auctorem etiam modernum, ac iuniorem ſequi.

Eccleſ. c. 6.

VIII. Nec valet opponere quod Chriſti *iugum ſuaue eſt, & onus leue*, nec ipſum Deum exigere à nobis nimiam, grauemque diligentiam, nec nobis imperare impoſſibilia; nam in primis explicabitur, quomodò intelligendum ſit *iugum meum ſuaue eſt*, &c. Deindè reſpondetur, quod *quæ ſunt impoſſibilia apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum; qui ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ*. Inſupèr re verà *eius præcepta grauia non ſunt* (vt inquit S. Ioannes]. Ergò requiſita diligentia, non erit grauis, nec impoſſibilis. Ergò hæc erit adhibenda, vt indicit per Moyſem ipſemet Deus: *videte diligentèr*: Non eſt autem vera diligentia Clientis quẽlibet obuium Aduocatũ eligere: nec ægri quemlibet Medicorũ acerſſire, nec dubitantis primò occurrentẽ ſequi Conſiliariũ; nec viatoris cuilibet Ductori ſe cõmittere: vt exemplo docuit S. ac prudẽs Tobias Pater, qui fidelem Filio exquiſiuit Ductorem; quam prudentis viri praxim hiſce commendauit Filio, & Nepotibus: *Seruite Domino* (ait) *in veritate, & inquirite* (nota) *vt faciatis, quæ placita ſunt illi, & filijs veſtris mandate, vt faciant iuſtitias, & elæmoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore, in veritate, & in tota* [nota] *virtute ſua*.

S. Luc. c. 18. Pſal. 67. S. Ioan ep. 1. c. 5. Deuter. c. 2. Tob. c. 14.

IX. Multiplex autem eſt *Veritas*. 1. *Doctrinæ*, quæ ſuis principijs reſpondet. 2. *Iuſtitiæ*, quæ iuribus eſt conſentanea. 3. *Vitæ*, quæ rationi eſt conformis, legibuſque præſcribitur. 4. *locutionis*, quæ menti concordat: ex D. Thoma. Nobis autem potiſſimùm eſt quærenda veritas *Vitæ*, quæ [vt diximus] legibus traditur. Nam *lex* (vt inquit Plato) *eſt intentio veritatis*. Imò Dauid ipſe dicit Deo, *lex tua veritas*. At Caſiſtæ paſſim, ac ſexcenties ractant, quod tanta diligentia in veritate quærenda haud requiritur; Quia nimio grauaremur onere, contra Euangelij veritatem, dicentis, nos eſſe vocatos in libertatem filiorum Dei, qui vtpotè Pater miſericordiarum impoſuit hominibus *Iugum ſuaue, & onus leue*. Ergò *Index* iſte doctrinam Euangelio aduerſam indicat. Quæ Recentioris obie-

D. Tho. 1. q 16. art. 4. ad 3. T. 1. 2 q. 109. ar. 3. ad 3. Plat. de legib. l. 7. Pſal. 118.

Digitized by Google

obiecto quàm ſit vana, patebit, ſi rectè intelligatur, quomodo ſit.

CAP. XIX.

Lex Dei iugum ſuaue.

I. ERrant, qui putant *legem* Dei non eſſe *iugum*, quamuis ſuaue; & non eſſe *onus*; quamuis *leue*: nam eam appellat Chriſtus in primis *iugum*, quia veteris hominis concupiſcentias domat: appetitum ſubdit, cupiditatem, ac priuatum corruptæ naturæ amorem mortificat: vndè de ipſa repeti poterit: *Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illius*: & huiuſmodi appetitus ſubiugatio magno pondere hominem exonerat: *Bonum eſt viro* hinc (inquit Ieremias) *ſi portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*; Nam ſecùs prauæ naturæ appetitus: vt equus indomitus hominem, ad inferos præcipitabit: Verum eſt tamen, quod huiuſmodi iugum multipliciter ſit ſuaue. 1. Primùm Dei gratia, quæ nos confortando adiuuat, vt velimus, & volendo operemur: nam *volenti nihil difficile*, vt pluribus Sanctorum ſententijs probo *in parte ſecunda c.136. B.Catharinæ Genuenſis illuſtratæ. Iugum ſiquidem* (ait Sanctus Hieronymus) *Dei ſuaue eſt volentibus; durum nolentibus; & via Dei* (ait S.Gregorius Papa) *& incboantibus anguſta eſt, & perfectè iam viuentibus lata. Ipſa ergò anguſta, amantibus lata ſit*. Eadem repetit Sapiens. *Viam Sapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui*: quam Sapientis ſententiam ſic explicat S.Hieronymus: *Semitæ* (inquit) *ideſt actiones æquitatis, dum inchoantur, arctæ videntur, & anguſtæ; dùm verò profectum capiunt; iam ex conſuetudine ſpatioſæ videntur, & latæ.*

Geneſ. c.4. *Ier.lam.c.3* *S.Hier. in Pſ 16.* *S.Greg.in Ezech.l.2. Hom.17.* *Prou.c.4.* *S.Hier. l.1. c.3.ſuper Parabolas.*

II. Hanc quoque veritatem teſtantur verba Chriſti dicentis: *Contendite intrare per anguſtam portam*: vbi Diuus Gregorius dicit; *Dicturus quippè anguſtæ portæ introitum præmittit: contendite; quia, niſi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima ſempèr ad ima reuocatur. Mens mutabilitatis ſuæ pondere ad illud ſempèr impellitur: quam niſi in ſtatu ſuo arcta cuſtodiæ diſciplina teneat, ſempèr in deteriora dilabitur: vndè cùm ad meliora nititur, quaſi contra ictum fluuij conatur*: idem ſonat: *Regnum* Dei *vim patitur, & violenti rapiunt illud, & arcta eſt via, quæ ducit ad ſalutem, & alia quamplura*. Vndè Eccleſiaſticus ſic admonet, *quam aſpera eſt* (nimium) *ſapientia indoctis* bo-

S.Greg.moral l.11.c.26. *S.Mat.c.11* *S.Mat.c.7.* *Eccl.c.6. v.2.*

G

Digitized by Google

hominibus. Non eſt multis manifeſta, quibus autem cognita eſt, permanet vſque ad conſpectum Dei, aſpera quidem, quia (vt ibidem testatur Eccleſiaſticus) habet 1. *compedes*. 2. *torquem*. 3. *onus*. 4. *vincula*, & ideò *non inuenitur* (ait in Iob) *in terra ſuauitèr viuentium*. Ergo (concludit Eccleſiaſticus) *in omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute* (nota) *tua conſerua vias eius*. Hoc ſignificabat *liber* viſus Ioanni *amarus*, & indè *dulcis*, vt explicat Sanctus Thomas.

Iob.c.28. *Eccl.c.6.v.27.* *Apoc.c.10* *S.Thom. ibidem.*

III. Hoc item ſignificabatur per conſtructionem murorum Hyeruſalem, in qua vna manus ſtringebat gladium, altera laborabat. Non igitur ſententiæ laxæ, ac benignæ ſe ſe accommodantes carnis, naturæque noſtræ ingenio, accommodant ſe Diuinæ Sapientiæ, nec naturæ Legis, quæ vim, ac virtutem exigit (vt inquit Sapiens). *Lex eorum iugum eſt*, quod appetitum, ac amorem proprium domat: Opiniones autem ſupradictæ ſuauitatem oſtentant, & ſe ſe accommodantes ſenſibus noſtris pronis ab adoleſcentia ſua in malum (vt dixit Deus) lactant amorem proprium, tamquam filium naturæ lapſæ ad hominis periculum, & damnum (vt inquit Sapiens): *lacta filium tuum, & pauentem te faciet*; propterea iterùm ſic monet: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: Nam ſi praſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*: vbi diffusè hanc ſententiam commentatur Cornelius à Lapide, & ad hanc rem maximoperè ſpectat *præfatio* Decreti Alexandri VII. Pontificis Maximi in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis. Sic namque præfatur.

Eſdr.2.c.4. *Gen.c.8.* *Eccl.c.10.* *Eccl.c.18.* *Alex.VII. 27.Sept. 1665.*

IV. *Sanctiſſimus D.N. audiuit non ſine magno animi ſui mærore, cùm plures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm ſuſcitari, partim nouitèr prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in diem magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus, modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula Fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela; quare ne vllo vnquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definiuit, in animarum perniciem dilatari: ſed verius peruerti contingeret; idem Sanctiſſimus D. N. vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſolicitudine, in rectam ſemitam euocaret, earumdem opinionum examen, pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè EE. & RR.DD. Cardinalibus contrà Hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus, ſeriò commiſit. Qui tantum*

S.Mat.c.7. *S.Luc.c.13*

ne-

Digitized by Google

negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſupèr vnaquaque ipſarum, ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim expoſuerunt.

V. Animaduertat quiſque ſalutis ſuæ memor, ac perpendat, quæ docet, & quæ agit. Nam qui verè ſunt, *ſenſati in verbis, & ipſi Sapientes egerunt, & intellexerunt veritatem, & iuſtitiam, & impleuerunt prouerbia, & iudicia*: [vt inquit Eccleſiaſticus]. Nec nimis arcta eſt via, quam Dei ſapientia, & miſericordia nobis præſcripſit, per quam tot Sanctorum millia ambulauerunt, & ad quam nobis præſtò eſt Diuina gratia, vt exultet quilibet, vt Gigas ad currendam hanc viam; iurèque poteſt quilibet Chriſtianus cum Diuo Paulo profiteri, quod *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: vndè *omnia poſſum in eo, qui me confortat*; Subdit S. Paulus: nam *omnia poſſibilia ſunt credenti*; confirmat ipſe Chriſtus. *Eccl c.18. Pſal. 18. S. P. Cor. 2. c. 3. S. P. Philip. c. 4. S Mar. c. 9.*

VI. Qui igitùr legem Chriſti profitetur, non profitetur Ianſeniſmum, qui impoſſibilia iactat; ſed Chriſtianiſmum, qui iubendo, dat gratiam: vt verè *mandata eius grauia non ſint*: vt dicit S. Ioannes: quoniam fide viua vincuntur omnia, & mandata leuia fiunt: qui verò alitèr ſentit, vel defectu ſcientiæ, vel exceſſu alicuius inordinatæ affectionis, cæcus eſt, cuiuſmodi plures ſunt in mundo: Vndè dixit Chriſtus de huiuſmodi hominibus, *Cæci ſunt, & duces cæcorum*; qui cùm ſcire ſe putent, ſe ſe fallunt, & alios quoque decipiunt: quamobrem animaduertendum diligentèr, quod non omnes, qui ſe oculatos iactant, verè vident. Sed huiuſmodi *Videntes*. *S. Io. 1. c. 7. S. Mat c. 15*

CAP. XX.

Aliqui Cæci ſunt, & Duces Cæcorum.

I. N*Olite plures Magiſtri fieri, ſcientes, quod maius iudicium ſumitis*: ſic monet S. Iacobus. Nam quamplures, ac ſingulares dotes requirit Magiſterium, pluribus, maximiſque obnoxium periculis: nihilominùs plurimi Magiſtratum vſurpant, quamuis non ſint vocati à Deo tamquam Aaron, nec dotibus polleant requiſitis: Hinc cæci ſunt, & Duces cæcorum; quamobrem Magiſter, ac Diſcipulus *ambo in foueam cadunt*. *S. Iacob. c. 3. S. P. Hebr. c. 5.*

II. Cæci autem ſunt, vel defectu ſcientiæ, vel alicuius vanagloriæ, auaritiæ, vel adulationis morbo, vt Michæas Propheta dicit. *Pr incipes eius* (inquit) *in muneribus iudicabant, & Sacerdotes* *Mich c. 3.*

Digitized by Google

eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, & ſupèr Dominum requirebant, dicentes, numquid non Dominus in medio noſtrum? Non venient ſupèr nos mala. Puto quod & ego ſpiritum Dei habeam (audet dicere cum D. Paulo Recentior) eiuſque legem optimè calleo; ideò nè dubites hoc facere, quod mea fert opinio, licèt enim. Intèr hos nolebat S. Paulus numerari: vndè ſcribit ad Theſſalonicenſes ſe illis prædicaſſe; *neque in ſermone adulationis, neque in occaſione auaritiæ, neque quærentes ab hominibus gloriam.*

S.P. Theſ. 1.c.2.

III. Vtinam nuſquam appareant huiuſmodi homines, qui Sapientes ſe dictitant, & ſe iactant eſſe prudentes, vt Prophetæ, Sanctos, vt Sacerdores, & ſic decepti peruerſi amoris proprij cæcitate, fallunt & cæteros: de quibus propterea valdè conqueritur per Ezechielem Dominus dicens: *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum. Quaſi Vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael erant. Vident vana, & diuinant mendacium dicentes: ait Dominus: cùm Dominus non miſerit eos, & perſeuerauerunt confirmare ſermonem. Væ, quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum*: Ezechieli conſonat Ieremias Propheta: *Quomodo dicitis* (inquit Ieremias) *Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? Verè mendacium operatus eſt, ſtilus mendax Scribarum; verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis; à Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium dicentes: Pax; Pax; cùm non eſſet Pax.*

Ezech. c. 3.

Ierem. c. 8.

IV. Videtur accidere quod dixit Iſaias videlicèt: *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens.* Vertunt namque quandòque homines leges in contrarium ſenſum, torquentque eas ad placitum Clientum. Propterea *Væ* (inquit Iſaias) *Filij deſertores* (dicit Dominus), *vt faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſupèr peccatum. Nunc ergò ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligentèr exara illud, & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum.* Timeo ne hi Prophetæ nonnullos pingant Doctores.

Iſai. c. 19.

Iſa. c. 30.

V. Iuſtum Dei iudicium eſt illud, quia *ſicut Populus, ſic & Sacerdos*, vt minantur Iſaias, & Oſeas. Etenim Populus vult, quod ei placet, & idcircò quærunt, qui dicant licere, quod eis libet, & ſibi adduci opinionem, vel auctorem, hoc poſſe licitè fieri, quod optant facere, vt ſcribit Timotheo S. Paulus. *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt*

Iſa. c. 24. Oſea c. 4.

S P. Tim. c. 4.

ſibi

Digitized by Google

ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Eadem confirmat ad Theſſalonicenſis ſcribens, aliquos perituros eo, quod *Charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacia, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati*, quæ Diui Pauli verba ad rem explicat Cornelius à Lapide, cum Diuo Auguſtino, & videntur hi cum eodem Diuo Auguſtino profiteri. *Delectabar ſuperbiam meam extrà culpam eſſe*, & excogitare opinionem, qua liceat, quod placet, nec conſcientia arguat, culpæ velamento rationis ſopita. Si fortè verò ſincerum audiant conſiliarium, iactant ſe adituros minus ſcrupuloſum, vel etiam peritiorem. Vndè Iſaias dicit. *Populus ad iracundiam prouocans eſt, & Filij mendaces, Filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia: videte nobis errores;* vti factum eſt temporibus Acab Regis, & Michææ Prophetæ, qui Propheta vnus vera dicebat Regi; quadringenti autem alij, & quinquaginta dicebant, quæ Regi placebant.

S.P.Theſ. 2.c.1. — *Cornel. comm. ad Theſ.2.c.2* — *S.Aug.c.61* — *S. Auguſt. conf. l.5.c. 10.* — *Iſa.c.30.* — *Reg.3.c 18*

VI. Quamobrem (inquit Ieremias), *peribit cor Regis, & cor Principum, & obſtupeſcent Sacerdotes, & Prophetæ conſternabuntur, & dixi. Heu, heu, heu, Dominus Deus; ergo ne decepiſti populum iſtum, & Ieruſalem dicens: Pax erit vobis, & ecce peruenit gladius vſque ad animam? vitæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: quia ſtultus populus meus me non cognouit; filij inſipientes ſunt, & vecordes. Sapientes ſunt, vt faciant mala, benè autem facere neſcierunt.* Attende lector, & perpende.

Ierem.c.4.

VII. Similia habet idem Ieremias capite quinto, & ſexto, & Michæas capite tertio, de quibuſdam viris ſic repetit S.Paulus ad Timotheum, dicens. *Errantes, & in errores mittentes*: & de eiſdem intelligi poſſunt, quæ ſcribit Sanctus Gregorius Papa, *qui Sacram Scripturam torquent ad ipſorum ſenſum*. Si verò clariùs noſſe quæritis, qui ſunt huiuſmodi cæci, Sanctus Petrus explicat, ſic dicens; *Cui praſtò non ſunt hæc* [ſcilicet cura omnis in Fide, virtute, ſcientia, abſtinentia, patientia, pietate, amore fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitate] *cæcus eſt, & manu tentans*: inquit S.Petrus, & inferiùs repetemus. Ergò cauendum, nè ſimus cæci, atque nè cæci ſint, qui nos ducunt: veritas etenim eſt, quod aliqui, qui ſe videntes iactant, cæci ſunt, & Duces cæcorum: errant namque à via Regia, & antiqua, de qua dixit Ieremias; *Interrogate de ſemitis antiquis*. Propterea monet etiam Sapiens: *Nè tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui: nam multi* (ait S.Bernardus) *ſuam*

S.P.Tim.2. c.3. — *S.Greg.moral.l. 16. c. 22.* — *S.Petr.2. c. 1.* — *V. de infr. p.3.c.20.21* — *Ierem.c.6.* — *Prou. c.22.*

S.Bern.de conſid.l.5. c.5. *ſuam opinionem intellectum putauerunt* (*qui eſt rei cuiuſque inuiſibilis certa, & manifeſta notitia*) *& errauerunt*.

S.P.Coloſ. c.2. VIII. Videte ergò (inquit S.Paulus), *nè quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum; ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum; ſed ſicut accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut & didiciſtis, qui ſunt Chriſti* (ſcribit ad Galatas) *carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs*. Cauendum igitùr nè cæcutiamus ſequendo laxas opiniones, quæ non crucifigunt carnem; ſed fouent; nec alliciunt cæleſtem Diuinæ gratiæ ſapientiam, quæ *non inuenitur in terra ſuauitèr viuentium*, vt monuit Iob. Verùm cùm tanta ſit oculati Doctoris, & veracis Magiſtri caritas, ac inopia, quis poterit Sapiens fieri, & ſaluus eſſe? Quis erit fidelis Doctor, & Ductor? huic reſpondetur, quod.

S.P. Galat. c.1.

Iob.c.28.

CAP. XXI.

Cor proprium eſt bonus Conſiliarius, & Iudex.

I. TAnta eſt ambigendi propenſio, tantus contradicendi ardor: quin etiam tantum placendi hominibus ſtudium, captandæque gloriæ libido; vt *nuſquam* ſit *tuta Fides*: Omnia ſunt incerta, omnia problematica; ac videatur inſtaurata priſca Academicorum ſecta, quæ (vt refert etiam S.Auguſtinus) *dubitandum de omnibus profitebatur*; & videatur nunc præcipuè, quod, *tradidit Deus mundum diſputationi*. Nam [vt ait quoque Caramuel] *pratèr Fidei articulos, & experientiæ obſeruationes, nihil temerè, aut incautè ſupponendum eſt*: quia omnia ferè nutant.

Eccl.c.3. Caram. Theol. Rationl. 8 n. 890.

II. Mirum tamèn eſt, quod pro vtraque parte perſpicientes dubitandi rationes, omnia eſſe certa cenſent. Si enim (inquiunt Moderni) eſt incertum, & dubium, habet rationes *pro, & contra*. Si habet Rationes *Pro, & contra*. Ergò vtraque pars eſt probabilis, & veriſimilis; ſed quando quis ſequitur rationem probabilem prudentèr agit. Ergo omnia licitè fiunt: adeòut dubitatio pariat certitudinem operandi, & *de tenebris dicant lumen ſplendeſcere*: vti Deus. Hæc autem philoſophandi ratio non eſt omnibus in confeſſo: quinimò à pluribus refellitur; quibus fauere videntur condemnationes propoſitionum à Summis Pontificibus editæ, qui cùm aliquas

S.P.Cor. 11 c.

Au-

Digitized by Google

Auctorum propoſitiones, vti venenatas aliquo errore damnent, pro-
teſtantes ſimul ab ipſis non approbari cæteras ; quinimò quamplu-
res examinari ; prudentèr verendum eſt, nè fallamur in cæteris, &
nè pro ſalubri pabulo, mellitum deglutiamus venenum. Quid igi-
tùr faciendum in tanta doctrinarum controuerſia, ac in re maxi-
mi, & æterni ponderis? Cuiuſmodi eſt animæ ſalus, de qua admo-
net Apoſtolus Petrus: *Satagite, vt per bona opera certam veſtram* S.P. ep.2 c.
vocationem, & electionem faciatis, & de qua re ſuſcitabat in com- 1.
monitione fratres, ac promiſit etiam poſt obitum frequentèr eos ad-
monere, vt *omnem curam* adhibeant? Quid (inquam) faciendum
in hac maxima rerum ſumma?

III. Omnes audiendi; nulli citò credendum: *Nolite credere om-* D.Bern.ep.
ni ſpiritui [inquit S.Bernardus cum Diuo Ioanne]; rarus eſt enim 1.
fidelis, ſincerusque Conſiliarius. Conſulendum eſt igitùr cor pro- D.Io.1.c.4.
prium [inquit Eccleſiaſticus]. Hoc enim, ſi non fuerit aliqua minùs
recta affectione præoccupatum; nec præuia opinione adumbretur;
ſed mundum ſit cor ab omni alio deſiderio, præter deſiderium co-
gnoſcendæ veritatis; Audiet hinc indè rationum allegationes, cau-
ſæque merita decernet, ac veritatem enunciabit: vt dicit Eccleſia- Eccl.c.37.
ſticus ſic: *Cor boni conſilÿ ſtatue tecum: non eſt enim tibi aliud plus* v.17.
illo: vbi ſic commentatur Cornelius à lapide. *Statue in te ipſo cor* Cornel.
quaſi Tribunal; imò oraculum boni conſilÿ, vt cùm dubium quid
faciendum ſit, cor tuum, quod facto ſit opus, conſulas; ideòque in
corde, quaſi in tribunali cauſam vndequaque diligentèr, ac pruden-
tèr in omnem partem ventiles. Si enim hoc feceris, vtique cor tuum
tibi erit dictator optimi conſilÿ: ad hoc enim Deus dedit homini cor,
ideſt, rationem, & mentem: Eadem docuerat alibi Eccleſiaſticus, Eccl.c.32.
& expoſuerat idem Cornelius: *In omni opere tuo crede ex fide Animæ* v.17.
tuæ: ait Eccleſiaſticus, & Deo placebis. *Hoc eſt enim conſeruatio*
mandatorum. Crede [explicat Cornelius] *animæ, ideſt quod con-* Corn. ibid.
ſcientia tibi dictat agendum, vel non agendum, hoc agas, vel non
agas. Conſcientia enim data eſt cuique à Deo, quaſi Pedagogus, lex,
& norma actionum.

IV. *Sed vide, vt animæ credas ex fide, ideſt ſequere credulita-*
tem, & dictamen conſcientiæ, at non erroneum: Sed quod ſit ſecun-
dùm fidem, & legem Dei, quod, ſcilicèt, conſcientia reſpiciens ad S.P.Rom.
legem Dei, faciendum dictet: Nam: *Omne, quod non eſt ex fide,* c.14.
peccatum eſt [inquit Apoſtolus] de hac loquitur Eccleſiaſticus ſub Eccl.c.37.
nomine Conſiliarij: *Eſt Conſiliarius in ſemetipſo*: imò *Magiſtra* Bibliot.Pa-
verax eſt Conſcientia [inquit Thalaſſius]: Quamobrem hortatur tr.tom.5.
Sanctus Nilus: *Conſcientia pro lucerna vtere in actionibus tuis*. Thalaſ.
Hinc concludit, & monet idem Eccleſiaſticus. *A Filÿs tuis* [ſcilicèt Hecatonta 1.n.70.
pro- S.Nil.Paræne.n.199.

Eccl.c.32. propriorum affectuum] *caue* , *& à domeſticis tuis* [ſcilicèt fautoribus tuæ libertatis] *attende* . *In omni opere tuo crede ex fide anima tua* . *Attende* (inquit S.Bernardus) *cor tuum* ; *diſcute intentionem*, S.Bern.ep. 1. *conſule veritatem* , *tua tibi conſcientia reſpondeat* . *Hoc eſt enim conſeruatio mandatorum* . Anima namque fidelitèr monet , quæ facienda ſunt , vt mandata Dei obſeruentur .

V. Iudicium autem cordis non eſt ex ſpeculatione , & ſecundùm doctrinæ acquiſitæ regulas ; ſed ſecundùm eiuſdem cordis affectionem ad bonum, & per quamdam connaturalitatem ad rectum , [vt D.Tho.2.2. q.95.ar.2. & q.51. ar. 3.ad 1. & q.60.ar.1. ad 2. docet Diuus Thomas]nam ſicut *Auris verba probat*,*& guttur eſcas guſtu dijudicat* : [vt ait Iob ,] & ſicut quis iudicare vini bonitatem poteſt, vel ex colore, ſi æger ſit , vel ex ſapore , ſi ſanus , ſic , & Cor noſtrum, ſi ſanum erit, nulloque inordinatæ affectionis morbo laborat , ſciet reprobare malum, & eligere bonum , ſincerèque teſtabitur Iob c.34. quid ſit bonum , & quid nobis ad Dei gloriam erit agendum . Hunc ſequebatur Sanctus Paulus , hinc gaudebat . *Gloria noſtra* S.P. Cor.2. c.1. (inquit) *hæc eſt*, *teſtimonium Conſcientiæ noſtræ* , *quod in ſimplicitate cordis* , *& ſinceritate Dei* , *& non in ſapientia carnali* , *ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo* . Cum D. Paulo concordat S.Ioannes dicens: *Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit* S.Io.ep.1.c. 3. *nos* , *fiduciam habemus ad Deum* . *At ſi reprehenderit nos cor noſtrum* , *maior eſt Deus corde noſtro* , *& nouit omnia*. Vtinam quilibet noſtrum cum Sancto Iob profiteri queat dicendo, *non me reprehendit cor meum in omni vita mea* , hanc ipſemet Plato ſequutus [vt Iob c.27. infrà dicemus] eſt praxim .

VI. Hic diligentiùs animaduerti videtur , quod cor , ſeu anima rationalis ſit veluti Iudex . Conſcientia verò ſit huius Iudicis ſententia, ac iudicium hic, & nunc decernens, quod agendum, vel omittendnm , vndè dicitur . *Conſcientia*, quaſi *cordis ſententia*, vel *ſcientia* S.Bern.l.de conſcient. c.7. [vt inquiunt D.Bernardus, & D.Antoninus] vel cum D. Thoma . *Conſcientia dicitur*, *quaſi cum alia ſcientia* , nam in iudicio practico D.Anton. Summa p.1 tit.3.c.10.§ 2. cordis noſtri , ſeu mentis , vt rectè procedat, intereſse debet in primis , *ſcientia generalium regularum* , *ſeu principiorum* , ac notitia circumſtantiarum indiuidualium cuiuſque facti , vel caſus . Pruden- D.Tho.1.q. 79.ar.13. tia namque moderatrix humanarum actionum , nouit generalia principia morum , & nouit etiam ſingula , quibus generalia aptari debeant . Iudicium autem applicans hìc, & nunc regulas vniuerſales factis indiuidualibus *conſcientia* propriè nominatur .

VII. Conſcientia verò diuerſa ſortitur nomina : *Conſcientia recta dicitur* , ſi legibus manifeſtè concordat : *Probabilis conſcientia appellatur* , quando legibus veriſimilitèr eſt conformis ; *Mala* , quando è contra accidit ; *Erronea* , quando putat malum bonum , bonum

ma

Digitized by Google

malum. *Dubia*, quando in æquilibrio ſiſtit, nec in alterutram partem propendet. *Scrupuloſa*, quando trepidat timore, vbi non eſt rationabilis timor, ſed leuis ratio timendi. Vt hactenùs dicta pateant, quam ſint Orthodoxæ Veritati conſentanea; hinc eadem ex Apoſtolica doctrina confirmantur.

CAP. XXII.

Compendium huius Indicis, *ac Comprobatio potiſſimùm ex tribus Sanctis Apoſtolis.*

I. QVicumque Theologiam profitetur, Scientiam pietatis profitetur. Theologia enim eſt ſcientia Dei, & eorum, quæ ad Deum colendum pertinent. Dei autem ſcientia, vel pietas eſt, vel non ſolet eſſe ſine pietate. Vndè Sapiens confitetur ipſimet Deo. *Noſſe te, conſumata iuſtitia eſt*; & Sapiens Romanus repetit. *Deum colit, qui nouit*. *Hæc autem ſcientia pietatis* (inquit S. Hieronymus apud Gratianum) *eſt noſſe legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere, Apoſtolos non ignorare*. Quaproptèr, vt agnoſcamus an *Index* iſte ſcientiam pietatis indicet, vel non, videndum erit an huius *Indicis* doctrina Apoſtolis, ac Scripturæ ſit conſentanea, vt indè etiam pateat, quam falſa ſit Recentiorum diſſona. In primis autem dicit S. Ioannes cum Domino Ieſu, quod, *non eſt iudicandum ſecundùm faciem*, primumque rei aſpectum: *Nolite* [ait] *omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt*: *Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum*. Conſonat iterùm S. Ioannes cum Saluatore, dicente: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium*; & denuò: *cauete ab hominibus*: Hinc ſicuti cauendum eſt ab hominibus, cauendum etiam à doctrinis varijs, & peregrinis, cuiuſmodi ſunt doctrinæ Recentiorum. Vndè idem S. Paulus ait: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*; & S. Petrus monet adhibendam omnem curam in re tanti ponderis. Ergò non omni probabilitati fidendum. Ab hac declinant Regula Propoſitiones Recentiorum relatæ in Par. 4. Cap. 15. & damnatæ, & vniuerſa penè Modernorum Theologia à S. Ioannis Regula recedit, cùm ipſorum ſit Dogma; *qui ſequitur opinionem probabilem, & minùs probabilem, prudentèr operatur*. Nec curant vlteriùs examinare, an ex Deo ſint.

Sap. c. 15. *Sen. ep. 95.* *Gratian. diſt. 37. c. 10.* *S. Ioa. 4. 7.* *S. Ioan. 1. c. 4.* *S. Matt. c. 7* *S. P. Theſ. 1. c. 5.* *S. Pet. 2. c. 1.*

S.Ioan.1. c.4. II. Audienda eſt doctrina Apoſtolorum, ac proptereà legitimorum Succeſſorum: nam [inquit S.Ioannes] *qui nouit Deum, audit nos; qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & erroris:* Siquidem dixit Ieſus: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Apoſtoli autem in Succeſſoribus perſeuerant, *donec occurramus omnes in vnitatem Fidei* [vt ait S. Paulus] *quando fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*, vt loquitur Sanctus Ioannes. Huius regulæ ſenſum explicant ſic Marcellinus, & Damaſus Papæ; *Nec quidquam, quod contra Euangelicæ, vel Propheticæ, aut Apoſtolicæ Doctrinæ conſtitutionem, Succeſſorumue eorum, ſiue Sanctorum Patrum, actum fuerit, ſtabit.* Ergò declarationes Pontificiæ audiendæ, & amplectendæ, & Superiorum leges obſeruandæ, ſic Apoſtolica tradit doctrina. Abſcedunt ab iſta doctrina Propoſitiones relatæ Par.4.c.16.17.19.20.21.&c. Nam ab Apoſtolorum ſenſibus recedunt: Præterea ab Apoſtolorum Dogmatibus ſe ſe elongant, qui ab Apoſtolorum Principis Succeſſore ſecedunt: ſi enim Supremus Catholicæ Eccleſiæ Magiſter libentèr audiretur, non multiplicarentur, ſicuti arena maris, Doctorum opiniones; nec varijs artibus eiuſdem decreta ad ſuos torquerent ſenſus; ſed vni Magiſtro conſentientes, vnanimis eſſet omnium doctrina, & ſana. Iſte fortaſſis eſt omnium laxitatum fons, & veri Chriſtiani indicium, vel falſi. Etenim *qui nouit Deum, audit nos* (inquit S.Ioannes) *& Succeſſores*: ſubdunt Sancti Marcellinus, & Damaſus.

S.Luc.c.10. S.P.Eph. c. 4 & Cor.1. c.11. S.Io.c.10. Comm.cau. 25.q.1.& C.omnia Ibid.

III. Dilectio exercenda: Hinc idem Sanctus Ioannes proſequitur: *Chariſſimi diligamus nos inuicem: quia Charitas ex Deo eſt*; & Sanctus Paulus inquit: *Plenitudo legis eſt dilectio*; nam vniuerſa lex, & Prophetæ in hoc verbo inſtaurantur, *Diliges*. Etenim Finis omnium Præceptorum, ac legum eſt amor. *Finis* ſiquidem *Præcepti Charitas* (vt ait D.Paulus). Tribus hiſce Fundamentalibus Regulis veritatem ab erroribus diſcernendam indicat Sanctus Ioannes; Diuus verò Petrus fuſiùs eas explicat. Negligunt hanc Charitatis Regulam Propoſitiones coaceruatæ in Par.4. c.17. 25. 26. & hanc Index iſte tradit potiſſimùm in Prima Parte capite octauo.

S.P.Timot. 1.c.1. S.Math.c. 22. S.P Tim. 1.c.1.

COM-

COMPENDIVM II.

Ex D. Petro.

IV. PRincipium omnium eſt Deus, principiumque omnium cognitionum, ac bonorum Dei eſt cognitio. Hinc S. Petrus ait. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri.* Aberrant ab iſta veritate Propoſitiones collectæ in Par. 4. cap. 16. S. Petr. 2. c. 1.

V. Fuga concupiſcentiæ ob Adam peccatum corruptæ: *fugientes* [ait] *eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Pauci faciunt huiuſmodi Præceptum. Propoſitiones in Part. 4. cap. 28. 29. 30. 37.

VI. Magna cura exercendarum virtutum, vndè proſequitur: *Curam omnem ſubinſerentes*, miniſtrate in Fide veſtra virtutem. Si omnis cura eſt afferenda. Ergò non ſufficit quamlibet obuiam eligere opinionem; nulla enim cura, ne dum omnis, requiritur, vbi obuium eſt, quod quæritur. S. Petr. 2. 1.

VII. Scientia rerum diuinarum, nam addit D. Petrus *in virtute ſcientiam*. Huic repugnant Propoſitiones collectæ in P. 4. c. 16.

VIII. Fides ſine operibus mortua eſt, & ſcientia in moralibus debet eſſe practica, non ſpeculatiua, hinc adiungit. *In ſcientia abſtinentiam* (vt ait Dauid) *diuerte à malo*. Quam diſſonent iſti doctrinæ Propoſitiones P. 4. c. 28. 29. nemo non videt. Pſal. 33.

IX. Diuertendum à malo, & faciendum bonum. Idcircò monet toleranda aduerſa. *In abſtinentia patientiam*, iuxta illud: *Abſtine, & ſuſtine.* Refragantur & huic Propoſitiones P. 4. c. 17. quæ duellum permittunt.

X. Pietatem in Patrem cęleſtem, ac terreſtrem, *in Patientia Pietatem*. Hanc eliminare videntur Propoſitiones P. 4. c. 25.

XI. Amor fraternus, *in Pietate* amorem *fraternitatis*. Diſſentiunt Propoſitiones P. 4. c. 26.

XII. *Amor Dei*, in amore ſiquidem fraternitatis Charitatem, quæ eſt *vinculum perfectionis*, (ait S. Paulus). Valdè diſtant ab hanc Propoſitiones P. 4. c. 16. 17. 20. Hæc ſunt vera via æternæ vitæ, ſine his palpamus in meridie, & ambulamus, vt Cæci, cadimuſque, vt Balaam oculis apertis, ita S. Petrus definit ex Cathedra toti Eccleſiæ. *Hæc* (ait) *ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuas, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim præſtò non ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, obliuionem* S. P. Epheſ. 1. c. 4. S. Pet. ep. 2. c. 1.

accipiens purgationem veterum ſuorum deliſtorum. Sed *Indicis* huius doctrina Apoſtolis eſt conſentanea, Recentiorum verò diſsentit. Ergo noſtra eſt Apoſtolica doctrina, & ipſorum modernorum Pſeudoctrina.

COMPENDIVM III.

Ex S. Iacobi Apoſtoli Epiſt. c. 3.

XIII. VEritas eſt vna, ſed ab vno preſsiùs, ab altero fuſiùs, ab alio verò alijs verbis, vel ſimilitudinibus, ac figuris exprimitur; idcircò, quæ docuerunt S. Petrus, ac Ioannes, alio modo quoque docet S. Iacobus Apoſtolus tradens ſigna cæleſtis Sapientiæ, ſeu veræ pietatis, ac boni ſpiritus Fidelium dicens *quæ deſurſum eſt Sapientia* (en vera pietas, & ſpiritus bonus Chriſtianorum.)

XIV. *Primùm quidem pudica eſt* (en abſtinentia dicta à Diuo Petro, & en Doctrina Apoſtolorum (vt dicit S. Ioannes n. 2.) *quæcumque pudica cogitate*, aiebat S. P. ad Philippenſes c. 4. Vide autem Propoſitiones P. 4. 29. 37. quam diſcordant.

XV. *Deindè pacifica* [en amor fraternitatis D. Petri, & dilectio S. Ioannis. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, ait S. Mathæus. Vide verò Propoſitiones p. 4 c. 26. 27.

XVI. *Modeſta* : en fuga concupiſcentiæ, & en virtus, & abſtinentia quoque Petri, & præcepta Apoſtolorum D. Ioannis : *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*, monebat etiam S. Paulus Philip. c. 4. Tu verò lege Propoſitiones P. 4. c. 28. 29. Sine modo, ac modeſtia.

XVII. *Suadibilis*: en auditio Apoſtolicorum hominum, dicta à D. Ioanne, & en fides, & ſcientia D. Petri [& *erunt omnes docibiles Dei*]: inquit Iſaias. c. 54. & S. Ioannes c. 6. in Euangelio: imò Chriſtus. Verùm aliqui Recentiores audiunt ſeipſos ſolos, voluntque docere, non doceri vel à Summo Eccleſiæ Magiſtro : hinc vide Par. 4. c. 43. 44.

XVIII. *Bonis conſentiens* : en dilectio D. Ioannis, & en amor fraternitatis S. Petri. *Charitas* enim *non æmulatur*, & *congaudet veritati*, vt S. P. Cor. 1. c. 13. ſubdit.

XIX. *Plena miſericordia*. *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt*. S. Luc. c. 6. Aduerſatur huic Propoſitio P. 4. c. 34.

XX. *Fructibus bonis*. *In omni opere bono fructificantes*. S. P. Coloſs.

Ioſs.c.1.Fructus boni, non ſimulati iubentur. Reijce ergò Propoſitiones. P.4.c.19.

XXI. *Non iudicans : nolite iudicare, & non iudicabimini*. S. Luc.c.6.

XXII. *Sine ſimulatione. In Charitate non ficta*: inquit S.Paulus Cor.c.6. *Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum*. Sap.c.1. Ergò iuſtè damnantur Propoſitiones. P.4.cap.20.35.36.

XXIII. Hæc ſunt indicia, quæ ſpiritum bonum Dei oſtendunt ineſſe fideli, qui ſpiritus ipſum euacuat vitijs, & replet virtutibus, vt verus ſit Chriſtianus. *Eſt* enim *Chriſtianus* (ait S.Cyprianus Martir) *mors vitiorum, vita virtutum*. Sin autem deſint hæc: *nolite gloriari* [ait S.Iacobus ibidem] *non eſt enim iſta ſapientia deſursùm deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica*. Si hiſce indicijs, ac regulis radicalibus contulerimus Propoſitiones à Summis Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatas, præſentibus diſſentire comperiemus, ſicuti innuimus, & quamuis pauca attulerimus exempla, Prudenti Lectori ſufficient ad plura alia dignoſcenda; & hinc innoteſcit quod Roma, ſeu Romanus Pontifex, ac eiuſdem Congregatio non ideò Propoſitiones damnat: quia ſuis ingenio, ac commodo non ſuffragentur: ſed quia Chriſtianæ Veritati refragantur. Non damnantur, vt erroneæ, vel minùs bonæ: quia diſplicent: ſed diſplicent; quia minùs bonæ, & damnabiles; ſed de his iterùm in tertia, & quarta parte.

Finis Primæ Partis.

PARS

Digitized by Google

PARS SECVNDA

AXIOMATA THEOLOGORVM

Explicantur cum medullata omnium ferè materiarum Canonicarum, ac legalium Epitome vſque ad Caput 72. Deindè Dogmata Recentiorum *Elucidantur vſque ad Caput 92.*

INTRODVCTIO

De Actibus humanis.

I. HOMO animal eſt, & Rationale: Sic etiam Principium, ſeu Agens naturale eſt, & Principium, ſeu Agens liberum; vt Animal, ac *Agens naturale* conſideratur à Phyſico; vt *Agens liberum* conſideratur à Philoſopho Morali, & Legali, nam *Iurisprudentia*, Philoſophia Moralis eſt & ipſa [vt dicit Imperator]: Actus autem, qui
L.Iur.ff. de Iuſt.& Iur. ab homine tamquam Agente libero procedunt, *Actus humani* dicuntur, & *Mores*, eſt enim Actus humanus, qui à voluntate delibe-
S.Tho. 1.2. q.1.ar.1. rata procedit (vt inquit S.Thomas): Hoc eſt Actus, qui procedit à voluntate, quam præcedit Ratio, ſeu rerum agendarum cognitio. *Il-*
S.Th. com: ep. S Paul. ad Rom.c.7 lect.3. *lud enim* [inquit idem Doctor] *dicitur operari homo, quod ratio operatur, quia homo eſt, quod eſt ſecundum Rationem.*

II. Ratio autem operatur cognoſcendo negotia, quæ occurrunt ſimul, & Regulas, ac leges, ſecundùm quas dirigi ea oportet, conſul-

tando

tando quid deceat, vel dedeceat, dijudicando honeſtum à Turpi, ſeparando pretioſum à vili, & eligendo bonum, & reprobando malum. *Omnia enim* (inquit Imperator) *quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt.* *L.omnia ff. de Reg. Iur.* *Voluntarium* namque (cuiuſmodi eſt Actus humanus, qui animi deſtinatione, ſeu cordis affectu fit) eſt *à princio intrinſeco cognoſcente ſingula* (vt docet Ariſtoteles). Dicitur autem illud perfici vera, & *certa Scientia*, *Ariſt. eth. l.3.c.1.* non quod ſit abſolutè, & reipſa ſemper vera, & certa à parte rei, & materialitèr, ſed quod poſt debitam diligentiã in ſua cogitatione, & bona fide homo reputat veram, ac certam, & reſpectu ipſius, ac formalitèr in ſua mente eſt talis, & prudentum iudicio talis, ſeu vera, ac certa cenſeri poſſet; quæ proindè *vera*, & *certa moralitèr* dicitur, & ſi phyſicè foret falſa. Vnus enim Deus eſt, qui nouit omnia vera, ac certa vt in ſe ſunt: Cæteri autem falli poſſunt: ſicut igitùr, vt Actus humanus prudentèr fiat, cognoſci deberent ſingulæ negotij, ac facti circumſtantiæ particulares, ac indiuiduales, ſingulareſque conditiones actionis, ac negotij comites, ſic debent cognoſci leges, & Regulæ, ſecundùm quas dirigi eademmet occurrentia negotia, ac facta debent; hinc agendum.

CAPVT PRIMVM.

De Legibus.

I. REgulæ Iuris ſunt omnium ferè legum compendium, ac Summa: hinc vt melius Regularum vis percipiatur *de legibus*, *Par. 1.* præter illa, quæ indicaui, aliquid ſummatim deliberandum cenſui. *Lex dicta ex eo, quod animos noſtros liget, ſuiſq; teneat obnoxios conſtitutis*: [vt dicit Caſſiodorus] *Caſsiod. in Pſal 1.* à S. Iſidoro verò dicitur, *Lex à legendo*: quia in ea *legamus* quod ſit nobis agendum, & quia ſimul *S.Iſid.Orig. l.5.c.3.* nos liget ad agendum lecta: ab Imperatore autem ſic deſcribitur: *Lex eſt commune præceptum, virorum prudentum conſultum, delictorum, quæ ſpontè, vel ignorantia contrahuntur, coercitio; communis Reipublicæ ſponſio: Lex eſt, cui omnes homines obedire decet;* *L.eod. ff. de leg. & ſen.* *tùm proptèr multa, & varia, tùm maximè, quia omnis lex eſt inuentio quædam, ac donum Dei: Decretum hominum Sapientum: correctio voluntariorum, & non voluntariorum peccatorum: Ciuitatis autem compoſitio communis; ſecundùm quam omnes decet viuere, qui in Ciuitate ſunt; ſed & Philoſophus Summus Stoicæ Sapientiæ Criſippus; Lex eſt omnium Diuinarum, & humanarum rerum Regina: oportet autem eam, & præſidere, & bonis, &* ma-

Digitized by Google

malis, & Principem, & Ducem eſſe, & ſecundùm hoc regula eſſe iuſtorum, & iniuſtorum, & eorum, quæ natura ciuilia ſunt, animantium; præceptrix quidem faciendorum, probibitrix non faciendorum. Ab Ariſtotele verò: *Lex eſt ſermo ab aliqua prudentia, atque mente profectus, vim babens cogentem*; & tandem à D.Thoma; *à ligando lex* dicitur: quia obligat ad agendum, ac ab eodem ſic definitur: *Lex eſt quædam regula, & menſura actuum, ſecundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrabitur*; & iterùm *Lex eſt quædam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis babet promulgata*. De Legibus fuſè differit S.Iſidorus relatus apud Gratianum.

II. *Erit autem lex boneſta, iuſta, poſſibilis ſecundùm naturam, & ſecundùm conſuetudinem Patriæ, loco, temporique conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoque, nè aliquid per obſcuritatem captiosè contineat, nullo priuato commodo; ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta.*

III. *Iura* enim *non in ſingulas perſonas; ſed generalitèr conſtituuntur* (inquit Imperator): *diuturna conſuetudo quoque pro iure, & lege in bis, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſeruari ſolet*. [Ait Imperator] *& quod Præſes Prouinciæ probatis bis, quæ in oppido frequentèr in eodem controuerſiarum genere ſeruata ſunt, cauſa cognita, ſtatuet. Nam, & conſuetudo præcedens, & ratio, quæ conſuetudinem ſuaſit, cuſtodienda eſt.* Siquidem *conſuetudinis, vſuſque longæui non vilis auctoritas eſt; verùm non vſque adeo ſui valitura memento, vt aut rationem vincat, aut legem, optima enim legum interpres eſt conſuetudo.*

IV. *Legis autem virtus bæc eſt, imperare, vetare, permittere, & punire. Eius enim præmio, aut pœna vita moderatur bumana*; declarat S.Iſidorus apud Gratianum. *Facta ſunt enim* (inquit idem Sanctus apud eumdem, & in libro citato) *vt eorum metu bumana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocēdi facultas. Lex* etenim *Iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis* [inquit S.Paulus]. *Ideò* namque (inquit Summus Pontifex Gregorius Nonus) *lex proditur, vt appetitus noxius ſub iuris Regula limitetur*, per quam genus humanum, *vt boneſtè viuat, alterum non lædat, Ius ſuum vnicuique tribuat, informatur. Legis* enim *proprium eſt vitia extirpare; mores, ſeu actus bominum ordinare. Inducere ad fælicitatem, & planè ac lucidè tradere veritatem* (dicit Nicolaus de Lyra). *Lex ipſa pactum quodam eſt* (inquit Ariſtoteles) *& Salus Ciuitatis in legibus ſita eſt: Lex autem legum, & anima earum in bumanis eſt ratio naturalis*: ſic S.Iſidorus. Nam *Ratio naturalis eſt quædam tacita lex* (ait Impera-

L.11.ff. de leg. & ſen.
Ariſt. ethi. c.9.l.10.
S.Tho. 1.2. q.9.ar.1.
art.4.
S.Iſid. orig. l.2.c.10. & l.5.in 22. capitib.
Grat.diſt.1 2.3.
Grat.ex S. Iſid.diſt 4. c.erit autē.
S.Iſid.ethimol.l.5.c. 21.
L. Iure non ff.de leg.& ſenat.
L. Diuturna ff.de legibus.
L.præſes C. quæ ſit longa conſuet.
L.Conſuetudinis C. eodem.
L. ſi de imperat.ff.de leg. & ſen.
L. virtus ff. de leg.
C.omnis diſt.3.
S.P.Tim.1. c.1.
Proem.Decretal.
Lyran. in Proem.ſup. Math.
Ar.Reth.1. c.15.

perator). Hinc Seneca ſcribit. *Ratio Arbitra eſt bonorum, & malorum. Bonorum ſine Ratione non eſt, ſequitur autem Ratio naturam. Quid eſt ergò Ratio? naturæ imitatio; quid eſt ſummum hominis bonum? ex naturæ voluntate ſe gerere.* Opus enim naturæ, opus Dei. Ergò qui naturæ paret, Deo paret, vti dicit Dauid; *Signatum eſt* (ait) *lumen vultus tui Domine ſuper nos, quod oſtendit nobis bona.*

VI. *Leges quæ conſtringunt hominum vitas ab omnibus intelligi debent* (dicit Iuſtinianus) *vndè* (inquit Caramuel) *omnis metaphora, omnis æquiuocatio, omnis verborum, ac ſenſuum obſcuritas, quantum fieri poſſit, debet à legum contextu ablegari.* Imperatori concordat Summus Pontifex, dicens, *Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus*, quæ ſcilicèt generalitèr omnes obligant, vti ſunt, quæ vulgò *Præcepta Eccleſiæ* dicuntur, obſeruentur à cunctis, cætera reſpectiuè ad perſonas, ac cauſas, de quibus leges aliquid ſanciunt. *Quapropter ſciant vniuerſi* (inquit Tridentina Synodus) *Sacratiſſimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indiſtinctè obſeruandos.*

VII. Lex generalitèr, & indiſtinctè loquens, generalitèr, & indiſtinctè intelligatur, niſi per aliud diſtingueretur. Nam *cum nihil exceperit, & potuerit excipere, generalitèr eſt intelligenda, & ſemper generalibus ſpecialia inſunt*, ac *in toto pars continetur*. Hinc *vbi aliquid alicui generalitèr prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum*, imò, & *lex indefinitè loquens*, equipollet vniuerſali, ac generali, cum gloſſis hic. *In generali tamen non veniunt ea, quæ veriſimilitèr quis non eſſet in ſpecie conceſſurus.*

VIII. In legibus autem aliqua duplicitèr continentur. 1. vel *vi comprahenſionis*. 2. vel *vi extenſionis*. *Vi comprahenſionis* (prætèr expreſſa) continentur, vbi eſt *Identitas Rationis*: Nam ſi eſt eademmet Ratio in alio caſu non expreſſo, eadem debet dici voluntas legislatoris. Etenim legislator ſapientia pollet. *Quid eſt autem ſapientia?* (ait Seneca) *ſempèr idem velle, atque idem nolle, non poteſt autem cuiquam ſempèr idem placere, niſi Rectum, ſapientiſque officium eſt, vt ipſe vbique par ſibi, idemque ſit*: cui conſonat quod de Deo ſummè Sapiente dicit Salomon: nimirùm *æquum pondus voluntas eius*. Idem enim (ait Ariſtoteles) *eodem modo ſe habens, idem natum eſt producere*. Idem motiuum parit in eodem eamdem opinionem. Eadem opinio eamdem perſuaſionem. Eadem perſuaſio eamdem voluntatem, hinc dicit Eccleſiaſticus. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol, nam ſtultus, vt Luna mutatur.* Igitùr continentur *vi comprahenſionis*, quæ legislator voluit ſaltem impli-

I ci-

Eod.l.c.4. S.Iſid.l.2.c. 10 & l. 5. c.3. L.7.cũ ratio ff.de bon.damn. Sen.l.1.ep. 66. Pſal.4. L. leges C. de legib. Caramuel Theol.fundam.817. n.40. C.Canon. de Conſt. Trid.ſeſſ. 35.de ref. c.18. L.3.Preſſes ff.de offic. præſidis. C.quia circa de priu. L.ſemper ff. de Reg.Iur. C. in toto de Reg.in 6.l.in toto ff.de reg. iur. C.exulè de verb. ſign. Clem.l.5. C.quia circa de priu. C.Romanorũ diſt. 19. C in Generali de reg. iur.in 6. Sen.l.1. ep. 20. Prou. c.11. Eccl.c.27.

cite, ſed ſatis non ſe declarauit, quod videre licet in quinto Decalogi præcepto *Non occides*, in quo non ſolum compræhenduntur, qui per ſemetipſos occidunt; ſed & qui iubent, vel mandant, ac per alios interficiunt: vndè S. Auguſtinus Iudęis dicit, Chriſtum *vos occidiſtis gladio linguæ*, & Sacra quoque Scriptura aſſerit. Vriam interfectum à Dauid gladio Ammonitarum. Eſt enim vbique *Identitas rationis*, ne ſcilicèt proximo bonum Vitæ auferatur, ſiue per ſeipſum, ſiue per alios, ſecus apertè eluderetur, & legis vis, & legiſlatoris voluntas, quæ eadem eſt cenſenda in prædictis caſibus ſempèr enim idem penitùs motiuum, ac eadem prorſus adeſt Ratio. Ergò *Legislatori* (inquit Imperator) *quod fieri non vult, tantùm prohibuiſſe ſufficiat*: Vndè, & *Fraus legi fit, vbi id fit, quod fierit noluit*, fieri autem non vetuit (explicitè nimirùm) & hoc, quoad culpam.

S. Aug. in Pſal. 63.
Reg. 2. c. 12.
L. non dubium. C. de legis ex Conſt.
L. fraus ff. de legib.

IX. Vi *extenſionis* verò continentur in lege, & tunc fit *extenſio*, tùm voluiſſet, ſi cogitauiſſet. Primus vult; ſed voluntatem non explicat; Alter voluntatem non habet, ſed habuiſſet; ſi adfuiſſet cogitatio, vel præuiſio, proptèr *Paritatem Rationis*, ſeu ſimilitudinem (*in* qua *Paritate* tamèn non eſt omnimoda ratio, ſicuti in *Identitate Rationis* ſuperiùs dicta) extenſio quinti præcepti videtur fieri à S. Ambroſio; nimirùm *ſi eſurientem non pauiſti, occidiſti*; huiuſmodi diſtinctio valdè eſt neceſſaria Moraliſtis, & ſuperiora confirmat hiſce Imperator. *Semper quaſi hoc legibus ineſſe credi oportet, vt ad eas quoque perſonas, & ad eas res pertineant, quæ quandoque ſimiles erunt*. Similitudo autem, vel eſt in ſubſtantia, ac principali, & eſt *Identitas*; vel eſt in accidenti, & eſt *ſimplex ſimilitudo*, de qua dici conſueuit, *ſimile non eſt idem*. Nam *ſemper citrà veritatem eſt ſimilitudo* (inquit Seneca): Ex dictis ergò innoteſcit, quod triplicitèr aliquid in lege continetur. 1. *expreſſè*, 2. *implicitè* proptèr Identitatem Rationis. 3. *extenſiuè* proptèr Paritatem Rationis; ſiuè ergò *Caſus* ſit *expreſſus*, ſiuè *implicitus*, ſiuè *extenſus*, in lege præſcribi dicitur, ac contineri. Vbi nam verò militat *Identitas*, vel *Paritas Rationis*, dicetur infrà de Interpretatione odioſorum, ac fauorabilium.

L. Ideòquia ff. de legib.
Sen. proœm. controverſ.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

De Regulis Iuris.

I. LEges, cùm ſint humanorum actuum menſura, ac norma; humani autem Actus per varias circumſtantiarum connexiones multiplicentur ſuper numerum arenæ maris: vndè dicit Philoſophus quod Indiuidua ſunt infinita: Quamobrèm, *neque leges, neque ſenatus conſulta, ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus, qui quandòque inciderint, comprahendantur; ſed ſufficit ea, quæ plerumquè accidunt, contineri;* (inquit Imperator): his verò, vt medeantur Principes, tot ſanxerunt leges, vt eas fuiſſe veluti profundum, ac immenſum mare; dicat Iuſtinianus, & quamuis ipſe eas compilauerit, & reſtrinxerit; nihilominùs quamplures adhuc ſunt, vt ægrè omnes breui noſtræ vitæ tempore ſcire poſſint: hinc cùm *Ars ſit longa, vita breuis* (vt loquitur Hipocrates in Proęmio Aphoriſmorum): ex cunctis legibus decerptæ ſunt *Regulæ Iuris*, ſeu ſummariæ legum notitiæ, quæ *in genere*, & *in totum*, ac *all'ingroſſo*, non *per minuto*, & particulatim (vt Italicè dicitur) omnium legalium materiarum præbent cognitionem: ſicut ſolent Pictores, qui rudi manu in primis, rudique pennicillo effigiem delineant, vltima deindè manu, ac exacta eam abſoluturi, qui autem acri iudicio pollet, in prima etiam delineatione, originalis effigiem agnoſcere quodammodò poteſt: ſic contingit in *Regula Iuris*, quæ eſt quaſi *Cauſæ coniectio* [vt ait Imperator] & eſt Penus, *Promptuarium, ac Theſaurus* multorum caſuum decidendorum. Nam cùm in pluribus particularibus caſibus occurrat eadem ſæpè ratio; hinc *Regula* vna pro multis militat; qui coniunguntur ſecundùm eamdem rationem; & cùm Regula citatur, tenetur alter afferre exceptionem, & oſtendere in quo fallat, nè locum habeat.

L. neque leges ff. de legibus.

L. Regula ff. de Reg. Iur.

II. *Regula verò dicta eſt ex eo, quod rectè dicit, nec aliquem aliorum trahit; alij verò dixerunt Regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam rectè viuendi præbeat; vel quia diſtortum, prauumque corrigat*: ità autèm definitur ab Imperatore: *Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breuitèr enarrat, non vt ex regula Ius ſumatur; ſed ex iure, quod eſt, Regula fiat; per Regulam igitùr breuis rerum narratio traditur, & (vt Sabinus ait) quaſi cauſæ coniectio eſt, quæ ſimul, cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.*

Can. Reg. 111 ex S. Iſidor. ethimolog. l. 6. de Canon.

L. 1. Reg. de diuer. Reg. Iur.

III. De huiuſmodi Axiomatibus ſic ſcribit Caramuel: *Fundamentum eſt quædam ſententia practica vniuerſalis, iuxtà quam ſi benè*

Car. Theol. fũd. n. 1368

benè ponatur, & intelligatur, poterimus ſecurè diſcurrere;breuiùs ab alijs,ſed eumdem conceptum;dicitur Via erroris expers; aut etiam Iter morale rectum, & errorum impatiens. Vocatur à Canoniſtis Regula, *& à Philoſophis* Principium; *à Theologis* Axioma; *à nobis*

Idem n num. 817. *verò* Fundamentum, *quod omnes morales Reſolutiones fundent.* De hac iterùm ſic ſcribit idem Caramuel: *Hæc eſt differentia inter legem, & Regulam. Nam lex eſt vitæ Regula, at Regula eſt lex aliqua generalis ex multis legibus particularibus adducta*; In hoc enim libro caſus, ſeu leges ſimiles reducuntur ad Claſſes, & ad Generales leges, quæ ideò dicuntur *Regulæ*, reducuntur.

Car. Theol. fundam. n. 1373. IV. Ad Iuris Regulas meliùs intelligendas proponit Caramuel alias Regulas.

Prima: Hæc limitatio [excepto caſu, quem fortè in ſpecie contrà hanc Regulam reſoluit Ius] eſt tranſcendentalis,& debet in omnibus, & ſingulis Regulis intelligi. Huic addo hanc vulgarem: *Omnis Regula patitur exceptionem*. Nam cùm ſit valdè vniuerſalis Regula, & Caſus per Regulam decidendi, ſæpe varientur: hinc ſæpè ob peculiares rationes aliqui ſunt excipiendi.

Secunda. *Potior eſt eius cauſa, pro quo agit Regula; debetque ſubſiſtere quouſquè aduerſarius oſtendat, cùr ille caſus excipiendus à Regula generali ſit.*

Tertia. *In Regulis ſicut etiam in omnibus alijs legibus, vtriuſque Iuris, à Genere ad ſpeciem* (ab vniuerſali ad particulare) *irrefragabili argumentatione proceditur.*

Quarta. *Quando excipitur aliquis caſus à Regula, vel etiam à lege generali, omnes ſimiles non præſumuntur excepti; præcipuè ſi materia ſit odioſa, & pænalis. Clariùs in odioſis non valet rationis paritas.* Differunt autem *Paritas* rationis, & *Identitas* rationis. Hactenùs Caramuel. Paritas eſt, cùm adeſt proportio rationis. Identitas, cùm eſt omninò æqualis, v.g. Princeps vetat nè Edictum aliquod affixum, laceretur; quidam autem non lacerat; ſed adurit, & eſt *Identitas rationis*, & *vi comprahenſionis* intelligitur iſte caſus. Alius verò Edictum maculat, ità tamen, vt legi queat, *Paritas*, ac ſimilitudo eſt rationis: ſed non *Identitas*: Nam vetat Princeps lacerari, vt legi poſſit; vult legi, vt intelligatur, vult intelligi, vt obſeruetur, vult obſeruari, vt pax ſit inter Ciues: addo & hanc.

V. *Exceptio firmat Regulam in contrarium*; hoc enim ipſo, quod excipit, non deſtruit Regulam, quinimò confirmat in cæteris, in quibus non militat ratio particularis. *Natura* namque (inquit Pontifex) *termini Reſtrictiui hoc habet, quod ſic excludit ab ipſo extranea, quod cuncta ad ipſum pertinentia, concludit.*

Clem. l. § c. Exiui de Verb. ſignif.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

De notificatione legis.

Eum, qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet.

I. D*Eus, & natura nihil agunt fruſtrà*: vndè prodiuit & hoc Axioma: *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate*: quibus ſuperius innititur *Caput*: *qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet*: Hinc dixit ſeruo Dominus ille: *Sciebas* (nota) *quod homo auſterus ſum; quarè non dediſti pecuniam ad menſam*; nam *ille ſeruus, qui cognouit* (nota) *voluntatem Domini ſui, & non præparauit ſe, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis*. Ergò qui iam ſcit, & cognoſcit, non indiget noua certioratione; Sed *Ad maiorem* (inquit S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus) *culpæ cumulum pertinet, ſcire quemquam quod ſequi debeat, & ſequi nolle, quod ſciat*: vndè, & *Dominus* (ait) ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis, & S. Iacob: *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi*. S.Luc.c.19 S.Luc.c.12 S.Iſidor. ſent.l.2.c.1 S.Iacob c.4.

II. Huius Axiomatis exemplum afferunt Sapiens, & D. Paulus contrà Gentiles: vtpotè qui admoniti lumine rationis naturalis (quod *oſtendit nobis bona*, & quo *ipſi ſibi ſunt lex*) Deum eſſe, & ex Creaturis cognoſcentes eum, non ſicut Deum coluerunt: Vndè inexcuſabiles facti ſunt, cùm naturali lumini non reſponderint, & indignos ſe lumine Fidei conſtituerunt; debet enim quiſque ex quinque talentis alia lucrari; vt alia talenta addantur; vti monuit ipſe Chriſtus: *Omni habenti dabitur, & abundabit*. Sap.c.13. S.P.Rom. c.1. S.Mat.c.25.

III. Huiuſmodi autem Axiomati addenda eſt exceptio, cùm ſcilicèt expreſsè lex, ac legislator exigunt certam, ac peculiarem notificationis formam, qua non obſeruata diſertè docent, non teneri quemquam ad obediendum: vti in citationibus ad comparendum coram Prætore, quæ peculiari ratione fieri debent, quia tunc non ſolùm requirit lex notitiam rei, ſed & notitiæ modum, ac formam, & ſimilia.

IV. In *legislatione* item Superiores iam ſe declararunt nolle lege ſubditos obligari, niſi ſolemnitèr ſit promulgata, & hanc promulgationem volunt fieri in primis, quia ſolemni promulgatione ſeriam voluntatem, ac abſolutam legis obſeruantiam patefaciant: deindè,

Prou.c.6. vt *mandatum quaſi lucerna* accenſa, non ponatur ſub modio; ſed ſupèr candelabrum, vt luceat omnibus. Accenſa verò lucerna, non eſt opus ex genere ſuo, ac regularitèr, & vbiquè circumferatur, vt illuminet: ſed ſatis eſt, ſi in præalta Turri reſplendeat, vt ab omnibus quoque videri queat; ſimilitèr vt lex obliget, ac dirigat ſufficit, vt ex aliorum auditu innoteſcat. Sufficit enim (dicit Pontifex ex D.Thoma) *à fide dignis intelligere ſolemnitèr latam fuiſſe legem*: vti exemplo docent apud Pſaltem aliqui dicentes: *Patres noſtri annunciauerunt nobis*; & alij paritèr apud Ieremiam: Vndè Moyſes ſtatuit hoc præceptum; *Interroga Patrem, & annunciabit tibi*: Nam *Pater* (ait Deo Iſaias) Filijs notam faciet veritatem tuam: (& hic obſerua, quod vnius idonei teſtis annunciatio eſt credibilis notificatio): *maiores tuos, & dicent tibi*: Ergò *eum, qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet*: niſi fortè (vt dixit) Legislator apertè declaret ſe velle vlteriorem certificationem. Nam ſecùs: *non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate*.

C. Ad hæc de Poſtulationibus. S.Tho. 1.2. q.90.ar.4. ad 2.3. Pſal.43. Ierem.c.35. Deut.c.32. Iſa.c.38.

V. Hinc liquet quàm iuſtè Chriſtus exprobrauit vndecim Apoſtolis incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia Mariæ Magdalenæ, & deindè duobus Diſcipulis euntibus Emaus, qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis, non crediderunt: vti Sanctus Marcus narrat. S.Marc.c.16.

CAP. IV.

De legum interpretatione.

Contrà eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.

I. Ex *vno* progeniti ſumus Parente, vt vnum ſimus; ſicut ipſemet Chriſtus præcatus eſt etiam Cæleſtem Patrem, dicens: *Oro, vt vnum ſint; ſicut nos vnum ſumus*: quod in primordio naſcentis Eccleſiæ narrat eueniſſe S.Lucas dicens: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*. Vnitas autem hæc ex rationabili cogitationum, ac voluntatum communicatione exoritur. Nam homo ſociabilis eſt proptèr rationalitatem, ſecùs hominum ſocietas eſſet ſicut Grex animalium, ſolo corpore conſtans; Rationalitas autem Ratiocinationem parit, ac diſcurſum, non ſolùm mentalem pro ſeipſo, ſed & externum pro alijs. Ergò, vt ſit humana ſocietas requiritur, vt aperiatur loquentis mens; ideò namque data eſt homini

S.Ioa.c.17. Act.c.4.

Digitized by Google

mini lingua, ac loquela. *Omnis enim elocutio* [inquit cum Ariſtotele S.Iſidorus Hiſpalenſis] *concepta rei mentis interpres eſt*. Vt verò mens pateat, debet verbis claris eam aperire, qui loquitur, non operire verbis obſcuris. Secus, *Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* diceret Eccleſiaſticus: hinc *Sapiens* (inquit idem Eccleſiaſticus) *in verbis producet ſeipſum*; nam qui intelligi vult, intelligibilitèr loquitur, qui intelligibilitèr loquitur, aperit audientibus cor, velletque Auditorem poſſe *intelligere*, ſeu *intùs legere* in ſuo corde, vti vſuuenit Angelis in Cælis. S.Iſid.Orig. l.2. de dialec.c.6. Eccl.c.20. Ibid.

II, Hinc ipſemet Deus in Biblijs, quæ ſunt *Scriptura* populorum [vt dicit Dauid] loquitur ſimplicitèr, ac intelligibilitèr in ſenſu hiſtorico, ac literali, qui eſt fundamentum Fidei, quod credi debet, ac cæteri innituntur ſenſus *Allegoricus*, *Tropologicus*, & *Anagogicus*, & ipſe Dei Filius incarnatus ſe ſe populorum, ac diſcipulorum Captui accommodabat, loquens eis *in parabolis*, ac ſimilitudinibus, & *talibus parabolis loquebatur verbum, prout poterant audire; ſine parabola autem non loquebatur eis*: & aliqua, quæ erant difficiliora ad tempus reticebat: vt ipſe dixit, *multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò*. Diuus quoque Paulus Magiſtrum ſecutus ſcripſit Corinthijs. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus; ſed quaſi carnalibus: Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis; adhuc enim Carnales eſtis*. Hinc. Pſal.86. S.Mar.c.4. S.P.Cor. 1. c.3.

III. S.Iſidorus ad hanc ipſam rem monet. *Prima prudentiæ virtus eſt, eam, quam docere oporteat, æſtimare perſonam. Rudibus populis ſeu carnalibus plana, atque communia, non ſumma, atque ardua prædicanda ſunt, ne immenſitate doctrinæ opprimantur, potius quam erudiantur. Vndè Paulus Apoſtolus ait*. Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus; ſed quaſi carnalibus tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, *carnalibus quippè animis, nec alta nimis de cæleſtibus, nec terrena conuenit prædicare; ſed mediocritèr, vt initia eorum, moreſque deſiderant doceri*. Etenim ſi ſupra captum loquitur, fruſtrà loquitur: quia alter non capit dicta, & inſupèr paratur illi occaſio, vt capiatur in tranſgreſſione dicti, & vtrumque malum eſt, & fugiendum, ad hanc rem idem Apoſtolus ſcribit ad Corinthios ſic. *Quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſiue tibia, ſiue Cithara niſi diſtinctionem ſonituum dederit, quomodò ſcietur, id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id, quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa vt puta genera linguarum ſunt in hoc mundo, & nihil ſine voce eſt. Si ergo neſciero* S.Iſidor. ſentent.l.3 c.43 n.4. S.P. Cor.1. c.14.

ſciero

ſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus; quamobrem dicit Pontifex, quod contrà ſic loquentem eſt interpretandum. *Contra eum, qui legem* (ſeu pactum, ſeu conditionem, ſeu aliud) *dicere potuit*, apertius, eſt *interpretatio facienda*. Nam *qui ſophyſticè loquitur odibilis eſt*, & propterea contrà ipſum retorquendum eſt odium interpretationis, vtpotè qui non vult capi, ſed capere.

Eccl.c.37.

IV. Eodem penè pacto diſſerendum de his, qui ſimplicitèr dicta interpretantur nimis ſubtilitèr, tamquam forent Myſteria, quia ſenſus populares habent ſua popularia verba, ac phraſes, quæ popularitèr ſunt exaudiendæ; nec metaphyſicè tractandum eſt cum ſimplicibus, ſed popularia, ac communia popularitèr, ac communitèr tractanda. Nam ſicut, qui ſublimia loquitur, non intelligitur à Populari mente; ſic qui humilia, ac popularia loquitur, ſi intelligatur ſublimitèr, ac ſubtilitèr, nec etiam ipſe intelligitur, quia Auditor, ac interpres intelligeret ſublimia, ac ſubtilia; ſed ille hæc minimè dixit; ergò non intelligitur; E contrà Auditor, vel interpres non intelligeret humilia, ac plana, quæ ille locutus eſt, quia altiora, ac metaphyſica ſomniat. Ergò non aſſequitur alius mentem, quæ humilia proponit. Ergò in huiuſmodi locutionibus cor auditoris, ac interpretis phantaſias patitur, ſicut parturientis: non alta igitùr Sapientes, ſed humilibus oportet eſſe conſentientes; secùs, ex hoc fonte quamplura promanant abſurda. Vndè enim tot lites, ac bella? tot Bullarum, ac legum prauæ interpretationes, tot caſuum conſcientiæ damnatæ deciſiones: niſi quia quæ populis legislator proponit, ac illorum, & captui, & viribus accommodat, Interpretes, ac Doctores, diuerſimodè de eis philoſophantur, ac plana erigunt in montes; directa torquent in tortuoſa, & ſic renouatur confuſio Babelicæ Turris; cùm terra vnius labij diuiſa eſt in quamplura idiomata; ita vt alter alterum non intelligeret loquentem. Vera autèm hominum ſocietas, communicatio, ac commercium ex vera animi ſenſuum, ac conſenſuum intelligentia naſcitur, & nutritur.

L. veteribus ff. de pactis. L. in contrahenda ff. de Reg. Iur. L. Labeo ſcripſit ff. de contrahenda emtione. §. ſed quia Inſt. de fideic. Har.

V. Regulam hanc explicant ſequentes textus, & ſimul explicantur ex Regula præſenti. *Veteribus* (inquit Imperator) *placet locationem obſcuram, vel ambiguam venditori, & ei qui locauit nocere, in quorum fuit poteſtate legem apertiùs conſcribere*. Item, *In contrahenda venditione ambiguum pactum contrà venditorem interpretandum eſt*. Vndè, *Labeo ſcripſit obſcuritatem pacti nocere potiùs debere venditori, qui id dixerit, quam emptori: quia potuit re integra apertiùs dicere*. *Nobis enim* [ait Imperator] *in legibus magis ſimplicitas, quam difficultas placet*. *Dolus autèm* [inquit idem]

non

non tantùm in eo eſt, qui fallendi cauſa obſcurè loquitur, ſed etiam qui inſidiosè, obſcurè diſſimulat. Ergò *prouideatis attentiùs, nè ſubtilitèr, ſicut à multis fieri ſolet, cuiuſmodi actio, intentio, inquiratis; ſed ſimplicitèr, & purè factum ipſum, & rei veritatem, ſecundùm formam* Canonum, *& Sanctorum Patrum inſtituta inueſtigare curetis:* [ait Alexander Tertius; & Imperator addit] *Subtilitates à Iudicibus non admittantur.* *L. ea quæ ff. de cõtrahenda emptione.* *C. Dilecti filij de Iudicijs l. 2. tit. 1.* *L. 8. ſicut re ff. Quibus modis pignus, &c.*

CAP. V.

De fraudulenta Legis interpretatione.

Certum eſt, quod is committit in legem, qui verba complectens contrà legis nititur voluntatem.

I. VErba procuratorium, ac Vicarium exercent munus, ſicuti autem in negotijs ſpectatur principalis Domini, non Procuratoris, ac Vicarij mens, ac ſenſus: ſic verba ad literam non ſunt attendenda. Sed loquentis mens, ac ſententia eſt inueſtiganda (vt diximus alibi cum pluribus). Vndè fit, vt ſi verba purè, ac ſimplicitèr attendantur, nec eorum ſenſus obſeruetur, fiat legi fraus. Nam

II. *Litera ſæpè occidit, ſpiritus viuificat*, & plura Scripturæ loca ſi ad literam intelligantur, errores pariunt; ſin verò attendatur ſenſus, ac cum ſpiritus intelligentia percipiantur, viuifica fidei Dogmata ſunt. *S. P. Cor. 2. c. 3.*

III. *Tranſubſtantiatio* non eſt in Scripturis ad literam; ſed ſenſus, ſic & *Incarnatio*, & alia perhibentur, quæ non indicantur ad literam. Sed ex ſenſu patent. Huic disertè conſentit S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus. *Omouſion, hoc eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantia, quod nomen etſi ſcriptum in Sanctis literis non inueniatur, in aſſertione tamen totius Trinitatis defenditur, quia datur ratio, vndè rectè dici oſtendatur: ſicut & Pater in illis libris nuſquam Ingenitus legitur, ſed tamen dicendus eſt, atque credendus.* *Card. Pall. Hiſt. Conc. Trid. l. 4. c. 14. l. 12. c. 7* *S. Iſid. Orig. l. 7. c. de Filio Dei.*

Intelligentia enim *dictorum* (dicit Pontifex) *ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res; ſed rei eſt ſermo ſubiectus*: & iterum, *non Verbum ex verbo; ſed ſenſum ex ſenſu, rogo transferri; quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, ſenſus veritatis amittitur.* Ergò *non intentio verbis, ſed intentioni verba debent deſeruire* [vt dicit idem Pontifex] *& ideò certum eſt, quod* *C. Intel. lig. de verb ſignific.* *C. Propterea de verb. ſignific.* *C. In his de verb. ſign.*

Is committit in legem, qui verba complectens contra legis nititur voluntatem, & in fraudem legis facit, qui ſaluis verbis legis ſententiam eius circumuenit. Vnanimitèr ſanciunt Papa, & Cæſar.

IV. Superiorem Regulam declarant, & ex ipſa ſimul declarantur ſequentes leges, & Canones: nimirùm. *Non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, nec pænas inſertas legibus euitabit, qui ſe contrà Iuris ſententiam, ſeua prærogatiua verborum fraudulentèr excuſat. Legiſlatori, quod fieri non vult, tantùm prohibuiſſe ſufficiat.* Item, *contrà legem facit, qui id facit, quod lex prohibet, in fraudem verò legis, qui ſaluis verbis legis, ſententiam eius circumuenit. Fraus enim legis fit, vbi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, & quod diſtat verbum à ſententia, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra legem fit: nam leges ſcire, non eſt verba earum tenere; ſed vim ac poteſtatem. Hinc Verbum ex legibus, ſic accipiendum eſt, tam ex legum ſententia, quam ex verbis;* eò *magis, quod In conuentionibus contrahentium voluntatem potiùs, quam verba ſpectari placuit. Non debet aliquis conſiderare verba, ſed voluntatem; cùm non intentio verbis, ſed intentioni verba debeant deſeruire.* Vndè *In legem committunt, & ij, qui vigorem eius ſcrupuloſis, & excogitatis artibus eludere feſtinant. Verba* enim *intentioni deſeruiunt. Ea, quæ in principio ad medium, & ad finem: illa verò, quæ in medio ad finem atque principium ſæpè referri contingit.* Quatuor autem modis fit Fraus legis. 1. De *Re ad Rem.* V. G. ſi pro vſura, non pecuniam; ſed munus aliud. 2. De *Perſona ad Perſonam*, ſupponendo alium pro alio impedito agere. 3. De *Contractu ad contractum*. V. G. mulier non poteſt donare marito, & ideò ei vendit, nec pretium exigit. 4. Alio modo *De Contractu ad Contractum*, vti mulier non poteſt fideiubere; conſtituit ſe Principalem: ita Diuus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. Hiſce modis non videtur quis legi aduerſari. Sed reuera repugnat, & idcircò Fraudem legi facere declaratur.

L. contra ff. de leg.
L. Non dubium C. de legibus.
L. contra ff. de leg.
L. Fraus ff. de legibus.
L. ſcire ff. de legibus.
L. nominis ff. de verb. ſignific.
L. in Conuent. ff. de verb. ſign.
C. In hiſ. de verb ſign.
L. nemo ex ijs §. 2. C. de Aſſeſſor. & Domeſt.
C. ſecundo requir. de Appellat.
S. Antonin. Sum. par. 1. tit. 20. §. certum eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

De diſpenſationum interpretatione.

Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

I. COmmune Ius eſt commune Reipublicæ Bonum (vt diximus). Per hanc Regiam Iuris communis Viam ambulantes homines declinant à malo, & faciunt bonum; inquirunt pacem, & perſequuntur eam, quam hiſce à Deo depræcabatur Dauid: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis: Vbi pax, ibi Bonum.* Hanc pacis viam Sapientes Legiſlatores ambulant, & cæteros ambulare exoptant. Verùm *publicè expedit* (inquit Tridentina Synodus) *legis vinculum quandoque relaxare, vt pleniùs euenientibus caſibus, & neceſſitatibus, pro communi vtilitate ſatisfiat.* Imitandi igitùr ſunt prudentes Viatores, qui ſi à publica cogantur [propter obicem] deflectere orbita, obice deindè tranſacta, non ampliùs progrediuntur extrà viam; ſed regrediuntur mox ad eamdem, nè bonum, ac tutum negligant iter.

Pſal. 121. *Trid. ſeſſ. 25. de Ref. c. 18.*

II. Idem imitari iubent Legiſlatores (ait idem Concilium), cùm ſcilicèt à communi iuris orbita, per diſpenſationem, ſeu indulta, ac Priuilegia egredi oportet; Nam *frequentiùs legem ſoluere, exemploque potiùs, quàm certo perſonarum, rerumque delectu indulgere, nil aliud eſt, quàm vnicuique ad leges tranſgrediendas, aditum aperire: Sed ſi vrgens, iuſtaque ratio* [ait eadem Tridentina Synodus ibidem] *& maior quandoque vtilitas poſtulauerint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, erit præſtandum.*

Trid. eod. loco.

III. Vndè patet, quod ab expreſſo *Diſpenſationis* caſu ad alios deducenda non eſt illatio, nec trahenda conſequentia; ſed oportet Ius commune obſeruari in reliquis; & Regula præſens impleatur, quod; *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ſunt trahenda ad conſequentiam. Nam* (inquit quoquè ipſe Imperator) *quod contrà rationem Iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam*; & iterùm, & Pontifex: *In argumentum trahi nequeunt, quæ proptèr neceſſitatem aliquandò ſunt conceſſa. Hinc caſus omiſſus* [inquit Bartolus] *remanet in diſpoſitione Iuris communis.*

L. quod ff. de Reg. Iur. *C. in argumentum de reg. Iur. in 6* *L. quod vero ff. de leg.* *L. ſi extran. ff. de cōd. cauſa da. ita*

CAP. VII.

Priuilegium Perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum Perſona.

I. MAre aquarum congregatio, ac vniuerſitas, ſi ſe in fluuios iugitèr diſunderet, tandèm exhauriretur. Vnum enim infinitum eſt, quod non exhauritur: ſic ſi ſempèr diſtribuatur Reipublicæ Theſaurus, & inceſſantèr erogetur in Priuatos, deficiet: ſic etiam *Ius commune* ſi per Priuilegia diſtrahatur, euaneſcet, & quod pro omnibus conſtitui ſolet, ſi pro vno condatur homine, moleſtum iudicatur ab omnibus. Hinc lex duodecim Tabularum ex Græcia Romam allata, dicit: *Priuilegia nè irroganto*: nihilominùs.

II. Quoniam quandoquè expedit Priuilegia aliquibus impertiri, hæc ita concedentur, vt in Reipublicæ bonum aliquatenùs redundent, ſi non directè, vt lex; indirectè tamen, ſicut flumina exeuntia ex mari ad mare (etſi non integra) iterùm reuertuntur.

III. *Priuilegia* (inquit Gratianus ex S. Iſidoro Hiſpalenſi) *ſunt leges priuatorum, quaſi priuatæ leges. Nam priuilegium indè dictum eſt, quod in priuato feratur*: Hinc quoquè definitur ab Imperatore, ſic: *Ius ſingulare eſt, quod contrà tenorem rationis, per aliquam vtilitatem, auctoritate conſtituentium introductum eſt. Iura enim, non in ſingulas perſonas; ſed generalitèr conſtituuntur: lex* enim *pro communi commodo debet inſtitui*. Vndè conſtitutiones perſonales ad exemplum non trahuntur; nam, *quod Princeps alicui ob merita indulſit, vel ſi quam pœnam irrogauit, vel ſi cui ſine exemplo ſubuenit, perſonam non egreditur* (ait Imperator); cui ſubſcribit Pontifex: *quod* [inquit] *alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum*: Vndè liquet quod; *Priuilegium perſonale, perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.*

IV. *Priuilegia quædam cauſæ ſunt: quædam perſonæ: & ideò quædam ad hæredes tranſmittuntur, quæ cauſæ ſunt: quæ perſonæ ſunt, ad hæredes non tranſeunt*. Hinc *in omnibus cauſis id obſeruatur, & vbi perſonæ conditio locum facit beneficio: Ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficiet: Vbi verò genus actionis id deſiderat, ibi, ad quemuis perſecutio eius deuenerit, non deficiet ratio auxilij. Ceſſante enim ea, ceſſat & effectus:* Non autem ceſſante cauſa, nec effectus ceſſat.

S. Iſid. orig. l. 5. c. 18. C. 6. de Priuileg. diſt. 3. L. vis ſingulare ff. de leg. & ſen. L. Iura ff. de leg. C. erit diſt. 4. L. Quod Princ. ff. de Conſt. Principum. C. quod de Reg. Iur. in 6. L. Priuileg. de Reg. Iur. L. in omnib. ff. de reg. Iur. C. cum infirm. extra de pœnit.

V. Cùm

V. Cùm autem ex vna parte Princeps priuilegium conferat, vult reuerà aliquid concedere ; ſed cùm Priuilegium ſit *præter Ius commune* , non vult ampliari : Hinc dicit Pontifex : *Inſpicienda ſunt Priuilegia* , & *Priuilegiorum tenor eſt diligentibus attendendus* : Nam, *volumus* (ait) *priuilegiorum ſeruare tenorem*, *quod eorum metas tranſgredi minimè videatur* . S.Hieronymus apud Gratianum, & Beda dicunt : *Priuilegia ſingulorum* , *non poſſunt legem facere communem*.

C. Recipimus de Priuil. C. Porro de Priuil. Can.26. q.2. C.2. non ſtatum. & Beda c. 4.

CAP. VIII.

In conceſſione generali non veniunt , quæ quis in ſpecie veriſimilitèr non eſſet conceſſurus.

I. GEnus apud Philoſophos omnes complectitur ſub ſe ſpecies : ſic *ſemper Generalibus Specialia inſunt*: vti decernit Imperator : Verùm cùm Genus plures ſub ſe contineat ſpecies , quarum aliqua valdè ab alijs aliquandò differt : hinc cùm adſit in rebus diuerſitas notabilis, diuerſus quoquè cenſeri debet in eiſdem generalibus, Superioris, cæterorumque ſenſus, ac animus ; nam.

L. Semper ff. de Reg. Iur.

II. Sæpè adeſt Ratio concedendi genus , pro cuius conceſſione generalis, ac triuialis ratio ſufficit ; rarò autèm adeſt ratio concedendi ſpeciem , cuius ratio ſpecialis eſſe debet , vtpotè , quæ multum differt à genere : nam *Generi per ſpeciem derogatur* : ſicut namque differentia ſpecifica contrahit Genus : ſic contrahit , ac reſtringit animum concedentis , qui non ſe extendit pro Generali ratione , niſi ad conceſſionem Generis , ac ſimilium : Nam *Actus rationalium Agentium* (ait Caramuel) *non operantur moralitèr vltrà eorumdem voluntatem* . Voluntas autem non fertur in incognitum , vel non cogitatum ; exemplo res declaratur.

L. generi ff. de Reg. Iur. Caram. Theolog. fundam. n. 810.

III. Deus Noe , Filijſque generalitèr conceſſit omnium Animalium comeſtionem poſt Diluuium , dicens : *Omne* , *quod viuit* , & *mouetur* , *erit vobis in cibum*. Certiſſimè in hac generali conceſſione non compræhenditur carnis humanę comeſtio ; eſt enim in hac ſpecialis ratio, qua Deus hanc non erat conceſſurus ; vt ſtatim ſe ſe declarauit : ſic etiam ſi Epiſcopus in genere audiendi confeſſiones, facultatem concedat , non intelligitur conceſſa facultas abſoluendi à Reſeruatis : quia fruſtanea foret reſeruatio , ſi in generali facultate omnibus daretur poteſtas abſoluendi ab ijſdem ; quia non omnes

Gen. c. 9.

Con-

Conſeſſarij pari pollent prudentia: hinc niſi ſpecialis ſit ratio; veriſimilitèr eam non concedit Epiſcopus concedendo in genere facultatem audiendi Confeſſiones: ſicuti etiam quando Epiſcopus Vicario Generali generale Vicariatus mandatum tradit, non intelligitur data conferendorum Beneficiorum poteſtas, quam veriſimilitèr in ſpecie non fuerat Epiſcopus conceſſurus.

CAP. IX.

De odioſis, & fauorabilibus.

Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari.

I. DEi natura Bonitas, quæ non poteſt ſua benignitate priuari: Vndè ſuamet natura eſt Deo cauſa benefaciendi alijs (vt inquit Seneca) *Bonum* enim *eſt diffuſiuum ſui*: eadem Bonitatis natura facit eum quoque ab odio alienum; propterea ait Sapiens: *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Amat ſiquidem, & amando propendet ad benefaciendum, & benefaciens ſuæ obſecundat naturæ, & è contrà amando abhorret à malis, & mala irrogando ſuo quodammodò aduerſatur ingenio.

Senec. ep. 95.
Sap. c. 11.

II. Homo verò *ad imaginem Dei conditus eſt, vt ſui eſſet imitator auctoris, & in nobis quaſi in quodam ſpeculo Diuinæ benignitatis forma reſplendeat* (vt inquit S. Leo): ergò natus ad amorem, & alienus ab odio. Ergò velox ad benignitatem, & tardus ad iram. *Charitas* enim (quæ eſt ſpiritus Chriſtianiſmi) *benigna eſt* (inquit S. Paulus); cui concordat Sanctus Iacobus: quod *Dei ſapientia* (ſeu gratia, ac ſpiritus bonus fidelium) *eſt plena miſericordia:* ſicuti autem homo quilibet frequentiùs naturalibus paret inſtinctibus; ſic præſumenda, ac interpretanda eius voluntas, quod nolit odiſſe; ſed velit afferre fauores, niſi expreſsè diuerſa appareat eiuſdem mens, ac animus.

S. Leo ſer. 7. de Ieiunment.
S. P Cor. 1. c. 13.
S. Iacob. c. 3.

III. Duplicitèr autem mouetur quis ad conferenda beneficia. Primò mouetur prorsùs à ſeipſo, & dicitur *motus proprius*, & ab Imperatore *Diuina Indulgentia*, quæ enim à nobis ipſis volumus, pleniùs volumus: hinc largiſſimè huiuſmodi voluntatem, maximè in Principibus interpretamur: vti dicit Iuſtinianus: *Beneficium* [ait] *Imperatoris, quod à Diuina, ſcilicèt eius Indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſimè Interpretari debemus:* cui conſonat Summus Pontifex

L. Benef. ff. de conſtit. Princ.

Digitized by Google

ſex Innocentius Tertius, dicens: *Beneficia* (inquit) *Principium ſunt interpretandi largiſſimè*: eadem repetit Innocentius ſic ſcribens: *In Beneficijs pleniſſima eſt interpretatio adhibenda*. Non ſolùm autèm Beneficia Principum ſunt latè interpretanda; ſed & cæterorum, vt idem Innocentius alijs ſignificauit. *In contractibus* (inquit) *plena*; *in Teſtamentis plenior*; *in Beneficijs quoque pleniſſima eſt interpretatio adhibenda*. Secundò ab alio excitatur quis ad beneficia conferenda, & dicitur moueri *ad inſtantiam*, *ad preces*, *ad petitionem*; & in his voluntas adeò plena non accipitur; vtpotè quæ tota non fluat ab intrinſeco cordis; ſed partim ab extrinſeco, & à petente, ac inſtante procedat.

C. Olim de Verb. ſign. *C. quia circa de Priu.* *C. cum dilect. de Donation.*

IV. Fauorabiliores autèm ſunt, 1. *Deus*, & eius Religio, 2. *Reſpublica*, & *Ius commune* Reipublicæ vtile. 3. *cauſa libertatis*, *matrimonij*, ac *Dotis*, & *vltimæ voluntatis*. 4. *Priuatus* homo. 5. inter Priuatos fauorabiliores ſunt *Rei*, quàm *Actores*.

V. *Odia* ergò *reſtringi conuenit*, vtpotè quæ Dei, hominumque ingenio repugnare videantur: Vndè ſi Conditor Canonis aliquam abſoluendi facultatem ſibi ſpecialitèr non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur: vti decernit Pontifex: hanc Regulam comprobant, ac explanant Textus Canonici ſequentes: *In obſcuris minimum eſt ſequendum*: Cui conſentit, & Imperator: *Sempèr* (inquit) *in obſcuris, quod minimum eſt ſequimur*. *Sempèr* (ſiquidem) *in ſtipulationibus, & in cæteris contractibus, id ſequimur, quod actum eſt: aut ſi non pateat, quod actum eſt, erit conſequens, vt id ſequamur, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergò ſi neque Regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt*. Odioſa enim ſunt grauamina obligationum, quæ homines liberos grauant, & libertati videntur officere.

C. Nuper à nobis de ſent. excomun. *C. In obſcuris de Reg. Iur. in 6.* *L. ſemper in ff. de Reg. Iur.* *L. ſemper in ſtipul. ff. de Reg. iur.*

CAP. X.

De pænalium interpretatione.

In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

I. IVſtus equè, ac miſericors ad *intrà* eſt Deus: ad *extrà* tamèn vult, quod *miſerationis eius ſint ſuper omnia opera eius*; hinc totis votis, ac vocibus exaltat Deum, cui proprium eſt *miſereri ſempèr, & parcere*, & quia *Omnipotentiam ſuam parcendo maximè, ac* mi-

Pſal. ..

Digitized by Google

miſerando manifeſtat; Iudicium enim Iuſtitiæ à Diuina Miſericordia temperatum maximoperè Dei bonitatem commendat: vti docet S.Iacobus dicens. *Superexaltat miſericordia iudicium*: hinc *expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis*, inquit Iſaias Propheta.

S.Iacob.c.2.
Iſa.c.30.

II. *Eſtote* & vos [inquit Dei Filius] *miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt, ſcilicèt, cùm manſuetudine*, [monet Tridentina Synodus], *rigor cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt*, hinc patent ſequentes conſtitutiones.

S.Luc.c.6.
Trid.ſeſſ. 13 de Ref. c.1.

III. Leges odioſę vel pænales ſtrictè ſunt interpretandæ. *Odia enim reſtringi, fauores conuenit ampliari*, ac *In pænis benignior eſt* interpretatio facienda. Nam *interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt, potiùs quàm aſpernendæ.* Ac proindè. *In pænalibus cauſis benignius interpretandum eſt*, quarè *In pænis vbi lex figit pedem, non debemus vltra procedere*. In pænalibus namquè non fit extenſio, niſi omnimoda ſimilitudo, ſeu identitas rationis compræhenderet caſum, vel ſi non fieret extenſio, lex redderetur fruſtratoria, & effectu careret.

IV. Clareſcunt etiam proximè leges, ac Regulæ, nimirum. *In ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet*, ſiquidem. *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus iuſtius, quam tutius*, hinc *ea facta* (ait Papa Gregorius Nonus cum Beda) *quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpræatamur*.

C.odia de Reg.Iur.in 6.
C.In pęnis deReg.Iur. in 6.
L. legum ff.de pænis
C.pæna Diſt.1.de pœnit.
L. Factum
l.capienda ff.de Reg. Iur.
C.ſi ſentēt.
C.ſi Ciuitas de ſenten.excom.
L.ſi fuerit ff.de Rebus dubijs.
L.Ea quæ ff.de Reg. Iur.
C.Eſtote de Reg.Iur.

CAP. XI.

Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum.

I. DIuinam Principes, cuius ſunt Miniſtri, imitari debent benignitatem. Dei autem benignitas non ſolum multa eſt in conferendis beneficijs; ſed & in Collatorum diuturnitate: Nam *Pater eſt miſericordiarum, & miſericordia eius ab æterno vſque in æternum ſupèr timentes eum*. Inſuper donat Deus, nec Donum reuocat. *Dona enim Dei* [ait S.Paulus] *ſunt ſine pænitentiâ*. Sic Principis multa eſt benignitas, & hanc diuturnam eſſe iubet: *Decet enim conceſſum à Principe beneficium, eſſe manſurum ſicuti Charitas, ex qua* Beneficium oritur, *numquam excidit*; ſed ſicuti Sol iugitèr radios diffundit; ſic & ipſa perſeuerat in Beneficijs datis, quod ex ipſa Beneficij definitione magis innoteſcit.

S.P. Cor.2. c.1.
Pſal.51.
S.P.Rom. c.11.
S.P.Cor.1. c.13.

II. *Be-*

Digitized by Google

II. *Beneficium* (ait Seneca) *eſt beneuola actio tribuens gaudium, capienſque tribuendo in id, quod facit, prona & ſpontè ſua parata Beneficium non in eo, quod fit, aut datur conſiſtit, ſed in ipſo dantis, aut facientis animo.* Cumque animus ſit benignus, & Charitatis feruore polleat, vellet ſua Beneficia ſempèr durare. Vndè patet ſequentium Canonum intelligentia. *Senec. de Benef. l. 1. c. 6.*

III. *Gratia* Papæ *non perimitur morte concedentis; nec eiuſdem executio rei, & ſi adhuc integra. Gratiæ enim eſt acceſſorium executio; ſanè, ſpecialem Gratiam decet eſſe manſuram.* Multò minùs; *Indultum à iure Beneficium, non eſt alicui auferendum.* *G. ſi ſuper de off. & pot. de leg. in 6. C. ſi cui de Præben. & dignit. in 6 C. Indultũ de Reg. Iur. in 6.*

CAP. XII.

De pœna non irroganda Innocenti.

Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.

I. CVlpa, ſeu peccatum eſt morbus moralis hominum, ac quandoquè etiam ſerpit quaſi Cancer in Ciuitatem. Culpa autem duplex eſt ad rem noſtram 1. *Culpa Theologica*, qua quis coram Deo in interiori conſcientiæ Foro reus eſt pœnæ. Altera *culpa Iuridica*, qua homo in externo *Foro Fori*, coram Iudice, pœnæ obnoxius eſt. Hiſce culparum morbis, vt medeantur Superiores apponunt pœnas, quaſi medicamenta (dicit enim Ariſtoteles) *Pœnæ ſunt medicamenta: medicamenta autem fiunt per contraria: hinc pœnæ per dolores fiunt*, & Summus Pontifex ex D. Auguſtino, apud Gratianum confirmat, dicens: *Pœna propriè dicitur læſio, quæ punit vindicans, quod quiſque commiſit.* Sunt autèm medicamenta, vel perſonæ, vel Ciuitatis: punitur enim morte homo, vt vnius experimentum alijs ſit exemplum; & curatur vnus, vt ſanentur omnes. Expedit namquè ſæpè, vt vnus moriatur homo, nè multa Gens pereat. *Ariſt. ethic. l. 2. c. 3. C. Pœnit. diſt. 3. de Pœnit.*

II. *Pœna* alia eſt propriè pœna, quæ tantùm proprio peccato infligitur, cuiuſmodi eſt Pœna Spiritualis. Alia eſt Pœna aliquandò non propria, quando non eſt pro peccato patientis; ſed proptèr delicta aliorum, ad quos patiens aliquo modo ſpectat: vti Filius ad Patrem, *cùm pro affectu* (inquit Imperator) *parentes magis in liberis terreantur*: vndè Noe maledixit Chanaan Filio Cham delinquentis in Patris ruborem; ſeruus ad Dominum, quales ſunt affli- *L. 8. Iſti qui dem §. 3. Geneſ. c. 9.*

Digitized by Google

ctiones corporis ; detrimenta rerum, & videntur dici potiùs *Pœnalitates*; quales, & ipſa Virgo Sanctiſſima ſuſtinuit, & euadunt vtiles ipſiſmet ſuſtinentibus.

Ezech.c.18 *Exod.c.23.* *S.Tho.1.2. q 87.art.8.* *C.ſi ſent.de ſent.excom.in 6.* III. Pæna propriè dicta numquàm eſt puniendus Innocens: quia *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur*, indicit Ezechiel; *Inſontem autem, & Iuſtum non occides*: iubet Dominus. Pæna verò non propriè dicta, ſi cauſa ſubſit, punitur alter: vti docet S.Thomas; & innuit ſuprà Summus Pontifex Bonifacius, & alibi etiam.

CAP. XIII.

De pæna infligenda vni Reo.

Delictum perſonæ non debet in damnum Eccleſiæ redundare.

I. PÆnæ ſunt medicamenta (vt diximus) medicamenta verò præbentur ægrotis: Nam, *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus*, aſſerit Dei Sapientia Incarnata. Ergò peccanti eſt irroganda pæna, non autem Inſonti: Quidquid eſt (ſciſcitatur ipſemet Deus Ezechielis ore) *Quod inter vos Parabolam vertiſtis in Prouerbium iſtud in terra Iſrael dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes Filiorum obſtupeſcunt. Viuo ego dicit Dominus; Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filij. Iuſtitia Iuſti erit ſupèr eum, & impietas impij erit ſupèr eum. Ergò delictum Perſonæ* (ſiuè Parochi, ſiuè Canonici) *non debet in damnum Eccleſiæ redundare* (ait Papa) *ſed vnuſquiſque* [ait Ieremias] *iniquitate ſua morietur. Omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius.*

S.Mat.c.9. *Ezech.c.18* *C.Cum venerabilis de exceptionibus.* *Ierem.c.31*

II. Hinc patent ſequentes Textus, & ſuperiorem Regulam multò magis pateſaciunt: *Non debet aliquis alterius odio prægrauari.* *Non debet* (inquit Imperator) *alteri per alterum iniqua conditio inferri*: Nam *iniquum iudicamus, vt aliquis alterius odio prægrauetur.*

C.non debet de Reg. Iur.in 6. *L.nō debet ff.de Reg. Iur.* *L.ſi quis ff. de inoff. Teſt.* *Exod.c.20.*

III. Cùm autèm dixit Deus per Moyſem: *Ego ſum Deus Zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, his, qui oderunt me.* Hoc intelligitur, quia Patrum ſolent Filij imitari mores, quos, vſquè ad quartam generationem intuentur, ſuntque Genimina Viperarum, & ideò ſimùl cum Patribus

bus puniuntur, vt docet D.Thomas: inſupèr plectuntur Filij pæna non propriè dicta (de qua ſuprà), & quatenùs ſunt aliquid Patris; & veluti in parte ſui Pater corripitur; Vndè non ſine cauſa puniuntur, & ipſi, & ſæpè ad maiorem meritorum cumulum. *S.Tho.1.2. q.87.ar.8. ad 1.*

CAP. XIV.

De Probabiliore ſequenda.

Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimiliùs, vel quod plerumquè fieri ſolet.

I. FVgienda eſt erroris, ac falſitatis nox, & amplectenda eſt Veritatis Dies, vt hortabatur S.Paulus dicens: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis;* ſi autem dies nondùm exurgat, viator preuio Lunæ lumine iter habet, vel ad minùs prælucente lucerna, ambulat: nec ſine aliquo lumine procedit, nè corruat: quia *qui ambulat in tenebris, neſcit, quò vadat, & offendit*: ſic abſquè iſta Probabilitatis ſaltèm lucerna, non operabitur homo, vti docet etiam Cicero: nam ſinè veritatis ſaltèm imagine (quæ eſt certa Probabilitas) non rectè homo procedit, quia lux Rationabilis hominis eſt Ratio, vel apertè vera, vel veriſimilis. Verùm ſi Probabilioris, vel Lunæ lumine pergere potuerit, hoc eliget, donec ipſa eluceſcat claræ veritatis dies, vt indicat S.Petrus; attendite *tamquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donèc Lucifer oriatur.* *S.P.Rom. c.13.* *S.Ioa.c. 12.* *Cicer.of.l.1* *S.Pet.2.c.1*

II. Accedendum enim eſt ad veritatem quoad fieri poteſt, & recedendum à contrario, & in ſcholaſtica ignorantiæ nocte, lumen quo poſſumus maius ſequi debemùs (vt diximus alibi, & dicemus infrà). Hinc Imperator ſic obſeruandum in obſcuris decernit: *De quibus cauſis ſcriptis legibus non vtimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus, & conſuetudinè inductum eſt, & ſi qua in re hoc defecerit, tunc quod proximum* (nota) *& conſequens ei eſt.* Soli proxima eſt in lumine Luna. Veritati verò proxima eſt Probabilior. Ergò hæc amplectenda, cùm deliteſcit ipſa veritas: ſicut viator Lunæ claritatem ſectatur, cùm Solis deficit ſplendor: Vndè Superior clareſcit Regula, quam ſic cum Pontifice repetit Imperator: *In obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimiliùs* (nota) *eſt, aut quod plerumquè fieri ſolet.* Nam cùm legis veritas ex verbis non patet, ex factis ipſis, ac praxi innoteſcere ſolet. *Optima* enim *legum interpres eſt conſuetudo.* *Inf.c.75. Par.3.c.6. 7 8.9.10. Par 4.c.15. L.de quibus ff de legibus.* *L.in obſcuris ff.de Reg.Iur. L.ſi de ff. de legibus.*

Digitized by Google

III. Confirmatur huius Regulæ explicatio ſic ratiocinando. Ille iubetur aliquam Doctrinæ partem ſequi è duabus,quam omittens ſequi, peccat;hæc propoſitio patet: quia *Vbi non eſt lex , nec præuaricatio* (inquit S.Paulus). Sed qui omittit ſequi Probabiliorem è duabus, ſcilicèt probabiliori, & probabili, peccat. Ergò quis tenetur ſequi Probabiliorem relicta Probabili. Quod peccet ex ore ipſius Chriſti liquet, dicentis, quod Populus Hebræus peccauit, quia non eſt ſecutus ipſius doctrinam maioribus operibus facta probabilior, quam fuerit doctrina antiqua: quoniam ſcilicèt ipſius *teſtimonia credibilia facta ſunt nimis*, ac magis quam Moyſis probabilia; imò vera, ſed tunc minùs credibilia, quam Chriſti: vti Dei Filius apud S. Ioannem ſic aſſerit: *ſi opera non feciſſem in eis,quæ nemo alius* (nota) *fecit,peccatum non haberent* (nota). Ergò quia per maiora opera Credibilior erat Chriſti doctrina, quam veterum, & tamèn eam neglexerunt Hebræi; Ideò peccauerunt. Ergò quia omiſerunt Probabiliorem peccauerunt. Ergò omiſſio Probabilioris eſt peccatum.

S.P. Rom. c.4.

Pſal.92.

S.Ioan.c.15

IV. In obſcuris autem ac dubijs veriſimilius eſt quod Legislator, ac cæteri voluerint odiâ reſtringere, ac fauores ampliare; iuxtà Textus ſuperiùs allatos.

CAP. XV.

De peccatis.

Peccati venia non datur niſi correptis.

I. B*Ona eſt lex,ſi quis ea legitimè vtatur* [vt inquit S. Paulus]. Verùm tam prauum eſt ex natura lapſa hominum Cor, vt bono malè vtatur, & indè peccet: vndè mereri debuerat. *Occaſione enim accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*, iterùm dicebat S. Paulus. Eſt autèm peccatum, *Actus humanus à lege deuius* (vti docet S.Thomas cum D. Auguſtino): à finibus namque legis ſiuè naturalis, ſiuè hominum egreditur actio peccaminoſa, & peccator limites à Legislatoribus præſcriptos tranſgreditur,& auertit ſe à Deo legum omnium primario Conditore, & conuertitur ad Creaturas, quæ ſunt *muſcipula pedibus inſipientium* (vt loquitur Sapiens.)

S.P.Rom.c.7.

S.Tho.1.2. q.21.ar.1. & q.71.ar.6.

Sap.c.14.

II. Si verò peccator auerterit ſe iterùm à Creaturis, & conuerterit ſe ad Deum Creatorem ſuum veniam conſequetur. Nam *Non vult Deus mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat, & in*

qua-

Digitized by Google

quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua, impietas non nocebit ei (inquit Ezechiel) :hinc & ipſe Imperator Dei miniſter etiam proteſtatur dicens, *Delicti veniam pænitentibus damus. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non deſpicit*, e contrà ſi non conuertatur, ſed ſordeſcat adhuc in peccatis; *Væ impio* [minatur Iſaias] *in malum, retributio enim manuum eius fiet ei*: hinc ait S. Iſidorus Hiſpalenſis. *Irriſor eſt non pænitens, qui adhuc agit, quod pænitet: nec videtur Deum pauere ſubditus, ſed ſubſanare ſuperbus*. Iſaias peccatoribus dicit. *Lauamini mundi eſtote*, lauatur itaque, *& mundus eſt, qui & præterita plangit, & flenda iterùm non committit. Lauatur, & non eſt mundus, qui plangit, quæ geſſit, nec tamen deſerit; ſed poſt lacrymas ea, quæ fleuerat, repetit: Sic denique alibi animam pænitentem, atque iterùm delinquentem ſermo diuinus increpat, dicens*, quàm vilis facta es, nimis iterans vias tuas. *Quiſquis ergò culpas præteritas plorat, nunc neceſſe eſt modum teneat, vt ſic admiſſa defleat, ne iterùm flenda committat. Væ mihi miſero Iſidoro, qui & pænitere retro acta negligo, & adhuc pænitenda committo.*

Ezech c. 33.
Imp. l. Manich. C. de Hæret.
Pſalm. 50.
Iſa. c. 3.
S. Iſidor. ſent. l. 2. c. 16. n. 14.
Ierem. c. 2.

III. Ergò patet, quod *Peccati venia non datur niſi correptis*: multò minùs *non datur* (inquit S. Iuſtinus Martyr) *noxæ remiſſio ei, qui peccatum ſuum non pro peccato, ſed pro iuſtitia habet*; etenim. *Aſſoluer non ſi può, chi non ſi pente*. Canit etiam Poeta Hetruſcus; *Pænitemini* [igitur: inquit S. Ioannes Baptiſta] *& credite Euangelio, quia niſi pænitentiam* [inquit ipſemet Ieſus] *habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

S. Iuſt. quæſt. & Reſp. 108.
S. Mar. c. 1.
S. Luc c. 13

CAP. XVI.

De Reſtitutione.

Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.

I. FRigeſcente Charitate introductum eſt illud frigidum verbum. *Meum* ac *Tuum*. Pro bono namque Pacis à Gentibus facta eſt Diuiſio rerum, & diſtincta ſunt Dominia: quapropter nemini alterius res vſurpare licèt; ſed relinquendum vnicuique ſuum, ſicut ipſe Dominus Deus per Moyſis os confirmat, ac præcipit in ſeptimo Decalogi præcepto, indicens: *Non furaberis*. In quo vno verbo omne Proximi damnum vetatur; nec *alienam rem* apud ſe habere, nec al-

alteri *damnum* creare, nec contractibus deeſſe iubetur, vt Catechiſmus Romanus explanat.

II. Tria autèm hæc nimirùm. 1. *iniuſta damnificatio*. 2. *Res aliena* apud nos extans. 3. *contractus* obligatio: Tres radices ſunt Reſtitutionis faciendæ; ad quam obligamur, non ſolùm ſi nos ipſi facimus; ſed etiam, ſi per alios damnum alteri perpetremus; iuxta illud Philoſophorum Principium. *Quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*, & iuxta Canonicum Axioma: *Qui occaſionem* [ſcilicèt cauſam; hæc enim diſtinguuntur ait Papa] *damni dat, damnum dediſſe videtur*. Vndè S.Thomas, cum cæteris Moraliſtis, hiſce verſibus omnes, qui ad Reſtitutionem obligantur, perſtringit.

C. ſi culpa de Iniurijs, & damno dat. C. ſollicite de Maioritate. S.Tho. 2.2. q.62. ar.7.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutuus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Qui nimirùm ex officio loqui, obſtare, & manifeſtare tenebantur.

III. Virtus autèm, quæ externas hominum actiones moderatur, vt benè ſe homines gerant ergà alterum, *Iuſtitia eſt*, quæ iubet *alterum non lædere. Ius ſuum vnicuique tribuere*. Virtus verò conſiſtit in medio. Medium autem duplex eſt. 1. *Medium ſecundùm rationem, quoad nos*, quodque viribus perſonæ Agenti reſpondet, in edomandis paſſionibus, circà quas verſantur cæteræ virtutes morales [vt docet D.Thomas]: Alterum *medium rei*: cùm *Res Rei* reſpondet, & æqualis eſt: vti quatuor ad quatuor, quæ dicitur etiam proportio *Aritmetica* à Theologis, hoc eſt æqualitas. Iuſtitia autem præcipit medium Rei, non quoad nos, ſed, vt tantumdèm detur, quantum acceptum eſt, & æqualia ſint. *Aequale autèm eſt realitèr, medium inter maius, & minus*. Iterùm docet cum Ariſtotele S.Thomas ibidem. Ergò ſi quis abſtulit ab altero aliquid, vel cauſa fuerit, vt diminuta ſit alterius Res; & idcircò alter *damnum* ſit paſſus (quod *à diminutione* dicitur) debet illi reſtituere; hoc eſt Rem acceptam rursùm ſtatuere in bonis damnum iniuſtè paſſi: hoc enim ſignificat *Reſtituere*.

D.Tho. 2.2 q.85. ar. 10

L. Damnū ff. de damno infecto.

IV. Præcedentia confirmantur ex ſequentibus, & ſequentes ex præcedentibus plenius intelliguntur: *Cùm verbum Reſtituas, in lege inuenitur: etſi non ſpecialitèr de fructibus additum eſt, tamèn etiam fructus ſunt reſtituendi*. Nam *Reſtituere is intelligitur, qui ſimul, & rem, & cauſam Actori reddit; quam is habiturus eſſet, ſi ſtatim iudicium accepti tempore res ei reddita fuiſſet; ideſt vſucaptionis cauſam, & fructuum*. *Reſtituere* enim *videtur is, qui reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controuerſia ei facta non eſſet. Verbum Reddendi, quamquàm ſignificatum habeat* retrodandi, *recipit tamen, & per ſe dandi ſignificationem*; Item *Reſtituere eſt etiam poſſeſſorem facere, fructuſque reddere: Pleraque prætereà* re-

L. incendiū natio ff. de Reg. Iur. L. 35. Reſtituere ff. de verb. ſign. L. 75. Reſtituere ff. de verb. ſign. L. 94 verbum ff. de verb. ſign. L. Plus eſt ff. de verb. ſignif.

Digitized by Google

reſtitutionis verbo continentur. Nam *Verbo Reſtitutionis omnis vtilitas actoris continetur.* Dicit l. cũ praeter ff. verb. ſign.

V. *Reddite ergò omnibus debita* [inquit S. Paulus] : *cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal*: vti ipſemet Chriſtus docuit, dicens: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*; ſecùs *Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur ablatum*; quia non eſt correptus, qui Iuſtitiæ præcipienti æqualitatem, non ſatisfacit. Peccati autèm venia non datur *niſi correpto*, vti nupèr diximus. Vti l. apud Labeonem ff. de verb. ſignif. S. Paul. c. 13. S. Math. c. 22.

CAP. XVII.

De Fide, ſeu fidelitate ſeruanda.

Fruſtrà ſibi Fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui Fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.

I. INſcrutabile creauit Deus hominibus cor: linguam tamèn illis dedit, vt ſi voluntariè abditos mentis ſenſus, cordiſque affectus patefacere vellent, poſſent: ſi autèm lingua mentis ſenſus ſincerè indicat, lingua *verax* dicitur: ſin autèm lingua contrà mentem it, eique diſſentiat, dicitùr *mentiri*, ſeu quaſi *contrà mentem ire*, & dicitur eſſe lingua *mendax*, cum verò plura mendacia componit, *lingua doloſa* vocatur, de qua Pſalmiſta canebat: *lingua tua concinnabat dolos*, de qua pluries vniuerſa obloquitur Scriptura. Si igitur homo ſincere loquitur ex Corde, ac animo, & lingua menti concordat, nuncupatur *Verax*, ſi autem verbis facta etiam concordent appellabitur *Fidelis*. Nam *Fides dicitur, eo quod fiat, quod dictum eſt* (innuit S. Auguſtinus, & cum eo S. Iſidorus Hiſpalenſis), *propriè nomen Fidei inde dictum, ſi omninò fiat, quod dictum eſt, aut promiſſum. Fidelis pro eo quod ſit, ab eo id, quod dicit, vel promittit bonum*, Eſtque *Fides dictorum, conuentorumque conſtantia, & veritas* (Cicero ait), eamque dicit, quod ſit Sol mundi ciuilis, & Iuſtitiæ, fundamentum, eſt enim etiam totius humani commercij columna, quà collabente vniuerſa ſimul collabetur humana ſocietas. Pſal. 49 S. Aug. ep. 19. ad Hieronym. S. Iſid. l. de Rel. & l. 10 litera E. Cic. of. l. 1.

II. Qui huiuſmodi eſt, & perſtat in dictis, *Fidelis* eſt, dignuſque eſt, cui credatur, quæ *Credulitas* ex fide oriens etiam vocatur, diciturque *Fides* humana; quia adhibetur homini propter ſuam fidelitatem, cuiuſmodi adhibetur Teſti, vel Hiſtoricis. Si autem Deo credi-

dimus reuelanti, arcana Myſteria, *Fides Diuina* appellatur; quia Diuina eſt Auctoritas, cui credimus. Eſtque hæc Fides *ſubſtantia* (ait Sanctus Paulus) *ſperandarum rerum, argumentum non apparentium*.

S. P. Hebr. c.11.

III. Qui dictis non reſpondet, fidemque frangit, quantum in ipſo eſt, facit, vt occidat Sol Ciuilis Mũdi, ac vt corruat columna fabricæ humani commercij, vt fecit Sampſon. Si ergò ipſe facit occidere Solem Fidei, quommodo deindè vult, vt alter ambulet in lumine fidelitatis? Si labefactat ipſe fundamentum Domus, quommodò vult alterum ſibi viuere fidelem? Hinc liquet quod *Fruſtrà ſibi Fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui Fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.* Gregorius propterea Tertius Francorum Regi ſic ſcripſit. *Non propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat, nec tu ei etiam ſi promiſſum tuum iuramenti, vel Fidei obligatione interpoſita conditione firmaſſes aliquatenus teneris, ſi conſtat eum conditioni minimè paruiſſe. Illi* proindè (ſubdit Imperator) *debet permitti pœnam petere, qui in ipſam non incidit.* Hinc fertur illud, *Frangenti Fidem, Fides frangatur eidem.*

C. Peruenit ad nos de iure iurando.
L. Cum par ff. de Reg. iur.

IV. Præterea non eſt ſeruanda Fides, ſi ad peccatum vrgeat. Nam *ſi ad peccatum* [inquit S. Auguſtinus apud Gratianum] *faciendum Fides adhibeatur, mirum ſi Fides appellanda eſt*. Quinimò Fides tunc (vt alteri virtuti amica) ne fiat, ipſa curabit: ſunt enim virtutes morales, ſibi inuicem connexæ, vti docet S. Thomas, quia ſecundùm Philoſophum. *Bonum non eſt Bono contrarium*: Indè eluceſcunt proximi Textus. *In malis promiſſis Fidem non expedit obſeruari. In multis promiſſis reſcinde Fidem* (dicit Gratianus, & S. Iſidorus Hiſpalenſis). *In turpi voto muta decretum, quod incautè vouiſti, ne facias: Impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* (Idem Gratianus ex D. Auguſtino) *magna ſapientia eſt reuocare hominem, quod malè locutus eſt*: & iterùm ex Concilio Eliberitano. *Definitio incauta, laudabilitèr ſoluenda eſt, nec eſt præuaricatio; ſed temeritatis emendatio: non ſempèr igitur* (concludit ex S. Ambroſio) *promiſſa omnia ſoluenda ſunt. Denique ipſe Dominus frequenter ſuam mutat ſententiam, ſicut Scriptura indicat. Generalitèr* (indicit Innocentius Tertius) *omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum eſt, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſeruari*. De huiuſmodi iterùm dicit Gratianus cum S. Auguſtino. Vide infrà c.40.

Grat. cau. 22. q. 4. c. ſi ad.
S. Tho. 2. 2. q. 101. ar. 4 & 1. 2. q. 65. ar. 1.
C. In malis de reg. iur. 6.
Grat. c. in malis cau. 22. q. 4.
Ibidem c. magna.
Ibidem c. diſinitio.
Ibidem c. non ſemper
C. quoniam omne de Præſcriptionibus.
Grat. c. 22. q. 4. c ſi ad.

CAP.

CAP. XVIII.

De Bona Fide, ſeu Bona Conſcientia.

Bona Fides non patitur, vt ſemèl exactum, iterùm exigatur.

I. Bona Fides ſignificat etiam *Bonam Conſcientiam*, quandò quis ſincerè putat iurè poſſe facere, quod facit, ſuæque credit, ac fidit Conſcientiæ (vt dicit Imperator); *Bona verò Fides tantùm poſſidenti præſtat, quantùm ipſa Veritas, quotiès lex impedimento non eſt*: addit idem Imperator. Nam Inculpatus error pro veritate habetur, & prodeſt, ac ſi non eſſet error: è contrà *Mala* Fides eſt, cum Conſcientia redarguit facientem: Hinc S. Paulus monet quod: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: & cum Diuo Paulo Innocentius Tertius repetit idem, quod cum repræhendit nos cor noſtrum, nè aliquid faciamus; ſi facimus, erit peccatum; vti cum Diuo Auguſtino docet Gratianus.

L. Bona fides ff de verb. ſign. L. Bona fides ff. de Reg. Iur. S. P. Innoc. III. c. quoniam omne de præſcript. Grat. cau. 34 q. 1. c. ſi virgo.

II. Regula enim proxima Actuum humanorum eſt conſcientia, ſeu Iudicium practicum hic, & nunc, ac veluti cordis ſententia, qua definitur, hoc licere, vel vetari; Cui ſi ſe conformet Actus, erit bonus, ſi diſſonet, malus erit. Ergò ſi conſcientia non eſt bona, ſeu non iudicet hoc bonum eſſe; ſed malum, & nihilominùs fiat, peccatum erit: *Omne* namque *quod non eſt ex Fide peccatum eſt*; ſeu omnis actio difformis conſcientiæ eſt mala.

S. Tho. 1. 2. q. 2 1. ar. 1.

III. Hinc dicit Imperator: *Bona Fides non patitur; vt bis idem exigatur*; cui aſſentit Pontifex: *Bona* Fides (inquit) *non patitur, vt ſemèl exactum, iterùm exigatur. Dolo enim facit, qui petit, quod reſtiturus eſt*; addit Cæſar; & repetit Papa: *Dolo facit* (ait) *qui petit quod reſtituere oportet eumdem*. Nam ſi exactum ſemèl, iterùm exigit, exigit indebitum. Ergò rem alienam quærit. Ergò peccat. Vetamur namquè alienas res non ſolùm ſurripere, ſed nec concupiſcere: Hinc ſi alter ſoluat, repetitio ei datur, etenim: *Cuius errorem* [inquit Imperator] *repetitio eſt; eius conſulto dati donatio eſt*.

L. Bona fides ff. de Reg. iur. C. Bona fides ff. de reg. iur. 6. L. in condemnat. ff. de reg. iur. C. dolo de reg. iur. 6. L. cuius per ff. de reg. iur.

IV. Obſeruandum hic eſſe videtur, quod *bona Fides* accipitur etiam pro quadam æquitate in agendis negotijs, ac examinandis Iudicijs, & *Bona Fides* (ait Imperator) *quæ in contractibus exigitur, æquitatem ſummam deſiderat*.

L. Bona fide ff. depoſit.

M CAP.

CAP. XIX.

De Iniuria, & Dolo.

Scienti, & conſentienti non fit Iniuria, neque Dolus.

I. HOmo ſuarum actionum, ac rerum arbiter eſt, ac moderator per liberum arbitrium (vt docet D.Thomas) nam intelligendo, & volendo operatur, vt homo ſeſeque mouet, agit, & regit; ſicuti è contrà *irrationabilia aguntur potius, quàm agant*: Vndè ſuarum operationum non dicuntur Domini: Vndè liquet primum hominis ius eſſe liberum Arbitriun, ſeu ſuæ libertatis exercitium, à quo cætera omnia fluunt iura; quicumque autem libero Arbitrio, ſeu vel intellectui, vel voluntati obſtet, hominis ius violat, eique iniuriam facit: Eſt enim Iniuria iuris violatio. Violat autèm quis ius intellectus creati à Deo ad veritatem per dolum decipiendo eum, ac illudendo falſitate. Nam.

D.Th. 1.2. q.1.ar.1.

II. *Dolus* eſt excogitatum mendacium in verbis ad decipiendum alterum. *Doloſus* (inquit S.Iſidorus Hiſpalenſis) *inſidioſus, vel malignus abeo, quod deludat. Vt enim decipiat, ocultam malitiam blandis ſermonibus ornat; qui & fallax, quod fando, ideſt loquendo decipiat*: Idem Sanctus, V. fallax; quem doloſum totiès obiurgat Deus in Scripturis, & à quo liberari totis votis deprecabatur Dauid. *Fraus* autèm eſt deliberatum mendacium in factis, ad fallendum proximum, qui, & *ſimulator* dicendus eſt à *ſimulacro* (vt dixit idem Sanctus Iſidorus) *Geſtat enim ſimilitudinem eius, quod non eſt ipſe*.

S.Iſidor. Ethim. ſeu orig.l.10. v.d.& v.f.

S.Iſidor. orig.l.10. v.f.

III. Dolus aliquandò eſt *malus*, aliquando eſt Dolus bonus: vti S.Paulus de ſe dicebat: *Dolo vos capi*, & Virgilius; *Dolus, an virtus, quis in hoſte requiret?* Dolus autem malus ab Imperatore ſic deſcribitur: *Eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita*. Huiuſmodi verò *Dolus* aliquandò *dat cauſam contractui*, quem antecedit, & ſine quo non eſſet contractus celebratus; aliquandò *incidit in contractum*, ac comitatur eumdem, qui aliàs celebrandus erat.

L.Hoc edicto ff de do'o malo l.4.tit.3.

IV. Voluntatis autèm ius violat aliquis impediendo liberæ electionis vſum, per vim, per metum. *Nihil enim* (inquit Imperator) *conſenſui tàm contrarium, quàm vis, ac metus*; ſiuè ergò alterius men-

L.nihil cōſenſui ff. de reg.iu.

Digitized by Google

mentem dolis decipiat, ſiuè vi, ac metu alienæ libertatis exercitium impediat, iniuriam, vtroque modo alteri facit; & è contrà patet, quod.

V. *Scienti, & conſentienti, non fit iniuria, neque dolus. Nemo* (ait Cæſar) *videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt.* Si enim ſcit, & vult, in alterum transfert ius; nam intelligendo, & volendo, agit homo. Si ergò ſcit, & conſentit, alter acquirit ius, qui proindè cùm ſuo iure vtatur, nemini facit iniuriam. *L. nemo ff. de reg. iur.*

CAP. XX.

Non videtur iniuriam facere, qui vtitur iure ſuo.

C. Cum Eccleſia. De Electi.

I. IVs eſt poteſtas legitima ad aliquid obtinendum, vel faciendum, vel impediendum. Sicuti enim in rerum naturalium ordine extat Potentia, ac vis à natura ipſa ad aliquid, ſic in moralium ordine eſt poteſtas à lege; & ſicut in naturæ ordine adeſt duplex potentia. 1. *Actiua*. 2. *Paſſiua*: ſunt enim relatiua; Actiuum ad Paſſiuum; ſic etiam in moralibus eſt poteſtas actiua, ſeu *Ius actiuum* ad aliquid faciendum (vt ità dicam) & potentia paſſiua, ſeu *Ius paſſiuum* ad aliquid patiendum, eſtque Ius paſſiuum debitum correſpondendi Iuri Actiuo, quod & *Subiectio* dici conſueuit. Nam ſi quis habet ius, alter debet iuri huic ſatisfacere: ſecùs violaret ius alienum, & ei iniuriam faceret. *Iniuria* enim *ex eo, dicta quod non iure fiat. Omne enim quod, non iure fit; Iniuria fieri dicitur*; Vndè quia iure ſibi à lege dato, vel ab altero ſciente, & conſentiente translato vtitur, non videtur iniuriam facere. Hinc Imperator definit; *Nemo damnum facit, niſi qui id facit, quod facere, ius non habet*, Damnum iniuſtum propriè *preiudicium* dici videtur. *L iniuria ff de iniurijs l. 47. tit. 10.* *L. Nemo ff. de reg. iur.*

II. Potentia Phiſica aliquandò eſt in *actu primo*, veluti ignis remotus à ligno; aliquandò in *actu ſecundo*, veluti ignis approximatus ligno; ſic Ius rei aliquandò eſt veluti in actu primo, cùm habeo poteſtatem habendæ illius rei; ſed actu non habeo, & dicitur, Ius *ad Rem*: vel eſt in actu ſecundo *Ius in Re* in ablatiuo; quia in Re iam quieſco, nec opus eſt ad Rem moueri, vel tendere; ſicuti eſſet priùs. Cùm autèm quis non habet Ius contrà Rem, ſed perſonam. *Actio perſonalis dicitur*.

Digitized by Google

III. Ex Superioribus magis intelligüntur inſeriores ſententiæ, ac Doctrinæ. *Nemo damnum facit, niſi qui id facit, quod facere ius non habet*. Item: *ſi quis iure publico vtitur, non videtur iniuriæ faciendæ cauſa hoc facere. Iuris enim executio non habet iniuriam*; Hinc dicit S. Thomas; *Preiudicium non fit alicui, niſi ei ſubtrahatur, quod eſt in fauorem eius indultum*. *Abſit* [inquit S. Auguſtinus] *vt ea, quæ proptèr bonum, ac licitum facimus, ſi quid per hæc, prætèr noſtram voluntatem, quidquam mali acciderit, nobis imputetur*.

L. nemo ff. de reg. iur. L. Iniuriarum ff. de iniurijs. S. Thom. 3. ſupl. q. 8. ar. 5. ad 1. S. Aug. ep. 154. ad Publicolam, & cau. 22. q. 5. c. de occidendis.

CAP. XXI.

Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non alys imputare.

I. PEccatum eſt legis tranſgreſſio. Tranſgreſſio verò legis fit, vel *committendo*, quod lex prohibet, in qua dolus eſſe ſolet; vel *omittendo*, quod præcipit, & *culpa iuridica* dici conſueuit: nam *qui non facit, quod facere debet, videtur facere, aduersùs ea, quæ non facit; & qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iuſſus eſt*. Plerumque verò.

L. Qui facit ff. de Reg. Iur.

V. *Culpa eſt deſidia, ac negligentia* [proſequitur idem Iuſtinianus alibi] *magna* enim *negligentia culpa eſt* (repetit Imperator) Triplex verò eſt negligentia, ac culpa: ſicut Triplex ſolet eſſe Diligentia. 1. *Diligentia communis*, ac minima, quam communitèr in ſuis rebus, ac negotijs adhibere ſolent homines, quam qui omittit, ac negligit, *latam* admittit *culpam*. Lata enim *culpa eſt nimia negligentia, ideſt non intelligere, quod omnes intelligunt*. ſiquidèm *lata culpa finis eſt non intelligere id, quod omnes intelligunt* [explicat Cæſar], quæ & culpa manifeſta dicitur, & dolo æquiparatur, & dolus quoquè præſumitur: nam *magna negligentia culpa eſt; magna culpa dolus eſt: diſſoluta enim negligentia propè dolus eſt*. 2. Alia *diligentia eſt mediocris*, quam homines frugi, ac exacti adhibere conſueuerunt, cui opponitur *culpa* leuis per quam quis minùs curat aliena, quàm ſua. 3. *Diligentia exactiſſima*, ac ſumma, quam diligentiſſimus quiſque Paterfamilias in rebus ſuis adhibet, & qui hanc omittit, ac negligit, *culpam leuiſſimam* admittere cenſetur.

Inſtit. l. 3. Tit. 15. L. magna ff. de verb. ſign. L. cedere ff. de verb. ſig. L. lat. ff. eod. L. magna ff. de verb. ſign. L. ſi fidei ff. mandati L. ſocio ff. pro ſocio l. 77. c. 2. L. In rebus commodat. ff. commod. l. 13. c. 6.

III. *Quod quis igitùr ex ſua culpa damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire*: Iuſtinianus concludit: nam eidem exprobari cum Oſea poteſt: *Perditio tua* ex te Iſrael. *Damnum* autèm, &

L. quod quis ff. de Reg. Iur.

damna-

damnatio ab ademptione, & quaſi *diminutione* Patrimonij dicta ſunt: (inquit Imperator) cui conſentit S. Thomas cum Ariſtotele: *Omne ſuperfluum* (inquit) *in his, quæ ad iuſtitiam pertinent*, lucrum *extenſo nomine videtur*; *ſicut & omne quod minus eſt, vocatur damnum*: ſi eſt iniuſtum vocatur *Præiudicium*. Præiudicatur verò alicui, vel in eo, quod *actu* habet, & æquale eſt reſtituendum: vel in eo, quod habet tantùm in *virtute*, & ſpe, & hoc reſtituitur iuxtà æſtimationem ſpei faciendam à prudentibus: vt docet idem Sanctus.

Oſeæ c. 13. L. Damni ff. de damno infecto. S. Tho. 2. 2. q. 18. ar. 11. ad 3 & q. 62. ar. 4. D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 4. & ar. 4.

CAP: XXII.

Arbor bona non facit fructus malos, & è contrà.

Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.

I. LEx concedens aliquid eſt Arbor bona, ex qua non debet alter colligere fructum malum: & ſic fauor legis non debet conuerti in damnum fauore affecti: Non enim poteſt *Arbor bona* malos fructus facere: hinc dicit Regula: *quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*: cui Imperator aſſentitùr dicens: *Quod fauore quorumdam conſtitutum eſt, quibuſdam caſibus ad læſionem eorum nolumus inuentum videri. Beneficio non decipi nos oportet; ſed adiuuari*, & Rem, *quæ culpa caret* (profitetur Pontifex) *in damnum vocari non conuenit*.

L. quod fauore. C. de legibus. C. cum gratia de commodato. C. cognoſcentes de conſt.

II. Sicut lex eſt Arbor bona; ſic peccatum eſt Arbor mala, quæ non poteſt facere fructus bonos: nec aliquis ex peccato bonum, ac lucrum debet expectare: *Numquid colligunt de ſpinis vuas? Numquid* [repetit S. Iacobus] *poteſt, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus?* Propterà (ait Imperator) *nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt*, *nè videatur* (inquit Pontifex) *de ſua malitia commodum reportare*. *Malitijs* enim (addit idem) *hominum indulgeri non debet, ſed obuiari*. *Fraus* enim *& dolus alicui patrocinari non debent*.

S. Iac. c. 3. L. nõ fraudantur ff. Reg. Iur. C. intelligamus de Iudicijs. C. ex parte de Priu. C. plerũque de Reſcr. C. ex Timore de Reſcr.

CAP. XXIII.

De Poſſeſſione, & Poſſidentis conditione.

In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſsidentis.

I. CVm omnia eſſent communia, omnes omnium rerum vſurpabant vſum; tam qui laborabat, quam qui otiabatur: vndè vrgente cupiditate Radice omnium malorum, contentiones, ac rixæ exoriebantur, quibus vt occurrerent Gentes, conuenerunt in vnum, & conſtituerunt diſtinguere rerum dominia, vt diuiſis rebus, animus hominum non diuideretur in ſchiſmata (vt ſæpius diximus). Modum autem acquirendi dominia rerum ſtatuerunt in primis eſſe, ſi quis prior rem occuparet per *poſſeſſionem*, ſeu *pedum* (vel vt alij dicunt) per *ſedium poſitionem*. Nam *Poſſeſſio* (ait Imperator) *appellata eſt à ſedibus, quaſi poſitio, quia naturalitèr tenetur ab eo, qui ei inſiſtit*. Vndè *Dominium rerum ex naturali poſſeſſione capit*, vndè *res* ipſa dicitur etiam *poſſeſſio*. Eſt autem modus iſte facilis ad exequendum, & facilis etiam ad probandum, vt ſic faciliùs lites finiantur, nec fiant immortales.

L. Poſſeſſio ff. de acquirenda poſſeſ. l. 41. t. 2

II. *Prior* igitùr, ac naturalis *modus* acquirendi, ſibique appropriandi, quæ erant communia, eſt *Poſſeſſio*; Deindè alij quoque conſtituti ſunt, tam Iure Gentium, quam Iure Ciuili *modi* acquirendi Dominij: ſicuti etiam introducti ſunt *Tituli*, per quos prima Poſſeſſio naturalis, & facti, transferatur deindè in alios: Verùm hic *Potior* habetur; Tùm quia *prior*: Tùm quia *naturalis*. Tùm quia *facilior* ad probandum: quamobrem Poſſidentibus omnia Iura fauent, Poſſeſſionique plurimum deferri iubent; adeòvt ſi allegentur alij tituli, ac Rationis ab aduerſario, ſempèr cæteris paribus, *In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, cui conſentiunt ſequentes Regulæ.

L. cum te C. de con. dict. ob turpem.
L. in pari ff. de Reg. iur
Pontifex C. Ad aures de praeſcr.

III. *In pari cauſa* [inquit Imperator] *poſſeſſoris conditio melior habetur*. Item: *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*. Vlteriùs. *Cum par delictum eſt duorum, ſempèr oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa*. Denique concludit Summus Pontifex: *de Iure melior eſt conditio poſſidentis*.

IV. Primus verò omnium Poſſeſſor, ac Dominus eſt Deus, qui omnium perfectiſſimum *Dominium* habet, tam *Iuriſdictionis*, quam

pro-

Digitized by Google

proprietatis. Vndè canit Pſaltes: *Domini eſt terra, & plenitudo; orbis terrarum, & omnes, qui habitant in eo*. Et Dei Filius de ſe profitebatur. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*: quam ipſius Vicario contulit in Petro, cùm dedit illi; *claues Regni Cœlorum*.

Pſal.23. S.Mat.c.18 S.Mat.c.16

CAP. XXIV.

De Præſcriptione.

Sine Poſſeſsione Præſcriptio non procedit.

I. INtèr alios acquirendi Dominij modos, Bono publico excogitatus eſt, & *vſucapio*, vt Rerum Dominia Diù non remanerent incerta, & vt Domini in ſuis rebus inquirendis forent diligentiores, & demùm vt eſſet aliquis litium finis. Dicitur autem *vſucapio*, quaſi, quia *vſu*, ſeu vtendo *capio* Dominium, quæ etſi de mobilibus dicatur, ſicut de immobilibus, *Præſcriptio*, tamèn promiſcua vſurpatur, & ab Imperatore deſcribitur quod *Vſucapio eſt adiectio Dominij, per continuationem poſſeſſionis; temporis à lege definiti*.

L. Bono publico ff. de vſucap. L. 5. vſucapio ff. pro ſocio. L. 3. vſucapio ff. de vſucap.

II. Vndè liquet quod ad vſucapionem, ac Præſcriptionem requiritur Poſſeſſio, & continuatio per aliquod tempus, & indè etiam patet, quod *ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit*. Siquidem [inquit Imperator] *ſine poſſeſſione vſucapio contingere non poteſt*. Eſt autem *poſſeſſio* duplex. 1. *Facti*, ſeu *naturalis*, quæ eſt *detentio rei corporis, & animi, ac Iuris adminiculo*, ex qua procedere ſolet ſequens. 2. *Poſſeſſio Iuris, quæ eſt Ius inſiſtendi rei corporali non prohibita* poſſideri.

L. ſine poſſeſſione ff. de vſucap.

III. Tempus autem requiſitum eſt varium.

1. Contrà Romanam Eccleſiam: Regiam Coronam, ac Ciuitatem tempus annorum 100.
2. Contra Bona Religionis S. Benedicti, tempus annorum 60.
3. Contra Reliquas Eccleſias tempus annorum 40. Sin autem Ius refragetur, exigitur Titulus probatus, vel tempus annorum 100.
4. Contra Bona Fiſco incorporata tempus annorum 30.
5. Contra Bona immobilia priuatorum abſentium à Prouincia, & ab eodem Regimine, tempus annorum 20.
6. Contra eadem Bona, ſed præſentium, tempus annorum 10.
7. Contra Bona Fiſco tantùm denunciata, tempus annorum 4.
8. Contra Bona mobilia tempus annorum 3.

1. C. ad audientiam de præſcr. 2. L. Inter C. de Sacr. Eccleſ. 3. C. Illud autem de præſcrip. 4 Col. l.7. tit. 39 5. Inſtit. de vſucap. & L. cum in C. de præſcrip. longi tempor. 8. Inſt. it. vt ſupra.

IV. Ad

C. Poſſeſſor de Reg. Iur. in 6.

IV. Ad vſucapionem non ſufficit regularitèr *Poſſeſſio*, & continuatio temporis, ſed exigitur quoquè *Titulus*, ſeu *cauſa*, quo fretus aliquis poſſidet; inſupèr requiritur *Bona Fides*, ſeu perſuaſio, qua putet ſe iuſtè poſſidere. Secùs *Poſſeſſor malæ Fidei*, *vllo Tempore non præſcribit*. Nam *in Præſcriptione rerum Eccleſiarum bona Fides, & iuſtus Titulus exiguntur; nullaque antiqua dierum poſſeſſio iuuat aliquem malæ Fidei poſſeſſorem*: inquit Alexander Tertius, cui Innocentius Tertius accedit, cum Concilio Generali, ſic definiens; *Vt nulla valeat, abſquè bona Fide, præſcriptio, tàm Canonica, quàm Ciuilis: Vndè oportet, vt qui præſcribit, in nulla temporis parte, rei habeat conſcientiam alienæ*.

C. ſi diligēti de præſc. C. vigilāte de præſcr. Innoc. c. quoniam de præſcr.

V. *Is autem poſſidere dicitur, cuius nomine poſſidetur*; nam *qui facit per alium, & perindè ac ſi faciat per ſeipſum*.

C. ſi dilig. de præſcr. C. qui de reg. iur. 6.

CAP. XXV.

De Pactis.

Quod ſemèl placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.

I. COnditus à Deo eſt ſui Iuris, liberque homo, ità tamèn vt ipſe ſua ſpontè ſe alteri poſſet obligare: ſi enim interiori animi voluntate exteriùs expreſso ſe alicui adſtringat, iam non eſt liber ab obligatione, ſed ligatus eſt oris ſui vinculo, ſiuè verbis, ſiuè rebus, vel factis ſe ſe exprimat. Nam voluntas hiſce modis etiàm declaratur (inquit Imperator) & *Pactum* dictitatur, & *quod fuit ab initio voluntatis, poſtea eſt neceſſitatis*, & idem præſtare oportet.

L. non tantum ff. Ratam Rem.

II. *Pactum* autem (ait S. Iſidorus) *dicitur inter partes, ex pace conueniens ſcripturæ, legibus, ac moribus comprobata: & dictum Pactum quaſi ex pace factum ab eo, quod eſt pango; Vndè & pepegit fœdus*: Alij dicunt pactum eſſe, quod volens quis facit: fuſiùs ſic de Pactis diſſerit Imperator; *Huius edicti æquitas naturalis eſt; quod enim tàm congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt ſeruare*. 1. *Pactum autèm à pactione dicitur, indè etiàm pacis nomen appellatum eſt*. 2. *Et eſt pactio duorum, pluriumque in idem placitum, & conſenſus*. 3. *Conuentionis verbum generale eſt ad omnia pertinens, de quibus negotij contrahendi, tranſigendique cauſa conſentiunt, qui intèr ſe agunt. Nam ſicuti conuenire dicuntur*,

S. Iſid. ethimol. l. 5. de Inſtrum.

L. Huius ff. de pactis

Digitized by Google

tur, qui ex diuerſis locis in vnum locum colliguntur, & veniunt: ità & qui ex diuerſis animi motibus in vnum conſentiunt, ideſt in vnam ſententiam decurrunt. Adeò autèm conuentionis nomen generale eſt, vt elegantèr dicat Pedius, nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe conuentionem: ſiuè re, ſiuè verbis fiat. Nam & ſtipulatio, quæ verbis fit, niſi habeat conſenſum, nulla eſt. 4. Sed conuentionum pleraque in aliud nomen tranſeunt: veluti in emptionem, in locationem, in pignus, vel in ſtipulationem.

III. Quià verò homines veloces ſunt ad loquendum, & temerè oris ſui verbis illaqueant, & irretiunt, & indè ſubſtantiam domus ſuæ imprudentèr exhauriunt: Hinc Legiſlatores non omnibus pactis ineſſe voluerunt robur, vt poſſet promiſſor agi in Iudicium coràm Prætore, ad hoc, vt cogeretur adimplere temerè promiſsum; ſed diſcriminant *Pacta nuda*, quæ naturalem obligationem, & in conſcientiæ Foro, ac Iure Canonico obligationem pariunt; ſed non pariunt actionem; ſed ſolùm exceptionem ad ſe defendendum à promiſſore, ſi vellet agere in ipſum *Pacta veſtita*, quæ pariunt naturalem, & ciuilem obligationem à Iure Ciuili ortam; & indè pariunt actionem. Pactiones, quæ pariunt actionem, enumerantur ab Imperatore ſic differente: *Iuris prudentium conuentiones quædam Actiones pariunt, quædam exceptiones; quæ pariunt Actiones in ſuo nomine non ſtant, ſed tranſeunt in proprium nomen contractus: vt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Commodatum, Depoſitum, & cæteri ſimiles Contractus; cui accedunt Contractus innominati*; do, vt facias; facio, vt des, & alij eiuſmodi, ſicuti, & *Pacta conuenta*, quæ ex continenti, in ipſo contractus congreſſu, contractui inſeruntur, & contractui cohærent, vel cùm Res interuenit; & ſi contractus ſit innominatus. Sed de his conſulat Auctores. Cæterùm *Pacta ſunt ſeruanda*: Vndè.

L. 7. Iuris prudent. ff. de pact. ſ.

L. 7. Iuris prudent. ff. de pact.

IV. Moyſes, imò Deus indixit. *Quod ſemèl egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis; ſi nolueris polliceri, abſquè peccato eris*; ſed poſtquàm *propria voluntate, ac ore obligatus es, peccas, ſi promiſſa non obſeruas*: Hinc Imperator ſancit *ſicuti initio libera poteſtas vnicuique eſt habendi, vel non habendi contractus, Ità renunciare ſemèl conſtitutæ obligationi aduerſario non conſentiente, nemo poteſt*, ex quibus ſuperioris Regulæ elucet intelligentia; *Quod ſemèl placuit, ampliùs deſplicere non poteſt; & mutare conſilium, quis non poteſt in alterius detrimentum*. Pacta namquè ſunt ſeruanda: *Dixerunt vniuerſi. Pax ſeruetur, & Pacta cuſtodiantur, & ſtudioſè agendum eſt, vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur*: inquit Summus Pontifex.

Deut. c. 23.

L. ſicut initio C. de oblig. & Act.

C. | Mutare de reg. 6.

C qualiter de pactis.

V. Ex Superioribus patet quinam ſit Iuſtitiæ fons. 1. Ex *Pacto nudo* oritur *obligatio naturalis*. 2. Ex Pacto veſtito oritur *obligatio naturalis, & Ciuilis*. 3. Ex obligatione naturali, ac ciuili oritur *Actio*. 4. Ex Actione *Petitio* in Iudicio. 5. Ex Petitione *vocatio in Ius*, ſeu *citatio*. 6. Ex citatione *litis contextatio*. 7. Ex contextatione litis *Proceſſus*. 8. Ex Proceſſu *Probationes*. 9. Ex Probationibus, *cauſa cognitio*, ac Iudicis informatio. 10. Ex Iudicis informatione *ſententia*. 11. Ex ſententia poſt decem dies Res *iudicata*. 12. Ex Re iudicata *executio*. 13. Ex executione *Reſtitutio*. 14. Ex Reſtitutione *æqualitas Rei ad Rem*. 15. Ex Rei æqualitate ad Rem, Prouer.c. 16. *Iuſtitiæ complementum*, quæ vniuerſæ Reipublicæ eſt firmiſſima Columna. Nam *Iuſtitià firmatur ſolium* (inquit Salomon) & è contrà: Eccl.c.10. *Regnum à Gente in Gentem transfertur proptèr iniuſtitias, & iniurias*.

CAP. XXVI.

De Contractibus.

Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur.

I. POſt Rerum Diuiſionem, ac Dominiorum diſtinctionem alter alterius re indigere cępit: quibus neceſſitatibus, vt occurre- Ariſ.ethic. l.5.c.5. Imp.l.Origo emend. ff. de contrahenda emptione. retur, excogitatæ ſunt ab hominibus formulæ quædam, quas *Contractus* appellant (vt dicit Ariſtoteles cum Imperatore). *Contractus* Namque dicitur quaſi *communis*, vel *mutuus Actus*, ex quo ſaltem alteruter obligatur, & alius acquirit Ius contra obligatum, & ex hoc communi conſenſu, & actu, oritur obligatio, & ex obligatione alteri oritur Actio. Eſt igitur *Contractus Actus voluntarius externus, duorum, obligationem pariens ſaltem in alterutro*. Si vtrimque obligationem parit dicitur *Contractus proprius*, ſi vni tantum, Oinot. Inſt. l.3.tit.14. L.1.Origo ff.de contrah. empt. l.18.t.2. *Contractus improprius*: ſi obligationem non parit; ſed diſſoluit, dicitur *Contractus magis improprius*, & *diſtractus*: vti docet Oinotomus. Plures ſunt Contractuum ſpecies, vt pluribus occurrerent hominum neceſſitatibus, De quibus in legibus fusè diſſeritur, & cuique ſua forma præfigitur; eſt tamèn liberum homini inire, quem voluerit, ſeruata nihilominus forma à Legiſlatoribus præſcripta.

Oinot. Inſt. l.3.tit.14. II. Notandum verò eſt, quod Contractui quatuor ineſſe ſolent [vti Oinotomus obſeruat] 1. *Subſtantialia*. 2. *Naturalia*. 3. *Solemnia*. 4. *Acci-*

Digitized by Google

4. *Accidentalia.* 1. *Subſtantialia ſunt, quæ ſecundum originalem naturam vniuſcuiuſque contractus dant eſſe, ſeu ſubſtantiam, formam, atque perfectionem ipſi contractui, ſine quibus contractus conſiſtere nequit.* Hæc ſi deſint, deeſt & contractus.

III. *Naturalia verò contractus, ea dicuntur, quæ ſecundum naturam vniuſcuiuſque Contractus tacitè in vnoquoque veniunt, licèt illa non fuerint expreſſa, & tamèn pacto expreſſo*, vel tacito remoueri poſſunt ab illo contractu, citra eius corruptionem, quæ à Philoſophis dicerentur *proprietates*, quæ ſubſtantialia conſequi ſolent, ſicuti aquæ ſubſtantiam conſectatur frigiditas, & ignis ſubſtantiam calor, quæ proprietates aliquandò ſeparantur: vti in aqua feruente, ac Babylonis Fornace apparuit ignis ſine ardore. 3. *Solemnia* ſunt aliqui *ritus ac circumſtantiæ affixæ contractibus* à Legislatoribus, quæ ſi deſint, ſæpius irritus, ac nullus eſt ipſe Contractus. 4. *Accidentalia Contractus ea dicuntur, quæ Contractui præter illius naturam, pacto contrahentium accedunt:* Nam hæc accidentalia contrahentium arbitrio, ac pacto adeſſe, vel abeſſe poſſunt abſque contractus corruptione.

IV. *Solemnia Contractuum, quæ ad robur, ſiuè validitatem alicuius contractus à lege, vel ſtatuto requiruntur, vltra, & præter originalem formam, ſiuè ſubſtantiam Contractus:* videntur eſſe ſicuti Formæ partiales (vti loquuntur Philoſophi) quæ ſunt ſubſtantiales formæ, quæ accedunt formæ principali, veluti in Corpore adeſt Anima, quæ eſt forma ſubſtantialis, & deindè adſunt formæ partiales oſſis, neruorum, & ſimilium, ſic in quibuſdam Contractibus, præter formam naturalem, & primariam, adiunguntur *ſolemnitates*, veluti formæ quædam particulares. Hinc notandum quod *ſolemnitas* aliquandò requiritur à lege *tamquam forma ſubſtantialis*, & conſtitutiua Contractus, ſine qua Contractus ipſe non eſſet: cuiuſmodi eſt Præſentia Parochi, ac duorum Teſtium, ad contrahendum Sacramentum Matrimonij requiſita à Concilio Tridentino. Aliquando *Trid. ſeſſ. 24. de Reform. c. 1.* verò *ſolemnitas* requiritur tamquam *Ritus*, & accidens non ad *eſſe*; ſed ad *melius eſſe* eiuſdem: Cuiuſmodi ſunt *Denunciationes* tres faciendæ ante Contractum Matrimonij; ſinè quibus eſſet validum; ſed non licitum.

V. Contractus igitur ſunt eademmet *Pacta*, ſed *veſtita*; quorum aliqua ſunt *Contractus nominati*, eò quod ſpeciale nomen ſortiuntur. Alij *innominati* abſque peculiari nomenclatura. Alij etiam dicuntur *Bonæ Fidei*: quia non debent attendi verba ad litteram, ac ad corticem, ſicut alij, qui dicuntur *ſtricti Iuris*, ſed attendenda æquitas, ac bona Fides, ſeu quædam animi latitudo, ac bonitas in-

Digitized by Google

contrahendo, & ſecundùm huiuſmodi bonitatem, ferre de contractibus iudicium.

VI. Pacta verò, quæ veſtiuntur ex cohęrentia alterius contractus, cui accedunt: *Pacta conuenta* dicuntur, quæ ſicut lex debent à contrahentibus ſeruari. Hæc enim legem ſtatuunt particularem; vti ſequentes leges, ac auctoritates comprobant, dicentes. *Hoc ſeruabitur, quod initio conuenit; legem enim contractui dedit*, Item: *Contractus ex conuentione legem accipiunt. Sancimus* [inquit iterùm Iuſtinianus] *nemini licere aduersùs ſua pacta venire. Pacta* namquè *conuenta omninò obſeruanda ſunt*. Etenim, Pactum (ait Ariſtoteles) *lex quædam de particulari eſt*. Pacta ſiquidèm ex continenti appoſita in contractibus legem illis dant; concludit Imperator.

L. contractus ff. de Reg. Iur. L. Depoſiti ff. depoſit. L. ſi quis C. de pact. Ariſt. Rhethor. l. 1. c. 15.

VII. Contractus igitùr, ſeù *Pacta veſtita* ſunt *Tituli*, ac cauſæ, quibus poſſidemus: *eſt enim Titulus poſſeſſionis cauſa* [vt inquit Theophilactus] quibus poſſeſſio Rerum, ac Dominia transferuntur; quibus tamèn adiungi debet *Traditio*, vel *immiſſio in Poſſeſſionem* (vt dicunt) nam *Traditionibus* [inquit Imperator] *non nudis pactis dominia rerum transferuntur*.

L. 7. Iuris prudentiæ ff. de pact. Theophil. Inſt. de interd. §. ſequens. L. Traditionibus. C. de pact.

VIII. Contractus autèm cùm pro ſubleuanda hominum neceſſitate ſint introducti (vt diximus) & cùm neceſſitas non ſemper ſit reciproca; ſed quandoquè ex vtraque parte: quandoquè ex vna tantùm: hinc obligant ad diuerſimodam diligentiam, cui ſi quis deſit, culpam admittit pro cuiuſque contractus diuerſitate. V.G. *commodatum*: quia pro ſolo commodatario, & gratis fit, *culpa leuiſſima* notatur. *Depoſitum* è contrà; quia ſolius deponentis cauſa fieri ſolet, ſola *lata culpa*: vel *Dolus* reprehenditur: *locatum*; quia vtriuſque gratia ſit, *leuis culpa* admittitur; *Caſus* verò fortuitus in Dominum rei ſolet recidere: ſed *hac ità* (ait Imperator) *niſi ſiquid nominatim conuenit, vel plùs, vel minùs*] *in ſingulis contractibus. Nam hoc ſeruabitur, quod initio conuenit: legem enim contractui dedit, excepto eo, quod Celſus putat, non valere, ſi conuenerit, nè dolus preſtetur. Hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium eſt: & ità vtimur*.

L. contractus ff. de reg. iur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVII.

De Obligationibus.

Nemo poteſt ad Impoſſibile obligari.

I. HOmo (vt diximus) liber liberè ſe poteſt obligare. Nam aliquid paciſcendo, ſe legis vinculo ſubijcit, quæ *Pacta* ſeruari iubet; & ſic præcipiendo ligat; à *ligando* namquè dicitur etiam *lex*.

II. Lex, à qua obligatio huius proficiſcitur, eſt precipuè duplex. 1. *Lex naturalis*, ac preſertim lumen Rationis nobis inditum, quod oſtendit nobis, quid liceat; quiduè fugere oporteat. 2. *Lex ciuilis*, quæ generalia Iuris naturalis præcepta plerumquè explicat, & determinat, vt ipſemet Imperator profitetur dicens: *Quotiès æquitatem deſiderij naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur, iuſtis decretis res temperanda eſt*; & alia inſupèr addit ad Reipublicæ bonum lex ciuilis. *L. in ambiguis ff. de Reg. Iur.*

III. Ratio naturalis dictat, quod *homo* ſit in verbis *verax*, & in promiſſis *fidelis*: Vndè quotieſcumquè homo aliquid promittit, obligatur, vt ſit fidelis, & opere verba promiſſionis adimpleat; ſed huiuſmodi obligatio eſt naturalis, cui ius ciuile non ſemper aſſiſtit; & ideò Actionem Ciuilem non parit; ſed ſolùm exceptionem. Lex Ciuilis pluribus pactis [vt diximus], quæ Pacta veſtita dictitantur, fauet, & obligatio indè proficiſcens, *obligatio* mixta ex naturali, ac ciuili dicitur, & *efficax* eſt, paritque Actionem, & ſic definitur: *Obligatio* eſt *Iuris vinculum*, *quo neceſſitate aſtringimur alicuius rei ſoluendæ, ſecundùm noſtræ Ciuitatis iura*: hinc *debitor intelligitur is, à quo inuitò exigi pecunia poteſt*; quę ſi ſolo iure ciuili nitatur, obligatio ciuilis tantùm appellatur. *L. Debitor ff. de verb. ſignif.*

IV. Ex præcedentibus liquet, quod cùm obligationi ſatisfacere debeat homo, debet eſſe obligatio rei poſſibilis. Nam eorum cauſa laudatur, vel vituperatur homo, quæ in ipſius ſunt poteſtate: Vndè S. Paulus ad Corinthios ſcribit: *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autèm habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, benè facit*: & Eccleſiaſtes ſimilitèr aſſerit, quod erit gloria æterna: *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*: quamobrèm, *nemo poteſt* *S. P. Cor. ep. 1 c. 7.* *Eccleſ. c. 31*

teſt

teſt ad impoſſibile obligari : (vt inquit Pontifex) cui conſentit , & Imperator : *Impoſſibilium nulla eſt obligatio* .

V. L. veram l. Pugnantia ff. de Reg. iur. L. 137. continuus § 6 ff. de verb. oblig.

V. Impoſſibilia ſunt alia *à natura* , quæ ſcilicet naturæ viribus fieri nequeunt : alia ſunt impoſſibilia *à Iure* , quæ nimirùm fieri ius reſiſtit , nec ſinè iuris violatione fieri poſſunt : De vtriſque ſancitum eſt .

CAP. XXVIII.

De Mora Debitoris.

Mora ſua cuilibet eſt nociua .

I. MVltifariàm, multiſque modis conſtituitur obligatio , ſemper tamèn animo ſeſe obligandi : quia niſi hic animus adſit . nulla obligatio contrahitur, vt diſertè ſancit Imperator , & ſatis patet . Nam *Actus agentium naturalium non ſe extendunt vltra eorum intentionem* , & cum obligatio oriatur ex libero arbitrio hominis, niſi ipſe velit ſe obligare, nulla exorietur obligatio.

L. in omnibus ff. de reg. iur. L. Is damnū ff. de reg. iur. L. qui poteſt ff. de reg. Iur. L. dolus eſt ff. mandati L. conditiones ff. de cōdit. Inſt. C. ſi conditiones. De condition. Inſt. l. 3. tit. 16 §. 5.

II. Se obligat autem quis vel *abſolutè* , & *pure* , & tunc *In omnibus obligationibus* , *in quibus dies non apponitur præſenti die debetur* , vel *ſub conditione* . Tunc verò niſi eueniat conditio , non viget obligatio . Nam *quod pendet, non eſt pro eo, quaſi ſit* ; Conditio autem vel eſt poſſibilis, & in poteſtate debitoris, & dicitur *poteſtatiua*, & de hac dicit Legislator ; *qui poteſt facere, vt poſſit conditioni parere, iam poſſe videtur* . Hinc ; *dolus eſt, ſi quis nolit perſequi* , *quod perſequi poteſt*, *aut ſi quis non exigerit* , *quod exigere ſoluere* . Subdit idem, vel eſt poſſibilis quidem ; ſed *Caſualis* , veluti ſi nauis ex Aſia venerit ; & tunc expectandus eiuſdem euentus , vel eſt *conditio impoſſibilis* , quæ in Teſtamentis, ac ſponſalibus nulla eſt, & pro non adiecta habetur, nec vitiat ea ; In contractibus autem conditio impoſſibilis eas vitiat, ac nullas facit ; videntur enim non ſeriò loqui, ſed locari, ac nugari, cum impoſſibilia promittant, quæ nulla prudentia permittit in pactum deduci.

L. 44. obligationum ff. de oblig. & Act. L. Cedere ff. de verb. ſign.

III. In obligationibus quandoque eſt dies. Circa *diem duplex eſt inſpectio* . Nam vel *ex die* incipit obligatio , & cedit dies , vel confertur *in diem* (vt ait Imperator) qui tamen dies non eſt terminus ad finiendam, ſed ad ſolicitandam obligationem, quâ adueniente *venit dies* , quo peti poteſt, ſed de huiuſmodi obligationibus ſic iterum differit Cæſar . *Cedere diem ſignificat incipere deberi pecuniam* . *Ve-*

nire

Digitized by Google

nire diem ſignificat eum diem veniſſe, quo pecunia peti poſſit. Vbi ergò pure quis ſtipulatus fuit, & ceſſit, & venit dies: Vbi in diem, ceſſit, ſed nondum venit: Vbi ſub conditione, neque ceſſit, neque venit dies, pendente adhuc conditione. L. Is damnum ff. de Reg. Iur.

IV. Cùm quis ergò obligatus eſt, & venit ſolutionis dies, ſi vlteriùs moratur ſoluere, ſibi ipſi nocet; quoniam præiudicia creditoribus obuenientia ipſe reparare cogetur; vndè cum Summo Pontifice ſic ſancit & Imperator; *Vnicuique ſua mora nocet*: *Mora* verò alia *Regularis*, quæ contrahitur, cùm quis iuxtà legalem Regulam interpellatur; Nam *nulla intelligitur mora fieri: vbi nulla petitio?* Alia eſt mora *Irregularis*; cùm *dies ſtatuta interpellat pro Domino*: vt dicit Pontifex. L. In condemnat ore ff. de reg. iur. L. nulla ff. de reg. iur. & L. mora ff. de vſur. C. Potuit de locat.

V. *Vnicuique* igitùr *ſua mora nocet*: *ſolidum enim non ſoluitur, non minùs quantitate, quàm die. Minùs* namquè *ſoluit, qui tardiùs ſoluit: nam & tempore minùs ſoluitur*: etenim *Plus petitur quatuor modis. 1. Re. 2. Tempore. 3. Loco. 4. Cauſa.* V.G. Si disiunctiua determinatè petantur; Vndè patet quod *qui tardiùs ſoluit, quàm ſoluere deberet, minùs ſoluere intelligitur. Non eſt autèm in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri*; ait Pontifex. L. In condemnat. ff. reg. iur. L. ſolidum ff. de ſolutionibus. L. ſicut ff. de verb. ſign. Inſt l. 4. tit. 6. de Actionib. C. non eſt. de reg. Iur.

CAP. XXIX.

De Creditoribus, & Debitoribus.

In alternatiuis Debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.

I. QVicumque à Iuſtitia vrgetur ad dandum, vel faciendum aliquid alteri, *debitor* dicitur; Nam *Is debitor intelligitur, à quo inuito exigi pecunia poteſt*, Quicumque verò ius habet, vt ſibi iuſtitia vrgente detur, vel fiat aliquid *Creditor* vocatur. Creditor enim eſt, *qui ab alio inuito poteſt exigere*. Nam *cuicumque rei adſentiamur, alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu; Credere dicimur* [inquit Iuſtinianus] & hinc etiam docet, quod *æs alienum eſt, quod nos alijs debemus. Aes ſuum, quod alij nobis debent. Vnicuique* enim (ait S. Thomas) *debetur, quod ſuum eſt; dicitur autèm eſſe ſuum alicuius, quod ad ipſum ordinatur; ſicuti ſeruus eſt Domini, & non è contrà. Nam liberum eſt, quod ſui cauſa eſt. In nomine ergò debiti importatur quidam ordo exigentiæ, vel neceſſitatis alicuius, ad quod ordinatur.* L. Debitor ff. de verb. ſignif. L. Aere ff. de rebus credit. l. 12. tit. 1. L. Ecce debito diem ff. de verb. ſign. S. Tho. q. 21 ar. 1 ad 3.

II. Di-

Digitized by Google

II. Diuerſis autèm modis aliquis eſt debitor, ſicuti diuerſimodè concipiuntur obligationes; vel *abſolutè*, ac *purè*, vel *ſub conditione*, vel *ex die*, vel *in diem*, &c. Verè autèm *Creditor Is eſt, qui exceptione perpetua ſummoueri non poteſt, qui autèm temporalem exceptionem timet, ſimilis eſt conditionali creditori*. *Conditionales verò Creditores dicuntur hi, quibus nondùm competit actio: eſt autèm competitura, vel qui ſpem habent, vt competat*. *Creditores* deniquè *accipiendos eſſe conſtat eos, quibus debetur ex quacumque actione, vel perſecutione, vel iure ciuili (ſine vlla exceptionis perpetua remotione) vel honorario, vel ordinario, vel extraordinario, ſiuè purè, ſiuè in diem, ſiuè ſub conditione*. *Quod ſi natura debeatur non ſunt loco creditorum; ſed ſi non ſit mutua pecunia, ſed contractus, Creditores accipiuntur*. *Creditorum appellatione non ij tantùm accipiuntur, qui pecuniam crediderint; ſed omnes quibus ex aliqua cauſa debetur*. Promitti autèm poſſunt aliqua *ſimùl*, vel *diſiunctiuè*: Diſiunctiuè verò promittuntur, vel quia non poteſt ea copulare, vel quia non vult coniungere; qui promittit, vel eſt debitor. Etenim.

L. creditor ff. de verb. L. cond itionales ff. eodem. L. Credit. ff. eodem. L. Credit. ff. eodem. L. vt ſi ff. eodem.

III. In mundo *quadruplicis generis* ſunt *oppoſita*. Aliqua dicuntur *contraria*, & ſunt poſitiua, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe ſe expellunt: vt virtus, & vitium. 2. Alia ſunt oppoſita *Relatiua*, quæ ad ſe mutuò referuntur: vt Pater, & Filius. 3. Alia ſunt oppoſita *Priuatiua*, ſicut *forma*: vt eſt lux; & *Priuatio*; vt tenebræ. 4. Alia demùm ſunt *contradictoria*, ſicut *ens & negatio eius*. Vt homo, & non homo: Hæc quatuor, quæ propriè ſibi inuicèm opponuntur, Imperator appellat *diſiunctiua*. Alia quoque reperiuntur, quæ non adeò propriè opponuntur, & quandòque ſimul abeſſe, vel ſimùl adeſſe poſſunt, & huiuſmodi (idem Imperator vocat) *ſubdiſiunctiua*. Aliquandò autèm homo promittit non ſimplicem Rem; ſed duplicem.

IV. Duplicem verò aliquandò promittit rem coniunctiuè, ac *copulatiuè*, quæ ſibi non opponuntur, aliquandò *diſiunctiuè*; vel quia ipſa intèr ſe ſunt oppoſita, & nequeunt ſimùl coniungi; vel etiam quia promiſſor non vult ſimul copulare promiſſa, ſed vnam vel alteram Rem diſiunctiuè ſe adſtringit præſtare. De quibus ſic differit Imperator. *Hæc verba ille, aut ille non ſolùm diſiunctiua, ſed etiam ſubdiſiunctiua orationis ſunt. Diſiunctiuum eſt veluti cum dicimus, aut dies, aut nox eſt, quorum poſito altero, neceſſe eſt tolli alterum: item ſublato altero, poni alterum. Ita ſimili figuratione verborum, aut poteſt eſſe ſubdiſiunctiuum; ſubdiſiunctiuorum autèm genera ſunt duo, vnum cum ex propoſitis finibus ità non poteſt neutrum eſſe, vt poſſit eſſe vtrumque, veluti cum dicimus omne*

L. Hæc verba ff. de verb ſi. n.

ani-

animal , aut facit , aut patitur , aut poteſt ſimul & pati , & facere.

V. *Vbi* verò *verba coniuncta non ſunt , ſufficit alterutrum eſſe factum* [ait Imperator] ; cuius autèm ſit eligere ex duobus promiſſis an Creditoris , vel Debitoris, Pontifex decernit dicens ; *In alternatiuis debitoris eſt electio ; & ſufficit alterum adimpleri . Electio enim* [inquit S. Ioannes Damaſcenus] *eſt duorum propoſitorum hoc ſeligere , & retinere antè alterum* : & hæc electio ad Debitorem , non Creditorem ſpectat : *fauorabiliores* namquè *Rei potiùs quàm Actores habentur .* *L. In eo ff. de verb ſig. C. in alternatiuis. De reg. iur. 6. S. Damaſc. de ortod. fide l. 2. c. 22. L. fauorabiliores ff. de Reg. Iur.*

CAP. XXX.

De Actionibus , & Exceptionibus.

Qui ad agendum admittitur , eſt ad excipiendum multò magis admittendus.

I. CONtractus (vt dictum eſt) eſt mutuus , ſeù reciprocus , ac communis duorum Actus , qui vltrò , citroquè parit obligationem , vel ſaltèm in alterutro ; Vndè vnus creditor plerumquè euadit , alter debitor ; Vni acquiritur Actio ; alteri ingeritur obligatio ; Obligatio autèm poteſt dici Ius paſſiuum , quod debitor pati debet in ſe , vel ſuis rebus exactionem alicuius , vel dandi , vel faciendi, eſtque veluti *Potentia Paſſiua*, quæ agentis recipit actionem: cui ſicuti in naturalibus reſpondet *Potentia Actiua* (ſecùs enim fruſtrà porrigeret quis manum ad accipiendum , ſi nullus manum aperiret ad dandum) ſic in moralibus obligationi reſpondet *Actio*, quæ *Ius Actiuum* dici poteſt ; nam hac coràm Iudice Creditor agit in debitorem, cumque iuridica vi compellit ad ſatisfaciendum ſuo iuri. Definitur autèm .

II. *Actio nihil aliud eſt , quàm Ius perſequendi in iudicio , quod ſibi debetur . Actionum autèm genera ſunt duo . In Rem , quæ dicitur* Vindicatio , *&* in Perſonam , *quæ* condictio *appellatur* . In Rem *actio eſt , per quam rem noſtram petimus , quæ ab alio poſſidetur , & ſempèr aduersùs eum eſt, qui Rem poſſidet* . In Perſonam ; *Actio eſt , quæ cum eo agimus , qui obligatus eſt nobis , ad faciendum aliquid , vel dandum , & ſempèr aduersùs eumdem , locum habet* . Aliquandò tamèn *Actio* dicitur , *quæ* in Perſonam *infertur* : *Petitio* in Rem: Perſecutio communis in Rem , *vel* in Perſonam . *L. ſi nihil ff. de oblig. & Action. L. 21. Actionum ff. eodem. L. Actio ff. eodem.*

O Actio-

Digitized by Google

L. Pecuniæ ff. de verb. ſign. Actionis enim verbum (proſequitur Iuſtinianus) *& generale eſt, & ſpeciale. Nam Actio dicitur omnis, ſiuè* in Perſonam, ſiuè in Rem *ſit petitio: ſed plerumquè Actiones perſonales ſolemus dicere: Petitionis autèm verbo* in Rem *actiones ſignificari videntur. Perſecutionis verbo* extraordinarias *perſecutiones puto contineri.*

III. Tanta Actionis in Rem videtur eſſe prærogatiua (vt dicit Imperator): qui *Actionem habet* ad Rem *recuperandam, ipſam rem habere videtur, & Id apud ſe quis habere videtur, de quo habet Actionem. Habetur enim, quo peti poteſt.* Reuera tamèn [inquit idem Princeps] *minùs eſt actionem habere, quàm Rem*; cui verò magis ſit cautum, an qui habet Actionem in Perſonam, *an* in Rèm; quamuis *cautum intelligitur ſiuè Perſonis, ſiuè rebus cautum ſit*: Imperator tamèn decernit quod *Plus cautionis eſt* in Rem, *quàm* in Perſonam.

L. qui Actionem ff. de Reg. Iur. L. Id apud ff. de verb. ſign. L. minus ff. de Reg. Iur. L. Habere ff. de Reg. Iur. L. Plus ff. de Reg. Iur.

VI. Quemadmodùm autèm Creditor Actionem, veluti gladio Iuris debitorem impugnat: ſic è contrà debitor *exceptione*, veluti clypeo ſe defendit, & Creditori opugnanti repugnat, Actoremque à ſe excludit, ac depellit: *exceptio* enim *dicta eſt* [inquit Imperator] *quaſi quædam excluſio, quæ interopponi Actioni, cuiuſque rei ſolet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemue deductum eſt. Exceptiones* autèm, *aut Perpetuæ, & Peremptoriæ ſunt, aut Temporales, & dilatoriæ. Perpetuæ, ac peremptoriæ ſunt, quæ ſempèr locum habent, nec euitari poſſunt. Temporales, atque dilatoriæ ſunt, quæ non ſempèr locum habent; ſed euitari poſſunt.* Iterùm ſic diſſerit Iuſtinianus; *Perpetuæ, & peremptoriæ ſunt, quæ ſempèr agentibus obſtant, & ſempèr rem, de qua agitur, perimunt. Temporales, atque dilatoriæ ſunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt.* Sicut autèm intentioni Actoris opponitur exceptio Rei; ſic exceptioni Rei opponitur Replicatio Actoris: Nam *Replicatio* (ait Cæſar) *eſt contraria exceptio, quaſi exceptio exceptionis. Agere* autèm *etiam Is* (inquit idem) *videtur, qui exceptione vtitur: Nam Reus in exceptione Actor eſt.*

L. 2. exceptio ff. de exception. L. exceptionis ff. eodē. Inſt. l. 4. t. 13. de exceptionibus. L. 22. exceptio ff. de except. L. 1. Agere ff. eodem.

V. Quoniàm verò leges, ac Legiſlatores cuilibet Ciuium videntur cum Pſalte indicere; *inquire pacem, & perſequere eam*, abhorreantque à litigijs: hinc minùs Actoribus, qui bella volunt, quàm Reis, quorum quies turbatur, fauent: vndè profitetur Summus Pontifex: *qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admitendus*: cui conſentit, & Cæſar dicens: *Cui damus actionem, eidem exceptionem multò magis competere quis dixerit, & non debet Actori licere, quod Reo non permittitur.* Siquidèm: *Non licet Actori* (ait Bonifacius Octauus *quod Reo licitum non exiſtit*; *Nam Actoris, & Rei eadem eſt conditio* (declarat Pontifex)

Digitized by Google

ſex) *& nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur* : [repetit Pontifex] *& exceptionem obÿciens non videtur de intentione aduerſarÿ confiteri* : Præſertim ſi conditionatè excipit , & reſpondet . Exceptiones dicuntur etiàm *Præſcriptiones* . Quamobrèm liber defenſionis Chriſtianæ Fidei contrà Aduerſarios inſcriptus eſt à Tertulliano *liber Præſcriptionum* .

L. inuitus ff. de reg. iur. L. non debet ff. eodē. C. non locat de reg. iur. 6. C. Prudentium. De mutuis Petition. C. nullus de reg. in 6

CAP. XXXI.

De Cauſis.

Omnis Res, quæ per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.

I. N*ihil in terra ſine cauſa fit* (ait Iob) : cauſa autem quadruplex eſt . 1. *Efficiens* . 2. *Materialis* . 3. *Formalis*, & 4. *Finalis* (vt diximus) . Efficiens eſt, quæ efficit, & exequitur Actionem circà materiam. Materia, quæ recipiendo actionem efficientis , recipit deindè ab ipſa formam . *Forma* verò eſt ipſa res, quæ inducitur in materiam propter aliquem finem . Nam *omne agens agit proptèr finem, qui eſt Bonum* , quod omnia appetunt : & hæc eſt cauſa *Finalis*, cuius gratia Agens mouetur ad opus . Sine hac quadruplici cauſa nihil in terra fit : quinimò opus iam factum ſæpè diſſoluitur , & potiſſimùm ſi deficiat cauſa efficiens, vel mutetur , & ſi aliqua *in fieri* egent alijs quæ in *facto eſſe* ampliùs non egent[vt alibi] .

Iob c. 5. Par. 4. c. 13. Cap. 33.

II. Omia moralia, & Ciuilia ex libero Arbitrio proficiſcuntur , liberum autèm arbitrium eſt facultas ex intellectu, ac voluntate conflata, & illud dicitur operari homo , quod intelligendo , ac *volendo* operatur : & è contrà etiam intelligendo , ac *volendo* diſſoluit ; ad ſimilitudinem Dei , qui volendo creat, & nolendo , annihilat : ſic homo conſenſu facit ; diſſenſu reuocat factum : vndè Iuſtinianus ſic docet : *Nihil tam naturale eſt quam eodem genere quodque diſſoluere, quo colligatum eſt* : *Ideoque verborum obligatio verbis tollitur, nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſoluitur* (inquit Imperator) qui iterùm ſic decernit: *Ferè quibuſcumque modis obligamur , iiſdem in contrarium actis liberamur ; cum quibus modis acquirimur , iiſdem in contrarium actis amittamus . Vt igitur nulla poſſeſſio acquiri niſi animo, & corpore poteſt, ita nulla amittitur, niſi in quo vtrumque in contrarium actum eſt* . Denique *omnia, quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt* ; concludit Imperator.

L. omnia ff. de reg. iur. L. nihil ff. de reg. iur. L. Ferè ff. de reg. iur. L. omnia ff. de reg. iur.

III. Priſcis quondam Temporibus quidam Philoſophus dixit, quod vniuerſus ex lite conſiſtat,& Sanctus Euangeliſta Ioannes confirmat quod, *mundus totus in maligno poſitus eſt*. Lis eſt in Phyſicis: lis eſt in humanis, heù quam multiplex. Lis in contrarietate affectuum, lis quoque in Contrarietate opinionum. Cuiuſmodi eſt inter Medicos. *Contrarijs Contraria curantur*; dixit Hipocrates, & Galenus. *Similia ſimilibus curantur*, è contrà dixit Paracelſus, ad huiuſmodi contrarios Protomedicorum Aphoriſmos alluſiſse videtur Sanctus Gregorius Papa, ità ſcribens: [moral.lib. 24.c.2.] *Mos medicinæ eſt,vt aliquando ſimilia ſimilibus; aliquando contraria contrarijs curet. Nam ſæpè calida calidis, frigida frigidis: ſæpè autem frigida calidis, calida frigidis ſanare conſueuit*. Hæc autèm Axiomatum diſcordia concordia fit in Ciuilibus. Nam in iſtis ſimilia ſimilibus curantur, quia omnis cauſa Ciuilis efficiens, quod agit,etiam ipſa ſibi ſimilis diſſoluit. Contraria etiam Contrarijs curantur: quia omnis actus, vel contractus per ſimilem actum in genere,& contrarium in ſpecie annullatur: Vndè vera innoteſcit Superior Regula quod *omnis Res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur*.

S.Ioa.1.c.5

L.ferè ff.de Reg.Iur.

IV. Huius aliqua veluti imago in lingua cernitur. Nam *in ipſa benedicimus Deum, & in ipſa maledicimus homines, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio* (inquit S.Iacobus). Similis eſt lingua linguæ, & locutio locutioni, ſed contrarius eſt ſenſus. Et indè ex contrario ſenſu contrarius prodit effectus.

S.Iacob.c.3.

CAP. XXXII.

De Cauſa Principali, & Inſtrumentali.

Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.

I. Cauſa *efficiens*: Alia eſt *Principalis*, quæ per propriam virtutem, motuque proprio agit; Alia eſt *Inſtrumentalis*, quæ per alienam virtutem ſibi datam, & quæ ab alio mouetur ad agendum. Homo per liberum arbitrium eſt cauſa principalis à natura; ſed quandoquè ab Arte, ſiuè Diuina, ſiuè humana; fit etiam cauſa *Inſtrumentalis*; cùm ſcilicèt illi ſuperadditur alia facultas, mutaturque in Virum alterum, ſicut fuit Saul electus à Deo ex priuato ho-

Digitized by Google

homine in Regem, & Iulius Cæſar electus à Populo Romano in Auguſtum, & qui conſtituitur alterius Procurator, ac Locumtenens, & tunc agit alieno, ac procuratorio nomine, non proprio, ac propria virtute, vel iure.

II. Huiuſmodi tamen cauſa Inſtrumentalis reſpectu aliorum poteſt etiam eſſe *Principalis*, cùm recipit ab alio Poteſtatem ordinariam, quæ eidem inhæret, ac *ex officio* competit, veluti ex Fonte, non ex riuulo Delegationis: Nam, & ipſa communicare valet alijs facultatem agendi: ſicuti Rex Miniſtris, Præſidi, Proregi, Vicario, & ſimilibus. *Poteſt* enim *quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum*, & cum hoc pacto per alium, ac mediatè agit, ipſe agere cenſetur: Nam *qui facit per alium, eſt perindè, ac ſi faciat per ſeipſum: Operatio enim Inſtrumenti attribuitur Principali Agenti, in cuius virtute inſtrumentum agit* (vt inquit D. Thomas): Vndè liquet quod ſicuti ſi nulla daretur ei facultas, nihil cauſa Inſtrumentalis ageret; Sic ſi datam facultatem excedat, nihil fiet [vt dicemus infrà de Iudice]: hinc patent ſequentes Textus.

C Qui facit. De reg. Iur. 6.
S. Tho. 2. 2. q. 172. ar. 2. ad 3.

III. *Quod iuſſu alterius ſoluitur, pro eo eſt, quaſi ipſe ſoluiſſet, vel ipſi ſolutùm eſſet*: ſicuti etiam (inquit Pontifex): *Is committit iure, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur; & Is damnum dat, qui iubet damnum dare* (inquit Imperator); *Dedit quoque, & qui vel iuſſit, vel mandauit, vel ratum habuit*. Demùm *qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur. Quodammodò* (repetit Cæſar) *cum eo contrahitur, qui iubet, ſiuè teſtatò, ſiuè per epiſtolam, ſiuè verbis, aut per nuncium, ſiuè ſpecialitèr, ſiuè generalitèr*.

IV. *Officialium* (idcircò), *qui vices aliorum ſupplent, vnum & idem, ac ſuperiorum Conciſtorium, ſiuè Auditorium eſt cenſendum*: Vndè manifeſtè comprobantur Superiores Regulæ. An autèm Officialis par eſſe poſſit Principali, S. Auguſtinus ſic reſponderet. *Omne, quod fit, ei à quo fit, par eſſe non poteſt*.

L. quod iuſſu ff. de Reg. Iur.
C. mulieris de ſent. excom.
L. Is damnum ff. de Reg. Iur.
L. hoc iure ff. de Reg. Iur.
C. ſi culpa. De Iniur. & damn.
L. 1. merito ff. quod iuſſu.
L. 1. merito ff. quod iuſſu.
C. Romana. de ſtip. in 6.
S. Aug. to. 4 l. de diu. quaſt. 83. q. 1.

CAP.

CAP. XXXIII.

De Acceſſorio.

Acceſſorium ſequitur naturam Principalis.

I. MOralia cum Phyſicis aliquam præſeferunt Analogiam, ac conuenientiam. In Phyſicis autèm primò occurrit Rei *eſſentia*, veluti principale, ex qua veluti ex fonte emanat, vt riuulus, paſſio quædam propria, ac proprium accidens, quod paſſim *Proprietas* appellatur; quæ verò accidunt illi ab extrinſeco Principio, *accidens commune* appellatur: ſic Philoſophandum videtur in Moralibus. In his quoquè agnoſcitur rei moralis *eſſentia*, & Principale, quæ ſuas ſecum trahit proprietates, quæ cùm eſſentiæ rei accedunt, *Acceſſorium* dicuntur. Verùm non ſolùm, quæ ex eſſentia efluunt ſunt Acceſſorium; ſed accidentia communia, quæ eam vel ex Hominum placito, vel conſuetudine conſequuntur, *Acceſſorium* dicitantur.

II. Principale eſt *ſubſtantia*. Acceſſorium *accidens*. Principale eſt *Finis*; Acceſſorium *Media*. Principale eſt *Cauſa*; Acceſſorium *effectus*; Principale eſt *Perſona*; Acceſſorium ſunt facultates, ac *Priuilegia*. Principale eſt Contractus, & Bona; Acceſſorium *obligationes*; hinc dicit Imperator. *Princeps bona concedendo videtur etiam obligationes concedere*. Principale eſt *Onus*; Acceſsorium *Honor*. Principale in Actibus humanis eſt *Cognitio*, & *Voluntatis inclinatio*; Acceſsorium reliqua. Principale demùm Id omne eſse videtur, ex quo aliud dependet; Acceſsorium verò, quod dependet ex alio.

L. Princeps ff. de verb. ſign.

III. *Acceſſorium naturam ſequi congruit Principalis*: cui Regulæ videntur ſufragari ſequentes leges ſcilicèt: *Cùm Principalis cauſa non conſiſtit, plerùmquè, nec ea quidèm, quæ ſequuntur, locum habent*; quam repetit in alio loco: hinc *Plùs in Acceſſione non poteſt eſſe, quam in principali re. Ceſſante cauſa ceſſat & effectus. Ceſſante ratione legis debet ceſſare & lex. Ceſſante neceſſitate, debet vtiquè ceſſare paritèr, quod agebatur; dummodò non teneat principale, quicquid ex eo, vel ob id ſecutum eſt irritandum*. Nam *cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo*, decernit Bonifacius Octauus; cui adſtipulari videtur S. Thomas, dicens;

L. cum principalis ff. de diuerſ. de reg. iur. L. nihil dol. ff. de Reg. Iur. §. fideiuſſores Inſt. de fideiuſſ. C. cum infirmis de Pænitentijs

Ad

Ad remotionem cauſæ ſequitur remotio effectus: Hinc S. Ambroſius ait, quod cum voluit Deus hominem per diluuium à terra delere, voluit item omnia alia auferre, & *Principali extincto etiam ſenſus omnis extinguitur*; è contrà; *Cùm iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus Iuriſdictio explicari non potuit. Quia ex eo quod cauſa committitur, ſupèr omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem*: (inquit Alexander Tertius) & cum eo ſic repetit Cæleſtinus quoquè Tertius: *Explorati ſiquidem iuris exiſtit: vt delegatis Iudicibus, quibus Principale committitur, & Acceſſorium committatur*; & huiuſmodi quamplura in Corpore Iuris tàm Canonico, quàm Ciuili reperiuntur.

C. quod pro rem. Can. 1. q. 7. & C quod pro neceſſitate. 1. q 1. C Cum ex De noui op. nunc. D. Thom. 1 2. q 75. ar. 1 C. Cum quid de Regul Iur. 6. S. Ambroſ. lib De Noe & Arca, c 4. Et Dent. De Offi. & Poteſt. Delegat. L. Cui Iuriſdictio ff. De Iuriſd. Alex. 3. c. Prætereà. Cæleſt. 3. c. Pru.

CAP. XXXIV.

De Via, & Termino.

Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

I. DVo ſunt *Terminus*, & *Via*: *Finis*, & *Media*: *Opus*, & *Modus* operis. Cùm verò duo diſtincta ſint, vnum poteſt aliquandò eſſe bonum, & aliud malum; & hinc vetari vnum, & non vetari aliud; & cùm ſint relatiua *Via*, & *Terminus*; *Media*, & *Finis*; Vnum prohiberi poteſt non per ſe, ſuamque intrinſecam malitiam; ſed per accidens, & extrinſecè proptèr ordinem ad aliud, quod eſt minùs bonum. Si verò via vetatur proptèr Terminum, eo quod ſit malus, vel quia eum nolit, & vetet Legiſlator, etſi via bona aliàs in ſe, tamèn quatenùs ducit ad Terminum, vel malum, vel vetitum, non eſt eligenda. Nam ſi quis vetatur ſimplicitèr proficiſci Romam, nulla via erit illi bona: ſi verò quis prohibetur aliquam eligere viam, non proptèr terminum, ad quem ducit, qui bonus ſit; ſed quia ipſa ſit mala, tunc altera bona eligenda foret. Sæpè namque non prohibetur Finis, vel opus; ſed nominatim prohibentur aliqua media, vel modus. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, ſed ſi ad illum pretio peruenire meditaretur; via ac modus interdicerentur ei.

II. Superior Regula loqui videtur de via minus bona non in ſe; ſed quia ordinatur ad Terminum, ac Finem malum, ac prohibitum. Videtur enim cum D. Paulo ſic effari, ſicuti *non ſunt facienda mala*:

vt

Digitized by Google

vt veniant bona. Sic non ſunt facienda bona; vt veniant mala. Præcludenda namque via eſt omni malo. Hinc cohærere videtur alia Regula, quæ dicit: *quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit*. Nam ſi alicui non licèt aliqua Res, nominis mutatio, cum non mutet perſonam, nec mutat illicitum alicui in licitum, cum perſonæ, non nomini denegetur.

C. quod ſuo De reg. iur. 6.

CAP. XXXV.

De Illegitimè factis.

Quæ contrà Ius fiunt, debent vtiquè pro infectis habere.

S. Tho. 1. 2. q. 71. ar. 2. & 2. 2. q. 141. ar. 1. 2. S. Dyon. de d u. nom. c. 4.

I. HOmo, vt homo Ratione viuit, & agit. Nam illud dicitur operari homo, quod Ratio operatur (vt dixi ſuprà cum D. Thoma) & hoc eſt *bonum hominis eſſe ſecundùm Rationem, ac malum extrà Rationem eſſe*; docet idem S. Doctor cum D. Dionyſio Areopagita; ſed quod fit contrà Ius, eſt contrà Rationem, quæ in Iure continetur, & Iuri iubet obtemperari: ergò factum contrà legem, non debet cenſeri factum ab homine, cùm à Ratione non procedat; ſed contrà Rationem fiat: Vndè Legislator ſic iubet: *quæ contrà Ius fiunt, debent vtiquè pro infectis haberi*: Hinc patent proximi Textus.

L. Iubemus §. Sanc. C. de Sacr. Eccl. Grat. cau. 25. q. 2. C. Imperiali. L. non dubium. C. de legibus. L. quoties vitioſe. ff. qui ſatis dare & L. cum vitioſe ff. de pignorib. L. 14. Conditiones. l. Filius ff. de cond. inſt. L. Illud cõuenire ff de pact. dotal.

II. *Ea, quæ contrà leges fiunt, pro infectis habenda ſunt* (ait Imperator): *Ea autem, quæ lege fieri probibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habeantur: licet Legislator fieri probibuerit tantùm, nec ſpecialitèr dixerit inutile eſſe debere, quod factum eſt*: repetit Iuſtinianus, & hanc legem citat Sanctus Gregorius Papa apud Gratianum. Item *non fit, quod illegtimè fit: imò nec poſſibilia reputantur*: hinc *quæ facta lædunt æquitatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, &* (vt generalitèr dixerim) *contrà bonos mores fiunt, nec nos facere poſſe credendum eſt*. Vlteriùs: *Pacta ſeruanda non ſunt, quæ inuitant ad peccandum*: cui aſſentitur D. Thomas, dicens: *Non intelligitur aliquis poſſe facere, quod non licitè facere poteſt.* Vndè *ſi flagitij faciendi, vel facti cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet, & Generalitèr nouimus turpes ſtipulationes, nullius eſſe momenti*: *Rei* igitur *turpis nullum eſt mandatum, & ideò hac actione non agitur, nec vlla ſocietas maleficiorum, vel communicatio iuxta damni, ex maleficio eſt.*

III. Ali-

Digitized by Google

III. Aliqua verò ſunt *infecta*, *nulla*, *ac irrita ipſo iure*, *ſeu* lege ipſa, ac Iure declarante ea nulla eſſe, & *ipſo facto*: quia nihil aliud requiritur ad eorum nullitatem conſtituendam, quam *Factum ipſum*, quod à Iure infectũ, ac nullum declaratur, nec eſt opus hominis voce, vt declaretur vlteriùs. Alia ſunt *annullanda*, ac *irritanda*: quia egent alia adhuc fũctione, vt nulla fiãt. Priora ſunt veluti Cadauer: Alia, vti Corpus mori incipiens. Priora, vt calamus cõfractus. Secũda, vt Calamus quaſſatus. Priora ſunt Reſciſſa: Poſteriora reſcindẽda. Dubiũ tamèn ſuboriri poteſt, cũ particula *ipſo iure*, *vel ipſo facto* deeſt: nec alia *clauſula* (vt loquuntur) *Derogatoria*, vel annullatiua actus non adeſt in ipſa lege, an tunc ſit irritus, vel irritandus: Huic reſpondendum videtur, quod lex præcipit Actum humanum: In Actu autem humano eſt *Subſtantia Actus*, & *ſunt accidentia actus*, ſeu modi, ac circumſtantiæ: Vnum veluti principale, aliud vt acceſſorium. Cùm ergò non obſeruatur lex quoad ſubſtantiam Actus, ac quoad Principale, cenſendus eſt irritus. Cùm non obſeruantur circumſtantiæ, ac modi cenſendus videtur irritandus. Hæc regularitèr ſunt ſic intelligenda; nam *multa facta tenent*, *quæ fieri probibentur*; quæ tamèn alicubi ex generali regula excipi videntur.

S. Tho. 2. 2. q. 187. ar. 3. L. ſi flagitijs ff. de verb. oblig. L. Generaliter ff. eod. L. ſi remunerandi ff. mandati. L. 1. In omnibus ff. de Tutela, & Rationib.

C A P. XXXVI.

De Clandeſtinis, errore, vi, metu.

Quod latentèr, aut per vim, aliàs illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.

I. OMnia Philoſophorum, ac Theologorum Dogmata, & omnia iura proclamant, quod *moralia* peragi debent ab homine. 1. *Cognoſcente*. 2. *Volente*. 3. *Libero*, ſeu liberè volente: vti cum Ariſtotele, & S. Ioanne Damaſceno docet D. Thomas. Nam illæ actiones vocantur *propriæ* humanæ, quarum homo eſt Dominus. *Eſt autèm homo Dominus ſuorum actuum per Rationem*, *& voluntatem*: Vndè & *liberum Arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis*, *& Rationis*. Tria igitùr exiguntur, vt Actus humanus ſit dignus laude, vel vituperatione; præmij, vel pœnæ meritorius: nimirùm.

II. Cognitio in primis eſt neceſſaria: hinc dixit Imperator: *Om-*

C. Latenter de reg. iur. D. Th. 1. 2. q 6 ar. 1. & q 100. ar. 9. Ariſt. eth. l. 3. c. 4. S. Damaſc. de orthod. Fid. l. 2. c. 22. 23. D. Th. 1. 2. q. 1 ar. 1. L. omnia ff. de reg. iur.

nia, quæ animi deſtinatione (cuiuſmodi ſunt moralia, ac Actus humani) *agenda ſunt non niſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt* ;
Ariſt. eth. l. 3. c. 1. Cui Ariſtoteles conſentit definiens : *Voluntarium, ac ſpontaneum ſic : Id ſpontè quiſpiam videtur agere, cuius principium eſt in ipſo agente, ſciente ſingula, in quibus eſt ipſe Actus. Singula* verò ſunt *quiſquid : Vbi, circa, quod, vel in quo ; & quo Inſtrumento, cuius*
S. Dam. de orthod. Fide l. 2. c. 23 *gratia, & quomodo* : Subſcribit hiſce S. Damaſcenus, dicens : *Spontaneum eſt, cuius principium, hoc eſt cauſa, in ipſo ſciente ſingula, per quæ, & in quibus eſt actio. Singula autèm ſunt, quæ vocantur à Rhetoribus circumſtantiarum particulæ* ; quibus ſic ſub-
S. Tho. 1. 2. q. 6. ar. 1. dit S. Thomas. *Voluntarium dicitur eſſe ſecundùm definitionem Ariſtotelis, & Gregorij Niſſeni, & Damaſceni, non ſolùm cuius principium eſt intra, ſed cum additione ſcientiæ.*

III, Cognitioni aduerſantur *Clandeſtinum*, & Dolus, ex quibus in altero naſcitur *error*, & Ignorantia, quæ ſi antecedit Actum, & illius ſit cauſa, dicitur *Ignorantia antecedens*, & actus eam ſequens; *Actus inuoluntarius* per ignorantiam appellatur, deeſtque illi pars
Q. eadem ar. 8. eſſentialis *in genere moris* (vti docet S. Thomas) : Si verò ignorantia comitatur actum, ac in illum incidit : ità vt ſi planè agnoſceretur, nihilominùs fieret, dicitur, *Ignorantia concomitans* : quia Actum comitatur ; ſin autèm Ignorantiam quis velit, dicitur *Ignorantia conſequens* ; quia ſequitur Actum voluntatis, eſtque voluntaria, & affectata, de qua Dauid canebat dicens. *Noluit intelligere, vt benè ageret* : ſolùm autèm *antecedens* repugnat Actui morali
L. nihil cõſenſ. ff. de Reg. Iur. L. ſi per errorem ff de Iuriſd. L. Cum teſtamen : & L. non idcirco. C de Iur. & facti Ignor. eſſentialitèr : quamobrem (dicit Imperator) *non videntur conſentire, qui errant* : ſiquidèm Iulianus ſcribit : *non conſentiunt, qui errant, quid enim tàm contrarium conſenſui, quàm error, qui imperitiam detegit*. Igitùr *errantis voluntas nulla eſt, & nullus eſt errantis conſenſus* (repetit Cæſar) qui ſic vniuerſam hanc materiam pertingit dicens ; *In omnibus negotijs contrahendis ſiue bona fide, ſiue non ſint, ſi error aliquis interuenit, vt aliud ſentiat* [puta] *qui emit, aut qui conducit, aliud qui cum his contrahit, nihil valet, quod acti eſt.*

L. 57. in omnib. ff. obl. & Act. IV. Moralia itèm à *Volente* proficiſci oportet : *Actus* namquè *humani ſunt, qui* à voluntate *Deliberata procedunt* ; vti docet cum cæteris S. Thomas, & propterea dicuntur *Voluntarij* : hoc autèm
S. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 1. D. Tho. 1. 2 q. 6. ar. 1. importat nomen voluntarij, quod motus, & Actus ſit à propria inclinatione. Huic voluntatis inclinationi repugnat *Vis, violentia*, ac *coactio* ; idem enim hic ſonant : Violentia autèm non poteſt inferri ipſimet voluntati intrinſecùs : hæc enim vni Deo eſt nota, & ſubditur in abſcondito cordis, quoad actus, qui *eliciti* dicuntur, & qui immediatè ab ipſa voluntate prodeunt : vti ſunt volitiones. Verùm

Digitized by Google

rùm cùm ipſa imperet cæteris potentijs, V.G. motiuis, quoad hos actus, qui proptereà *imperati* appellantur, poteſt vim, ac coactionem pati. *Vis autem eſt* (inquit Imperator) *maioris rei impetus qui repelli non poteſt: quod* autèm *eſt coactum, vel violentum eſt ab exteriori principio*; & ideò cauſat *Inuoluntarium*. *Violentia* namquè *directè opponitur voluntario*, quod à principio intrinſeco procedit (vt diximus): hinc *violentum* definitur, *cuius principium eſt foris, nihil prorsùs eo conferente, cui illata eſt vis*. Sin autèm aliquid conferat, vel coadiuuet, ſeù cooperetur, non erit *ſimplicitèr, violentum*; ſed *ſecundùm quid*, & erit *mixtum ex violento, & voluntario*; cuiuſmodi eſſe conſueuerunt, quæ *metu* peraguntur; vt docet D.Thomas; De quibus mox. Inſupèr.

L. vis autẽ ff. quod metus.
S. Tho. 1. 2. q 6 ar. 4.
Ibid. ar. 5.
Ariſt. eth. l 3. c. 1.
& S. Dam. de orth. fide l. 2. c. 23
S. Tho. 1. 2. q. 6 a. 6.

V. Morales actiones exerceri debent à libero, ſeù à libera voluntate: Nam ſi voluntas neceſſitetur ab obiecti bonitate, vti contingit in Beatis; vel è contrà; non erit libera; ſic quoquè ſi magni mali metu inclinetur, non videtur liberè velle; quia non ad vtrumlibet ſe vertere valet, cùm ad alterum impellatur, quod eſt contrà liberam ſibi datam à Deo eligendi facultatem: Nam creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam liberum, vti proteſtatus eſt Sapiens, dicens; *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Metus* namquè (ait Ariſtoteles) *ex imaginatione futuri mali corruptiui, aut dolorem inferentis vicini perturbatio quædam, aut dolor; Signa quoquè malorum timenda:* Vndè etiam ex Ariſtotile liquet, quod *metus debet eſſe magni mali vicini apprahenſio, ac perturbatio, vel in ſe, vel in ſuis, incuſſus iniuſtè, & qui non ſit hominis meticuloſi, ſed cadere poſſit in conſtantem virum*; vti diſertè cum Imperatore docent omnes, & confirmatur ab Innocentio Tertio: huiuſmodi autèm metus, cum operantibus inſit voluntas, & ſi hoc non proptèr ſe velit, ſed proptèr vitandum malum imminens; tamèn *hic, & nunc*, poſito tali caſu, ac rerum ſtatu vult; & ideò voluntaria, quæ ſic fiunt, etiam dicuntur: (vt dicit D.Thomas) & indè fit quod ea, quæ metus cauſa aguntur, non ſint *ipſo facto* nulla, ſed ſint *annullanda*; cùm concurrant cognitio, & voluntas (etſi non abſolutè, & extrà talem caſum nollet) quæ ſunt præcipua humanorum actuum Principia: hinc ex ſuperiùs dictis, ſequentes clareſcunt Textùs.

Eccl. c. 15.
Ariſt. Rhetor. l. 2. c. 5.
L 8 cõtinet l. 5 6. metũ & L 7. nec timorem ff. quod metus eſt.
L. 13. Interpoſitas C. de tranſ. C. Ad audientiam. De his quæ vi.
D.*Thom.* 1 2. *q.* 6. *ar.* 6.

De Clandeſtinis.

L. prohibere §. Clam ff. quod vi aut Clam. L. quod tutela ff. de reg. iur.

VI. *Clam facere videtur, qui celauit aduerſarium, neque ei denunciauit, ſi modò timuit eius controuerſiam, aut debuit timere* (inquit Imperator). Siquidem; *Clam eſt, quod quiſque cum controuerſiam haberet, habiturumue ſe ſperaret, fecit*, (repetit Cæſar.)

De Vi.

L. venditiones. C. de his qui metus cauſa. L. quo tutela ff. de reg. iur.

VII. Vis duplex eſſe cenſetur, & colligitur etiam ex ipſis legum, ac Canonum Textibus. *Vis Phyſica*, ac *Realis*, quæ ab extrinſeco agente potentiore infertur alteri. Altera eſt *Vis Ciuilis*, cum quis attentat aliquid contra legitimam prohibitionem. Hinc innoteſcunt ſequentes Textus: *Venditiones, Donationes, Tranſationes, quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari* [ait Iuſtinianus] ſanè vi *factum videtur id eſſe, quod quis cum prohiberetur, fecit*.

L. Præter ff. quod vi aut Clam. L. 3. prohibere. L. aut qui ff. eodem. L. 20. vi facit ff. eod. C. Reintegranda c. 3 q. 1.

Itèm: *Aduerſus vim, vel quod Clam factum eſt, nulla iuſta exceptione ſe tueri poteſt. Vi factum ſi quis contra quam prohiberetur fecerit*: Sed ſi contra teſtationem, denunciationemque fecerit, vi factum eſt. Qui etiam per vim molitus eſt, ne prohiberetur. *Prohibere* autèm non vtique per ſemetipſum neceſſe eſt. *Prohibitio ſiquidem demonſtrat vi te facere, ſemelque facta vis perſeuerat. Prohibitus autem intelligitur quolibet prohibentis actu, ideſt vel dicentis ſe prohibere, vel manum opponentis, lapillumue iactantis, prohibendi gratia. Reintegranda ſunt autem* [ait Pontifex] *omnia expoliatis, vel eiectis, & ſpoliatus amiſſo iuris ordine etiam ab ipſo Iudice* omnia reſtituendus (inquit pontifex).

De Metu.

C. conquerente. C. ſæpè contingit &c. De Reſtit. ſpoliator. C. Abbas de his quæ vi. C. ad audientium. Tit. eodem. Ariſt. Mor. l. 2. c. 9

VIII. *Quæ metu, vel vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari* (ait Pontifex). Reuera *quæ vi* (proſequitur idem) *metuſue cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis*.

IX. Ex dictis patet Superior Regula: ſcilicèt: *quod latentèr, aut per vim, alias illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere*. Nam *videtur* (ait Ariſtoteles) *violentum, & neceſſarium, viſque, ac neceſſitas voluntario, perſuaſionique, in rebus agendis, opponi*: cui Imperator conſentit dicens. *Nihil conſenſui tam contrarium,*

Digitized by Google

rium, quam vis, atque metus. Humana autem, ac Moralia ſine voluntario, ac libero conſenſu nulla fiunt. L. *nihil conſenſui ff de reg. iur.*

De Errore.

X. *Veritas rerum erroribus geſtarum, non vitiatur; & ideò Præſes Prouinciæ, id ſequatur, quod conuenit eum ex fide eorum, quæ probabuntur* (ait Cæſar) qui iterùm ſancit; *In omnibus negotijs contrahendis, ſiuè bona fide ſint, ſiuè non ſint, ſi error aliquis interuenit, vt aliud ſentiat* (puta) *qui emit, aut qui conducit, aliud, qui cum his contrahit, nihil valet, quod acti eſt*. Porrò. *In contractibus rei veritas potiùs quàm Scriptura, perſpici debet. Non quod ſcriptum, ſed quod geſtum eſt, inſpicitur. Plùs actum, quàm ſcriptum valet*. *L. 6. Illicit. ff. de offic. Præſidis. L. 57. in omnib. ff. de oblig. & Act. L. 1 in contractibus. L. 3. emptione. L. 4. ſi quis C. plus valere.*

CAP. XXXVII.

De Initio Bono, vel Malo.

Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eueniat, à quo non potuit inchoari. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit.

I. OMne Ens etiam morale [cuiuſmodi ſunt Actus humani, ac Ciuiles] habent ſuam eſſentiam, quam à cauſa producente recipiunt *in fieri*, cùm producuntur; tunc autèm perfectum eſt illorum *eſſe* ſi omnia illi inſint eſſentialia. Nam *perfectum eſt, cui nihil deeſt* (vt inquit Ariſtoteles) & eidem Imperator ſubſcribit, dicens: *In omnibus rebus animaduerto id perfectum eſſe, quod ex omnibus ſuis partibus conſtaret, & certè eiuſque rei potiſſima pars principium eſt*; & cùm perfectum eſt, non poteſt non eſſe tale, quamuis talia eueniant, quæ idem fieri impediuiſſent. Tempus namquè præſens conſideratur, cùm Res fit. *Non enim* (ait Imperator) *ſecundùm futuri temporis ius, ſed ſecundùm præſentis æſtimari debet ſtipulatio*. Duplex enim eſt ſtatus rerum. 1. *in fieri*. 2. *in facto eſſe*: *dantur conditiones, vt Res fiat, à quibus non dependet iam facta; & dantur etiam conditiones In facto eſſe*: dicit Caramuel. *L. factarus ff. de orig. iur. L. 137. continuus § 6. Caramuel Theol. fund. 815. n. 36.*

II. Sin

Digitized by Google

II. Sin autèm in principio à cauſa producente non habet eſſe perfectum, nullum temporis ſpatium poteſt illi dare, quod à Prudente non accepit; vti videre eſt in Adamo condito ex limo terræ ſinè anima, qui inanimis ſemper fuiſſet in omni tempore, nec animatum corpus eius vnquàm fuiſſet, niſi ſumma Dei potentia inſpiraſſet in faciem eius ſpiraculum vitæ; ſic Actus moralis, ſi initio ſit nullus, tractu temporis non validatur, niſi plenitudo poteſtatis Principis validitatem, ei communicet. Hinc innoteſcunt Regulæ ſuperiores, & ſequentes pateſiunt ſententiæ.

III. *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere* [inquit Imperator:] *E contrà*: *Non eſt nouum, vt quæ ſemèl vtilitèr conſtituta ſunt, durent, licèt ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt*: *non enim debet* [ait in Codice] *quod rectè, & ſecundùm leges ab initio actum eſt, ex alio euentu reſuſcitari*.

L. quod vitioſum ff. de reg. iur. L. in ambiguis ff. de reg. iur. L. 25 Sancimus C de Adminiſt. Trat.

CAP. XXXVIII.

De Ignorantia.

Ignorantia Facti, non Iuris excuſat.

I. IGnorantia eſt carentia cognitionis rerum: Res, quæ ſciri, vel ignorari in Genere moris, ſeu quò ad moralem diſciplinam queunt, ſunt duo. 1. *Ius*. 2. *Factum*. *Ius* eſt lex, ac ſermo Principis imperantis aliquid fieri. *Factum* eſt opus, ac actio ſingularis, indiuidualibus hic & nunc affecta circumſtantijs, à ſubditis edita, (vti innuit Ariſtoteles:) omnium autèm *legum*, ac *Factorum* cognitio poſſibilis, ac omnibus debita eſt notitia *Primorum Principiorum moralium*: cuiuſmodi ſunt prima Rationis naturalis dictamina. *Alteri non facias, quod tibi fieri nolles*. Diuinæ exiſtentiæ cognitio, vti ex Sapiente, ac D. Paulo conſtat. Nam vnus *dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*; & ſimilia. Demùm [ait S. Thomas] *omnes tenentur ſcire, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta, ſinguli autèm ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant*; ſecùs, *Imperitia Culpæ adnumeratur* (ait etiam Imperator) & eſſet ignorantia culpabilis; quia eſſet vincibilis, & deberet expelli.

Ariſt. eth. l. 3. c. 1.

Sap. c. 13. S. P. Rom. c. 1. S. Tho. 1. 2. q. 76. ar. 2. L. Imperitia ff. de Reg. Iur.

II. Facti cognitio poſſibilis, ac debita eſt facti publici, ac notorij; *Nec ſupina* (ait Imperator) *ignorantia ferenda eſt factum ignorantis, vt nec ſcrupuloſa inquiſitio exigenda. Scientia enim hoc modo*

L. nec ſupina ff. de Iuris, & Fact. ignorãt.

Digitized by Google

modo æſtimanda eſt, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit; neque delatoria curioſitas exigatur. Nam *facti ignorantia cuique non nocet* [dicit iterùm Imperator] *ſi non ei ſumma negligentia obijciatur. Quid enim ſi omnes in Ciuitate ſciant, quod ille ſolus ignorat: ſcientia igitur accipienda eſt neque curioſiſſimi, neque negligentiſſimi. Verùm eius, qui eam rem diligentèr inquirendo, notam habere poſſit*; Vndè Chriſtum duo Diſcipuli euntes Emaus arguebant, dicentes. *Tu ſolus Peregrinus es in Hyeruſalem, & hæc ignoras*: Quamuis autèm adſit Ignorantia eorum, quæ communitèr ſciuntur, & ad frequentes actiones ſpectant; cognitio tamèn præſumitur adeſſe; hinc *qui contrà Iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.*

L.Regula §.2.ff.eodē.

C qui contra.de reg. iur.9.

III. Factum proprium, quod quis fecit, vel facit, ignorari non licet, & ideò; *Bona Fides non patitur, vt ſemèl exactum iterùm exigatur.* Poteſt tamèn quis facti proprij ignorare aliquam ex circumſtantijs, V.G. eſſe Clericum, qui percutitur, vel ſi factum proprium foret antiquum, cuius obliuio eſſet veriſimilis. Cæterorum autèm Iurium, ac Factorum Ignorantia excuſat. Senſus ergò Superioris Axiomatis eſt quod *Ignorantia* ſcilicèt Facti, ac etiàm proprij, cuius neſcitur ſaltèm aliqua debita circumſtantia, vel eſt antiquum, *non Iuris* prædicti *excuſat.*

C.Bona fides.de reg. iur.6.

IV. Ex ſequentibus Textibus ſuperiores magis clareſcent Doctrinæ. *In omni parte error in iure, non eodem loco, quo facti ignorantia haberi debebit; Cùm ius finitum, & poſſit eſſe, & debeat, facti verò interpretatio plerumque etiam prudentiſſimos fallat.* Itèm *Regula eſt iuris quidem ignorantiam cuique nocere; facti verò ignorantiam non nocere.* Hinc etiam Pontifex, & Imperator decernunt, quod *cùm quis in locum alterius ſuccedit iuſtam habet ignorantiæ cauſam*; ſi tamèn ipſe conueniatur (limitat Imperator) non autèm ſi ipſe conueniat, & agat.

L.in omni. ff.de iuris, & facti ignorantia

L.Regula. ff.eodem.

C. Gū quis de Reg.iur. 6.

L.qui in l cum ff.de Reg Iur.

V. Cùm iuris Ignorantia adeſt, vel agitur de Damno vitando; & ne ipſa noceat, vel de lucro captando, & vt ipſa proſit: *Omnibus* autèm *iuris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet. Iuris quidem ignorantia non prodeſt acquirere volentibus, ſuum petentibus non nocet.*

L.error facti ff.eodem

L.Iuris ignorantia ff.eodem.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXIX.

De Præſumptionibus.

Præſumitur Ignorantia, vbi ſcientia non probatur.

I. INtellectus Hominis in cognoſcendis rerum veritatibus ſæpiſſimè caligat: Vndè cùm Veritatis euidentes non habet *Probationes*, eam ex indicijs coniectat, & ex argumentis probabilibus ſibi perſuadet, atquè opinando iudicat eſſe, quod aliquandò reuerà non ſubſiſtit; & huiuſmodi opinio, vel peruerſio, *Præſumptio* dici conſueuit. Eſt enim *Præſumptio coniectura de re dubia aſſumpta ex argumentis, ſiuè indicijs veriſimilibus*. Eſtque triplex *Præſumptio*. *Præſumptio Iuris, & de Iure*, cùm Ius, ſeu Iuris conditor non ſolùm præſumit, ſed pro certo, ac explorato habet, & haberi iubet, & firmum ius ſtatuit; nec ab ea recedi poteſt, probando contrarium. Altera eſt *Præſumptio Iuris*, cùm Ius, ſeu Legiſlator ex qualitate *facti aliquam colligit, & opinatur eſſe*, quæ tamèn Præſumptio probationem in contrarium admittit. *Præſumptio hominis* & pendet ex cognitione hominis, ſeu Iudicis, ac arbitri, quibus ex tàm varia circumſtantiarum multitudine opinari, ac præſumere aliquid licet. Hæc Præſumptio præcedenti, præcedens primæ, cedit: ſicut autèm affulgente die abſconditur nocturnum Stellæ lumen, & præſente ſcientia certa, & euidenti, euaneſcit opinio; ſic *In claris, notorijs, ac manifeſtis ceſſat Præſumptio*: *quia in eo* (inquit Imperator) *quod tempore, atque facto finitum eſt, nullius eſt coniecturæ locus*. Nam *quidquid demonſtratæ rei additur, ſatis demonſtratæ fruſtrà eſt* (repetit idem Imperator).

L. 137. cont in ff. de verb. oblig. L. cum dos ff. de dote prælegata.

II. Intèr cætera, quæ præſumuntur, eſt, quod Res in eodem ſtatu maneat, & non præſumitur mutatio, niſi probetur: hinc *Eum* (ait Iuſtinianus) *qui voluntatem mutatam dicit, probare hoc debere*; præſertim cùm ad mutationem requiritur labor, & dolor; ſuaptè enim natura labor euitatur: hinc *ſemèl malus, ſemper præſumitur malus*, in eodem genere mali; antequàm verò aliquis agnoſcatur malus, præſumitur Bonus: quia *Charitas non cogitat malum*: (vt inquit S. Paulus); nec de aliquo præſumitur delictum: cùm autèm ſemèl conſtat malitia, non præſumitur emendatio, niſi probetur: hinc etiam patet, quod etſi Homo natura ſcire deſiderat: ſed naſci-

L. 22. Cum qui ff. de Probation. C Semel de Reg. Iur. 6.

S. P. Cor. 1. c. 13.

Digitized by Google

naſcitur *tamquam tabula raſa* (vti cum experientia docet Ariſtoteles) & plurimum labor exigitur ad ſcientiam comparandam. Vndè cum conſtet de Ignorantia, niſi probetur contrarium, ſempèr præſumitur Ignorantia, vbi ſcientia non probatur. Huius verò Regulæ exceptio eſt Regula præcedens.

CAP. XL.

De Iure Iurando.

Non eſt obligatorium præſtitum Iuramentum contra bonos mores.

I. TEr, imò infinitiès Sanctus eſt Deus, ac *Sanctum, & terribile nomen eius*. Quatenus *Sanctum nomen eius* vrget nos ad bonum; quatenus *terribile* retrahit à malo: hinc iuramentum, per quod nomen Domini inuocatur in teſtem (eſt enim *Iurare* (vt ait Caſſiodorus) *hominem ſub atteſtatione Diuina aliquid polliceri. Iurare dictum eſt; quaſi Iure orare, ideſt iuſtè loqui*) vel ad aſſertionem confirmandam, vel promiſſionem roborandam: numquam poteſt retrahere à bono, & vrgere ad malum: Nam ipſemet ter Sanctus Deus ſuæ Maieſtatis veneratione, ac ſui nominis timore auctor nobis foret peccati, ac obligaret homines, vt ipſi Deo hoſtes forent, ſi aliquando Iuramentum, vel remoueret à bono, ipſi Deo grato, ac ab ipſo Deo præcepto, vel promoueret ad malum ipſi Deo inuiſum, ac ab eodem vetitum. *Pſal.110.* *Caſſiod. in Pſal.14.*

II. Verùm Deus non poteſt negare *ſeipſum:* quin ſit infinitiès Sanctus, & quod ipſi ſit *odio impius, & impietas eius*; nec poteſt negare quod iuſſerit per Ieremiam iurari, *In Veritate, & Iudicio, & Iuſtitia*. Ergò *non eſt obligatorium Iuramentum præſtitum contra bonos mores*. Si namque obligaret huiuſmodi Iuramentum, Deus ipſe ſibi nequam eſſet: *qui* autèm *ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Hinc paſſim repetitur. *S.P.Tim. 2.c.2.* *Sap.c.14.* *Ierem.c.4.* *Eccl.c.14.*

III. *Iuramentum non eſt vinculum Iniquitatis*, & propterea peſſimè egit Herodes iuris iurandi prætextu decollare Ioannem Baptiſtam, & hinc ſimilitèr Concilium Lateranenſe ſub Innocentio Tertio cenſet abſoluendos eſſe ſubditos à Iuramento fidelitatis per Papam, ſi Princeps non eijcit hæreticos à terris ſuis; multò magis ſi ipſe ſit Hæreticus: vti reipſa Innocentius Quartus contra Federi- *Conc. Lat. c.3.* *Baron. an. 730. n.4.5.*

Digitized by Google

cum Imperatorem, Sacro approbante Concilio Lugdunenſi, exercuit: ſicuti feciſſe Sanctum Gregorium ſecundum iampridèm contrà Leonem Iſauricum Imperatorem Greciæ, narrat Cardinalis Baronius, & ſicuti etiam fecit Sanctus Gregorius Septimus contrà Henricum Germaniȩ Regem, ac etiam in Synodo Romana fieri poſſe à Summo Pontifice declarauit idem S. Gregorius Septimus, vti refert Baronius. Eſſet enim Deus ſibi hoſtis, ac contrarius, quia & nollet iniquitatem, & vellet ſui nominis religione iniquitatem: nollet communionem cum impijs, vti per Ioannis os indicit, nec *Aue* illis dici, & vellet eiſdem præſtari fidelitatem, vellet ſibi fideles eſſe Mortales, & vellet ſibi eoſdem infideles: quia ab ipſo Deo, ac ab Eccleſia deficientibus vellet obſequia præſtari: Cùm nihilominùs denuntiet ipſe in Euangelio, *Qui non eſt mecum, contrà me eſt*.

Baron. an. 1076. n. 21. 31. 49. 65. &c.

S. Ioa. ep. 2. S. Mat. c. 12.

IV. Alia quoquè de cauſa S. Zacharias Papa abſoluit Francos à Iuramento fidelitatis præſtito Regi Hilderico, ſubſtituens ei pijſſimum Pipinum: vti refert idem Baronius, qui eamdem ſubſtitutionem confirmatam fuiſſe à Stephano Papa etiam narrat: quanta verò, & quàm rationabili poteſtate hæc præſtare poſſit Summus Pontifex, ſatis declarat, ac demonſtrat Innocentius Tertius ſcribens Imperatori Conſtantinopolitano, & Epiſcopis Galliæ, & iterùm Baronius oſtendit in translatione Imperij à Leone Tertio Papa in Carolum Magnum Franciæ Regem. Ergò perſtringendum eſt, quod eatenùs Iuſiurandum obligat, quatenùs non occurrit iniquitas. Nam *iuramentum non eſt inuentum, vt ſit vinculum iniquiquitatis, & Iuramentum totiès ſeruandum, quotiès non vertit in æterna ſalutis diſpendium, nec redundat in alterius detrimentum*; cui conſonant.

Braon. an. 725. n. 1. Baron. an. 754. n. 1. 2.

Innoc. III. Decr. l. 1. tit. de Maieſtate c. 6. ſolicitè, & ibid. lib. 2. tit. 1. de iudicijs c. 13. nouit ille. Baron. an. 800. n. 9. 10. 11. 12. 13.

V. *Non eſt obſeruandum* iuramentum, *quo malum incautè promittitur*: ſic cum S. Iſidoro decernit Gratianus, qui inſupèr cum Sotero Papa ſic iterùm ſcribit: *Si aliquid fortè incautiùs nos iuraſſe contigerit, quod obſeruatum peiorem vergat in exitum, illud conſilio ſalubriore mutandum nouimus, & magis inſtante neceſſitate peierandum nobis, quam pro facto Iuramento, in aliud crimen maius, eſſe diuertendum*: & cum S. Hieronymo ità perſtringit: *Tribus ſiquidèm modis iuramenta contracta, ſoluenda ſunt. Primò, cùm quis malè iurat. Secundò, cùm quis incautè iurat, non putans hoc eſſe peccatum. Tertiò, ſi pueri, vel puellæ in domo parentum, ſe iuramento conſtrinxerint, patribus, poſtquàm audierint, contradicentibus.*

C. quanto. de Iur. iur. C. 2. de Pactis in 6. & cauſa. C. cùm contingit. de Iur. Iur. Cau. 22. q. 4. c. non eſt. Grat. cau. 22. q. 4. c. ſi aliquid. Vide ſup. c. 17. Grat. cau. 22. q. 4. c. ſi quis.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XLI:

De Iudicijs.

In Iudicijs non eſt Perſonarum acceptio habenda.

I. HOmines *ipſi ſibi ſunt lex* (inquit S. Paulus): ſed peccato perturbante Rationem, ac peruertente ſenſum, non omnes obediunt legi ſcriptæ in cordibus eorum: quinimmò ſuis, vti beluæ, obſecondantes concupiſcentijs, enaſcuntur Iurgia, ac bella: quamobrèm ne ſe ſe inuicèm perimerent Gentes, conuenerunt in vnum, & vnanimes *vnum* ex multis *prudentia*, ac morum *probitate* præſtantem eligentes, præpoſuerunt ſibi: cuius officium foret vnicuique quod iuſtum eſſet, edicere; ac pro occurrentium negotiorum varietate, Ius proferre, & hic *Iudex* vocatur. Nam *ſtudioſus homo* [ait Ariſtoteles] *rectè ſingula iudicat, & ſingulis in rebus id ipſi videtur, quod verè eſt tale. Cum ergò controuerſiam habent* (dicit idem Philoſophus) *ad Iudicem ipſum confugiunt: Ire autem ad Iudicem eſt ire ad ipſum Iuſtum. Iudex enim, vt Iuſtum eſt animatum ſuapte natura: & Iudex medium eſt, & ad æqualitatem redigit. Æquum verò inter plus, & minus Medium eſt. Plus boni, & minus mali lucrum: Contrarium autem damnum, quorum medium eſt ipſum æquum, quod quidem dicimus eſſe Iuſtum: quare Iuſtum emendatiuum, medium eſt inter damnum, & lucrum, & Iudex hoc medium, ac Iuſtum decernit Partibus: nam* S. P. Rom. c. 2. Ariſt. eth. l. 3. c. 4. Ariſt. eth. l. 5. c. 4.

II. *In omni negotio* [ait Pontifex ex S. Iſidoro Hiſpalenſi] *hæ perſonæ quæruntur Iudex, Accuſator, Reus, & tres Teſtes.* Iudex *dictus eſt quaſi* ius dicens *populo, ſiuè quod iure diſceptet. Iure autèm diſceptare eſt iuſtè iudicare. Non eſt ergò Iudex, ſi non eſt in eo Iuſtitia.* Accuſator *vocatus eſt*, quaſi cauſator: *quia ad cauſam vocat eum, quem appellat.* Reus à Re, *quæ petitur nuncupatur: quia quamuis conſcius ſceleris non ſit, Reus tamèn dicitur; quamdiù in iudicium pro re aliqua petitur.* Teſtes *antiquitùs* Superſtites *dicebantur eo, quod ſupèr cauſæ ſtatu proferebantur.* Teſtes *conſiderantur.* 1. *Conditione.* 2. *Natura.* 3. & *vita.* Conditione. *Si liber: natura, ſi vir non fæmina: nam varium, & mutabile teſtimonium ſempèr fæmina producit. Vita ſi innocens, & integer actu, nam ſi vita bona defuerit, fide carebit: non enim poteſt* C. Forus de verb. ſign. S. Iſidor. Ethim. l. 18 c. 11.

Iuſtitia cum ſcelerato homine habere commercium. Hique in foro comparent.

III. *Forum autèm eſt exercendarum litium locus*, *à* fando *dictus*, *ſiuè à Foraneo Rege*, *qui primus Græcis legem dedit*; *conſtat autèm forum.* 1. Cauſa. 2. Lege. 3. Iudicio: Cauſa à caſu, *à quo venit*, *dicitur*; *eſt enim materia*, *& origo negotij nondū diſcuſſionis examine patefacta*, quæ *dùm proponitur* cauſa *eſt*: *dùm diſcutitur*, Iudicium: *dùm finitur*, Iuſtitia. *Vocatum autem* Iudicium *quaſi* Iuris dictio, & Iuſtitia *quaſi* iuris ſtatus. Iudicium *prius* inquiſitio *vocabatur*. *Negotium multa ſignat*, *modò actum alicuius rei*, *cuius contrarium eſt otium*; *modò actionem cauſæ*, *quod eſt iurgium litis*, *& dictum eſt negotium*, *ideſt ſine otio*. *Negotium in cauſis*; *negotiatio in commercio dicitur*, *vbi aliquid datur*, *vt maiora lucrentur*. Iurgium *dicitur quaſi* iuris garrium *eo*, *quod ij*, *qui cauſam dicunt*, *iure diſceptant*. Lis *à contentione* limitis *prius nomen ſumpſit*. *Cauſa*, *aut* argumento, aut probatione *conſtat*. Argumentum nunquàm teſtibus, nunquàm tabulis *dat probationem*; *ſed ſola inueſtigatione inuenit veritatem*: *vndè dictum eſt*: Argumentum arguet inuentum. *Probatio autèm teſtibus*, *& fide tabularum conſtat*: ſeu vt Rhetores loquuntur; Argumentum eſt Ratio rei dubiæ fouens fidem, per Ratiocinationis, ac argumentationis Artem; Vndè *Artificialia* dicuntur. Probatio verò, vt hic accipitur à Rhetoribùs nuncupatur; *Martificialis*, quia Ars, ac Ingenium non inuenit ea; ſed inuenta artificiosè tractare valet, vt ſunt Tabulæ, Teſtes, & ſimilia, & Argumenta remota, extrinſeca, ac aſſumpta dictitantur, vt docet Cyprianus Soarius.

Soarius Rhetor. l. 1. c. 14. 29. & Ariſt. Rhetor. l. 1. c. 15

IV. Forum multiplex eſt. Forum laicum, ac ſæculare, in quo Iudex laicus, ac ſæcularis Iuſtitiæ præeſt. Forum Eccleſiaſticum, in quo Eccleſiaſtica Poteſtas Ius dicit. *Forum Contentioſum*, in quo Iudex, vel *ex officio*, vel *ad inſtantiam partis*, neceſſariò Ius dicit. *Forum voluntarium*, in quo ſuperior Poteſtas voluntariam exercet iuriſdictionem, & potiùs benignitatem exercet, quàm iuſtitiam. *Forum externum*, *Forum Fori*, in quo extrà, ac palàm dicitur Ius, & exercetur Iuriſdictio: *Forum Internum*, ſeu *Forum Conſcientiæ*, ac *Forum Poli*, & *Pænitentiale*, in quo Sacerdotes Diuina freti poteſtate, ſecretò, & intrà ligant, vel ſoluunt misericorditèr Reos à peccatis, vt redeant ad Polum.

S. Iſidor. ſitent. l. 3. c. 8 C. quatuor Cau 11. q. 3

V. *Quatuor verò modis* (inquit S. Iſidorus Hiſpalienſis) *peruertitur humanum iudicium*. Timore, *dùm metu poteſtatis alicuius veritatem loqui pertimeſcimus*. Cupiditate, *dùm præmio animum alicuius corrumpimus*. Odio, *dùm contrà quemlibet aduerſarium molimur*. Amore, *dùm amico*, *vel propinquo*, *complacere contendimus*.

Digitized by Google

dimus. Vndè dicit Pontifex cum D. Ambroſio: *Iudicet ille de alterius errore, qui non habet, quod in ſe ipſo condemnet. Bonus Iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis; ſed iuxtà leges, & Iura, pronunciat: ſtatutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum Domo defert; ſed ſicut audit, ità iudicat, & ſicut ſe habet negotij natura, decernit, obſequitur legibus, non aduerſatur. Examinat cauſæ merita, non mutat; qui iudicat, non voluntati ſuæ obtemperare debet; ſed tenere, quod legum eſt. In iudicando magis cordis ſit veritatis cuſtodia, quàm obedientia voluntatis*. *Oportet ergò* (ait S. Auguſtinus), *vt ſciat cognoſcere id, quod debet iudicare, diſcernat. Iuſtum verò iudicium Iudici vendere non licet. Venales enim ſententiæ etiam à ſæcularibus legibus reprobantur*: concludit Pontifex. C. Iudicet ille cau. 3. q. 3. S. Aug. de vera & falſa pæn. C. cum ab. de vita, & honeſtate.

VI. Ex prædictis patefit Superior Regula, quam Dominus confirmat dicens: *Nulla erit diſtantia perſonarum, nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt, qui cognoſcit* [ait Salomon] *in iudicio faciem, non benefacit: iſte & pro bucella panis deſerit veritatem*; ſiquidèm (dicit idem) *accipere perſonam in iudicio, non eſt bonum*. Eſt autèm acceptio perſonarum [vt docet D. Thomas] reſpicere aliquid in perſona, quod non facit ad iudicium. *Sciant* (ait Imperator) *Iudices, quod non magis alios iudicant, quàm ipſi iudicantur*, cùm etiam ipſis magis *quàm partibus iudicium terribile eſt; ſiquidem litigantes ſub hominibus, ipſi autèm Deo inſpectore cauſas proferunt patrocinandas*. Hæc Imperator. [Hinc quoquè à Pontifice monentur] *Caueant Iudices, & prudenter attendant, vt in cauſarum proceſſibus, nihil vendicet odium, vel fauor vſurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmij iuſtitiam non euertat; ſed ſtateram geſtent in manibus; lances appendant æquo libramine, vt in omnibus, quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententijs, & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum. Iudicis enim eſt ſemper in cauſis ſequi verum* (ait quoquè Cicero) *& quærenda in omnibus veritas*; repetit S. Gregorius. *Ergò quod iuſtum eſt, Iudicate*: Moyſes Iudicibus indicit. Prou. c. 28. Prou. c. 18. S. Thom. L. Rem non nouam C. de Iudicijs. C. cũ æterni in 6. de ſent. & re iud. Cic. off. 3. Greg. apud Grat. diſt. 28. c. Quia ſunt. Deut. c. 1.

CAP.

CAP. XLII.

De Actis Validis, & Inualidis.

Ea, quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.

I. P*Erfectio conſiſtit in tribus* (inquit Ariſtoteles) quem ſic commentatur S. Thomas, in *Eſſentia*, *Potentia*, & *Actu*. In primis Res debet *eſſe*, antequàm potentiam recipiat. Nam *non entis nullæ ſunt qualitates*; deindè habere debet aliquam *potentiam*: nec ſufficit potentia, ſi non reducatur ad *Actum*: Vndè patet, quod ſi nulla ſit potentia, nullus erit Actus. Potentia enim eſt Via; Actus veluti terminus; ad terminum autèm ſinè via non itur. Eodem ferè pacto philoſophandum eſt in Moralibus. In primis debet aliquis eſſe Ciuilitèr, non ſicut ſerui, qui mortuis comparantur; deindè habere potentiam, ac *potentiam agendi*. Demùm *agere*, & tunc perfectum erit Agens in Tribus. Si verò nulla ſit poteſtas, nullus erit actus; quia *ex nihilo* potentiæ *nihil fit* actu, ſiuè poteſtate, ſiuè vltrà poteſtatem agat, & extrà fines ſuæ (vt ità dicam) Auctoritatis velit ſe extendere: *nullum enim agens agit in diſtans*; ad quod non perueniat ſaltem ipſius virtus; vt ſequentes explicant leges.

L. Factum. ff. de reg. L. extra. ff. de Iuriſd. L. Idem eſt ff. eodem. C. ad audientiam de cõſuetud. D. Tho. 2. 2. q. 60. a. 2.

II. *Factum à Iudice* (ſancit Imperator) *quod ad officium eius non pertinet, ratum non eſt*; hinc etiàm; *extrà territorium ius dicenti, impunè non paretur*. *Idem eſt* (ait Cæſar) *ſi ſuprà iuriſdictionem ſuam velit Ius dicere*. Vndè *ſententia à non Iudice lata nullam obtinet firmitatem*; concludit Summus Pontifex. Ad hanc Iudicij rem docet D. Thomas, quod triplicitèr peccatur; *Vno quidem modo, quando eſt contrà Rectitudinem Iuſtitiæ, & ſic dicitur* Iudicium Peruerſum. *Alio modo, quando homo iudicat de his, in quibus non habet auctoritatem, & ſic dicitur* Iudicium Vſurpatum. *Tertio modo, quando deeſt certitudo rationis: puta cum aliquis de his iudicat, quæ ſunt dubia, vel occulta proptèr aliquas leues coniecturas, & ſic dicitur Suſpicioſum*, vel *Temerarium*. Ergò non eſt vſurpandum, quod ad eiuſdem Iudicis officium non pertinet, ſecus & peccaret, & nullus foret actus.

L. diligentes ff. mandati.

III. Hoc etiam differendum videtur de ſuſcipientibus mandatum. *Diligentèr enim fines mandati cuſtodiendi ſunt* (ait Imperator):

nam

nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur; nam cum mandati facultatem non habeat, potentiâ ad agendum caret, ſi caret potentiâ, carebit, & Actu: ergò nihil actum erit.

CAP. XLIII.

De Iudicis Decretis.

Cum ſunt Partium Iura obſcura, fauendum eſt potiùs Reo, quam Actori.

I. IVdex Medius eſt inter *Actorem*, qui petit, vndè & *Petitor* dicitur, ac *Reum* à quo petitur *Res*: vndè *Reus* vocatur: ipſe Iudex autem cum ſit medius, vt redigat ad æqualitatem contendentes debet ſumere plenam informationem (vt dicunt) *Facti*, ſeù *Caſus*, ac cuncta rimari, quæ ſpeciem Facti concomitantur; nam *ex Facto Ius oritur* (eſt vulgatum Iuriſperitorum Axioma). Præterea Facti debet exigere Probationem: nam *qui dicit, probare debet*, ſæpiſſimè edicit Imperator: Vndè *omnia* [inquit Imperator] *quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſent*; quia libellus aſſerit tantùm, non probat. Deindè *allegata*, & *Probata* examinare, iuxtà leges, ac ſcrutari quod ipſa iura, circà huiuſmodi facta decernant. *L. 1. quoties l. 2. & ince. unc ff. de Probat. L. omnia quacumq. ff. de Reg. iur.*

II. *Iudex* enim debet *Ius dicere*, ſeu applicare communes leges ſingularibus negotijs, quæ occurrunt, & cum hæc minimè patent, pro ſua prudentia [quoad fieri poteſt] legibus obſecundare per iuſta decreta: *Quotiès enim* (inquit Imperator) *æquitatem deſiderij naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur, iuſtis decretis, res temperanda eſt*; *Decretum autem eſt* (ait Ariſtoteles) *vltimum, quod venit in Actionem, & eſt æquitatis decretum, ſicut lesbia Regula, quæ ad lapidis figuram mutatur, & non manet* (ſubdit idem Philoſophus): Hinc Summus Pontifex Honorius ità reſcripſit: *In bis, ſupèr quibus ius non inuenitur expreſſum, procedas* (æquitate ſeruata) *ſempèr in bumaniorem partem declinando, ſecundùm quod Perſonas, & cauſas, loca, & tempora poſtulare videris. In obſcuris* autèm (ait Iuſtinianus) *meliùs eſt fauere Repetitioni, quàm aduentitio lucro*. Intèr Actorem verò, & Reum. *L. in ambiguis ff. de reg. iur. Ariſt. eth. l. 6. c. 8. Ariſt. eth. l. 5. c. 10. C. ex Parte tua. De Tranſact. L. non debet ff. de reg. iur.*

III. *Cùm ſunt partium iura obſcura, fauendum eſt potiùs Reo, quàm Actori*: *Fauorabiliores enim Rei potiùs, quàm Actores babentur*. Item [ait Cæſar] *In eo, quod vel is qui, petit, vel is, à quo* *L. Fauorabiliores ff. de reg. iur.*

à quo petitur, lucri facturus eſt, durior cauſa eſt petitoris: Nam (ait Pontifex Lucius Tertius.) *Promptiora ſunt iura ad abſoluendum, quàm ad condemnandum. Oportet primò* (inquit Cæſar) *conuinci, & ſic ad ſolutionem pulſari, quam rem non ſolùm iuris ratio; ſed & ipſa æquitas perſuadet: nec poſſeſſori incumbit neceſſitas probandi ea ad ſe pertinere, cum te* (ait Imperator) *in probationibus ceſſante, dominium apud eum remanet. Si enim Actor non potuerit rem ſuam probare, in ſuo loco remanet poſſeſſio: Actor quod aſſueuerat probare ſe non poſſe profitando, neceſſitate monſtrandi contrarium non adſtringit; cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit, qui accuſare volunt, probationes habere debent. Actore enim non probante, qui conuenitur, & ſi nihil ipſe præſtat, obtinebit. Res* enim *alienas poſſidens, licèt iuſtè tenendi cauſam nullam habeat; non niſi ſuam intentionem implenti, reſtituere cogitur.* Hinc quoquè Pontifex. *In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*: Vndè *cogere poſſeſſorem* (ait Iuſtinianus) *ab eo, qui expetit, titulum ſuæ poſſeſſionis dicere, inciuile eſt*, qui iterùm ait. *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*. Quarè Vulgus ait: *Actore non probante Reus abſoluitur. Dubium* autèm aliud *poſitiuum* vocatur, cùm apparent argumenta ad probabilitèr opinandam vtramque partem. *Dubium negatiuum* eſt, vbi neutram partem ſuppetunt rationes: vt docet Leſſius.

L. In eo quod ff. de reg. iur.
C. ex literis tutis. De Probat.
L. quolies C. de prob. ſequeſt. pec.
L. Poſſeſſor C de Prob.
§. retinẽdæ poſſ Inſt. de Interd.
L. Actor C. de probat.
C. qui accuſare. C. de edendo.
L. Res alienas. C. de rei vind.
C. In pari de reg. in 6
L. Cogere C. de petit. hæred.
L. In par ff. de reg. iur.
Leſſius de Iuſt. & Iur. l. 2. c. 9. dub. 4. p. 30. mihi.

CAP. XLIV.

De Neceſſitate Obediendi.

Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe.

1. OMnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: indicit S. Paulus, *non eſt enim Poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit qui autem reſiſtunt; ipſi ſibi damnationem acquiquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Ergò neceſſaria ſubditis eſt obedientia erga Superiores; ſed qui neceſſitate ducitur ad obediendum Superiori, non facit alicui dolum, vel iniuriam: quia Dolus, & Iniuria ſunt con-

S. P. Rom. c. 13.

contrà legem, at ipſe, ſi legi obedit, Poteſtati obſequi oportet: Deindè peccatum non eſt voluntarium; ſed qui obtemperat, non videtur voluntariè agere. Nam *velle non creditur* (ait Imperator) *qui obſequitur imperio Patris, vel Domini, vt eius eſt nolle. qui poteſt, & velle* (inquit idem Princeps). Si tamèn poteſtas iuberet aliquid contrà Deum, vel apertum Ius, tunc parendum non eſſet; vti docet D.Thomas: hinc patent ſequentes Textus.

L. *velle ff. de reg. iur.* *L. eius eſt ff de reg. iur.* *S.Tho.1.2. q.96.ar.4.5*

II. *Eius nulla eſt culpa, cui parere neceſſe eſt*: hinc, *qui iuſſu Iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere; quià parere neceſſe habet*: inquit Iuſtinianus: propterea, *qui auctore Iudice comparauit, bonæ fidei poſſeſſor eſt; ſecùs enim non poteſt dolo carere, qui imperio Magiſtratus, non paret*. Etenim *qui vetante Prætore facit, hic aduersùs edictum feciſſe propriè dicitur.*

L. *Is damnum. ff. de reg. iur.* *L. non videntur. ff. eodem.* *L. non poteſt ff. eodẽ* *L. quo vetante ff. eodem.*

CAP. XLV.

De Exemplis.

Non debemus attendere ſolummodò quid factum ſit; ſed potiùs quid faciendum.

C. Cum *Cauſam. de elect.*

I. LEges ſunt Regulæ agendorum, vel fugiendorum; non verò exempla: Vndè ad hanc rem ſic Ariſtoteles ſcribit: *Maximè conuenit, vt quæ rectè poſitæ ſunt leges, cuncta ipſa explicent, quæ explicari queant, & quam minima Iudicibus relinquant. Primùm, quià vnum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut iudicare poſſint, faciliùs eſt inuenire, quàm multos. Deindè quoniàm longi temporis conſideratione leges feruntur, iudicia breuiſſimè conficiuntur, Difficile eſt, vt benè à Iudicibus iuſtum, & conducibile diſtribuatur. Illud autèm omnium maximum eſt, quod Legiſlatoris iudicium non eſt de ſingulis, nec de præſentibus, ſed de vniuerſalibus, & de futuris eſt: Senator verò, & Iudex de præſentibus iam, determinatiſque iudicant: Vndè fit, vt eum ament, & oderint, ſua quoque vtilitas connexa ſit, non ſatis queant veritatem proſpicere; ſed propria, vel voluptas, vel dolor iudicia ſua obumbret: quarè minimam cæterarum rerum poteſtatem Iudici tribuendam dicimus. Factum verò eſſe, vel non factum, & fore, aut non fore, eſſe quoquè, vel non eſſe: hæc omnia, cùm non poſſit Legiſlator prouidere, Iudicibus neceſſariò relinquenda ſunt.* Hinc

Ariſt. Rhetor. l. 1. c. 1.

ex Philoſophi verbis ſequentes magis innoteſcunt Textus.

L. Nemo C. de ſent. & interl. II. *Nemo Iudex, vel Arbitrer exiſtimet* (inquit Iuſtinianus) *neque conſultationes, quas non rectè iudicatas eſſe, putauerit ſequendum. Non enim ſi quid non benè dirimatur, hoc & in aliorum iudicium vitium extendi oportet*: Cùm non exemplis, ſed legibus iudicandum ſit; *Sed omnes Iudices noſtros veritatem, & legum, & Iuſtitiæ ſequi veſtigia ſancimus*; ſiquidèm *licet is, qui Prouinciæ præeſt, omnium Romæ Magiſtratuum vice, & officio fungi debeat*: L. 12. ſed licet. ff. de offic. Præſ. *non tamen ſpectandum eſt, quid Romæ factum, quam quid fieri debeat*. Ergò nos quoque *non debemus attendere ſolummodò quid factum ſit, ſed potiùs quid ſit faciendum*: hiſce conſonant ſequentes Canones ex Sanctis Patribus, Summiſque Pontificibus excerpti, & apud Gratianum relati.

III. *Docendus eſt populus* (inquit Celeſtinus Papa) *non ſequendus*, C. Docẽdus diſt. 62. *noſque ſi neſciunt, eos quid liceat, quidue non liceat, commònere, non his conſenſum præbere debemus*.

IV. *Mala conſuetudo* (dicit Nicolaus Summus Pontifex), *quæ non minus, quam pernicioſa corruptela vitanda eſt, niſi citius radicitùs euellatur in Priuilegiorum ius ab improbis aſſumitur, &* C. mala diſt. 8. *incipiunt prauaricationes, & variæ præſumptiones celerrimè non compreſſæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuo celebrari*: hinc.

V. *Si conſuetudinem fortaſſis opponas* (ait Gregorius Papa) C. ſi conſuetudinem diſt. 8. *aduertendum, quod Dominus dicit*: Ego ſum veritas, & vita, *non dixit*, ego ſum conſuetudo, ſed veritas, *& certè* [*vt Beati Cypriani vtamur ſententia*] *quælibet conſuetudo quantumuis vetuſta quantumuis vulgata, veritati omninò eſt poſtponenda, & vſus, qui veritati eſt contrarius, abolendus*: vndè

VI. *Qui contempta veritate* (profitetur Sanctus Auguſtinus) *præ-* C. qui contempta diſt. 8. *ſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres inuidus eſt, & malignus quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus eſt, cuius inſpiratione Eccleſia eius inſtruitur*: & infrà in Euangelio: Dominus ego ſum *inquit* veritas; *non dixit*, ego ſum conſuetudo. *Itaque veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati*, & infrà. *Reuelatione facta veritatis, cedat conſuetudo veritati, quia & Petrus qui prius circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti*; & infrà. *Cum Chriſtus veritas ſit, magis veritatem, quam conſuetudinem ſequi debemus: quia conſuetudinem ratio, & veritas ſempèr excludit*: Cui S. Cyprianus accedit dicens: *Conſuetudo, quæ apud quoſdam* C. conſuetudo diſt. 8. *obrepſerat, impedire non debet, quominus veritas præualeat, & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt, propter quod relicto errore ſequamur veritatem; ſcientes, quia & apud*

Eſdram

Eſdram veritas vicit (ſicut ſcriptum) veritas manet, & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet in ſæcula ſæculorum) *ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendam putauerit: ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet: ſed Dei veritatem, cùm per Iſaiam Prophetam Deus loquatur, & dicat* ſinè cauſa autèm colunt me, mandata, & doctrinas hominum docentes.

C. ſi ſolus diſt. 8.

VII. In poſitiuis hominum legibus *optima eſt legum interpres conſuetudo* [ait Imperator], ac proindè *in ambiguitatibus* [repetit] *quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuo ſimilitèr iudicaturam auctoritatem, vim legis obtinere debet*; attamèn quod non ratione (ſubdit Cæſar) *introductum; ſed errore; deindè conſuetudine obtentum eſt, in alijs ſimilibus non obtinet*: Nam (inquit Papa.)

L. ſi de interpr. ff. de legibus.
L. nam Imperator. ff. eodem.
L. quod nõ ff. eodem.

VIII. *Conſuetudo Iuri naturali non derogat, & licet etiam longeuæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas; non tamèn eſt vſquè adeò valitura, vt vel Iuri Poſitiuo debeat præiudicium generare; niſi fuerit Rationabilis, & legitimè ſit Præſcripta*: concludit Gregorius Nonus. Non igitur exempla etiam multiplicata ſunt ſpectanda: ſed Iura. Vide infrà p. 3. c. 15. n. 4.

C. cum tãto de conſuetudine.

CAP. XLVI.

De Maioritate.

In Toto Partem non eſt dubium contineri.

In Parte continetur Totum; aliquandò etiàm.

I. Totum eſt quid compoſitum ex multis partibus: Vndè deſcribitur: *Totum eſt congregatio partium*: ſin verò vnum ſimplex quid ſit, non erit propriè Totum, ſed metaphoricè. Multiplex autèm eſt Totum: *Totum eſſentiale Phyſicum* veluti Homo conſtans ex Anima, & Corpore. *Totum integrale*, ex pluribus partibus integrantibus veluti Corpus ex pluribus membris. *Totum Poteſtatiuum* vniuerſale, quod eſt ineſſe, & prædicari de pluribus ſibi ſubiectis ſpeciebus, ac indiuiduis. *Totum morale* ex pluribus in æſtimatione hominum compactum partibus, veluti *Collegium*, *Exercitus*, *Eccleſia Catholica*, ac Vniuerſalis, cuius partes ſunt Ec-

cleſiæ Particulares, Græciæ, Hiſpaniæ, Franciæ, Germaniæ. *Totum Homogeneum*, cuius partes ſunt eiuſdem rationis, puta lignum tripalmare. Plebs eſt Totum Ciuile, cuius partes, ſeù homines ſunt eiuſdem rationis, ac conditionis. *Totum Heterogeneum*, cuius partes ſunt diuerſæ rationis, puta Homo ex corpore mortali, ac immortali ſpiritu: Populus Totum Ciuile ex partibus diuerſæ rationis, ac conditionis. Complectitur enim, & Illuſtres perſonas, ac plebeos. Totum autèm *eſt maius ſua Parte*: vti ex vi nominis patet: ſicuti etiàm *Orbis maior eſt Vrbe*: vti cum D. Hieronymo apud Gratianum, omnibus eſt Sole clariùs: nàm *in Toto Partem non eſt dubium contineri*: ſiquidèm *in Toto & Pars continetur*: repetit Imperator, quod.

Grat. diſt. 93 c. legim. L. In toto ff. de reg. iur.

II. Adimpletur etiàm in *Toto Poteſtatiuo*, ſeù *Vniuerſali*, quod poteſt prædicari de pluribus ſpecialibus, ac ſingularibus; hinc Cæſar edicit, quod *ſempèr Generalibus ſpecialia inſunt*: Nàm *qui Totum dicit, nihil excludit*, vulgò dicitur: imò D. Paulus aſſerit, dicens: *In eo, quod omnia ſubiecit, nihil dimiſit, non ſubiectum ei*: Vndè ſubdit Nicolaus Papa, quod S. Leo: *dicendo*: *Omnia decretalia conſtituta, nullum de Decretalibus Conſtitutis prætermiſit*: nàm *Nihil extrà Totum eſt*: *non magis quàm vltrà Finem*, (inquit Seneca.)

L. ſemper ff. de reg. iur.
S. P. Hab. c. 2.
C. ſi Romanor. diſt. 19
Sen. de vita Beata c 9.

III. Cum nominibus præponuntur ſigna hæc vniuerſalia: *omnis*, vel *nullus*, vel *vniuerſi*, vel *Totum*, ac ſimilia, nulla ſubeſt dubitatio de generalitate locutionis, ac Totalitate rei; oboritur verò dubitatio, cùm ſimiles dictiones deſunt, nec definitur nomen, an *vniuerſalitèr*, an *particularitèr* accipiendum ſit; vel an *Totalitèr*, vel ſolum partem ſignificet, puta, ſi dicatur Homo, vel *Ciuis abſtineat à ludo* taxillorum, nèc additur vox *omnis*, vel nullus; ſed remanet indefinita propoſitio, vel legatur Ioannis domus, ac fundus, nèc adiunguntur *Tota* domus, vel *Totus* fundus; tunc ambiguum eſt, an tota domus, vel pars ſit tradenda.

IV. Vt autem hæc explanetur difficultas, ac dubietas, commemoranda eſt obitèr logicorum doctrina, qui dicunt quod *Propoſitio indefinita in materia neceſſaria*: vt homo eſt animal, vel *Remota*, ſeù *impoſſibili*, ac *extranea*, vti Homo eſt lapis *æquipollet vniuerſali*, ideóque ſuperiores indefinitæ propoſitiones valent, ac *omnis Homo eſt animal*: *nullus Homo eſt lapis*. In *materia* verò *contingenti Indefinita æquipollet particulari*. Verùm apud Iuriſperitos *Indefinita Propoſitio æquipollet vniuerſali*, vt dicit Imperator, *Vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ſed lex indiſtinctè loquens, indiſtinctè eſt intelligenda, nihil* enim *excipitur*; *vbi diſtinguitur nihil* (inquit Sanctus Bernardus) quibus ſubdit Pontifex:

L. Præſes ff de offic. Præſid.
S. Bern. de conſid. l 2. c. 8.

cum

Digitized by Google

*cum nihil exceperit, & potuerit excipere, generalitèr eſt intelli-
genda*, quamobrèm, *vbi aliquid alicui generalitèr prohibetur, quod* C.quia cir
expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum, concludit Cle- ca. De pri-
mens V. nam Imperator profitetur quod *ſempèr quaſi hoc legibus in-* uilegijs.
eſſe credi oportet, vt ad eas quoque perſonas, & ad eas res pertinerent, C.Ex'ui de
quæ quandòque ſimiles erunt. Prætereà. Verb. ſig. in
Clem.
L.27. deo

V. *In Parte continetur Totum*. Dominus Ieſus Chriſtus Vni- ſſ. de legib.
genitus à Patre, non ſolum fuit plenus gratiæ, & veritatis: ſed *de-* S.Ioan. c.1.
ſcendet ſuper eum omnis fons ſpiritus: [vt legunt Nazarei Iſaiæ pro-
phetiam de eo apud D.Hieronymum] *& in ipſo ſunt omnes The-* S.Hier.l.4.
ſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei (ait S.Paulus) *cum quo omnia nobis* c.11.Iſaia.
donauit, & de plenitudine eius (inquit S.Ioannes) *nos omnes ac-* S.P.Coloſſ.
cepimus; ſicut omnia flumina *intrant in mare, & mare non redun-* c.2.
dat: ad locum vndè exeunt flumina, reuertuntur, vt iterùm flu- S.P.Rom.
ant: ait Eccleſiaſtes: & ſicuti ex Sole in cæteros Planetas lumen dif- c.8.
funditur; & ſicuti *Dominus auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe*
dedit Septuaginta Viris Senibus Iſrael: ſic de plenitudine Chriſti, Eccl.c.1.
cui *data eſt* etiàm *omnis poteſtas in Cælo, & in terra*, omnes Apo- Num.c.11.
ſtoli partem acceperunt, ſicut cæteri Fideles de plenitudine gratiæ S.Mat.c.28
eiuſdem accipiunt; ſed Chriſtus eſt Caput Apoſtolici Collegij, ac
Eccleſiæ, quæ eſt ipſius Corpus Myſticum: Caput verò eſt pars.
Ergò *Chriſtus* quoque *Pars* eſt: verùm, cùm in Chriſto omnia con-
tineantur: hinc *in Parte continetur Totum*: Sicuti Sol eſt Pars Se-
ptenarij numeri Planetarum: ſed ipſe omnium Planetarum Vniuer-
ſum effundit lumen: Ergò & Pars ſeptenarij eſt, & Totus ſplendo- Vide p.4. c.
ris Fons in eo eſt; adeòut ſinè ipſo tenebreſcerent vniuerſa, ſic de 2.
Chriſto Sole Iuſtitiæ philoſophandum; ſed & de eius Vicario ſic diſ-
ſerendum, ac de Petro, & in hoc *Vrbs eſt maior Orbe*, ſeu *Chriſti
Vicarius* Vrbis incola, *maior eſt* in poteſtate, *vniuersà* in toto Or-
be diffusà *Eccleſià*: Nam.

VI. Vnus Petrus fuit Petra Singularis, ac fundamentalis Eccle-
ſiæ. Vnus Paſtor Vniuerſalis, cui vniuerſa fuit commiſſa poteſtas,
quodcumque ligandi, atquè ſoluendi; ſicuti etiàm ipſi vno fuerunt
datæ Claues Regni Cælorum, & ipſius *Fides indeficiens* fuit: vti pro S.Luc.c.22.
eo rogauit Chriſtus, vt refert S.Lucas; & ipſe cęteros confirmare
iubetur; quià in ipſo, & magiſterij, ac poteſtatis à Domino concluſ-
ſa fuit plenitudo, vt hæc in rèliquos, vti ſpiritus Moyſis, ac Solis
ſplendor, mariſque aquæ deriuarentur. Idem de Succeſſore aſſeren-
dum: Vndè Gregorius ad vniuerſas ſcribit Prouincias: *Romana
Eccleſia vices ſuas ità alijs impertiuit Eccleſijs, vt in partem ſint
vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*: vti refert Gra- Grat.c.2.q.
tianus: Papæ indici videtur illud Prouerbiorum: *Bibe aquam de* 6 c.Decr.
Prou.c.5.

Ciſterna tua, & putei tui deriuentur foras, & in plateis aquas tuas diuide: Ergò in ipſo eſt vniuerſa plenitudo, & ex ipſo cæteri accipiunt, & Conſilia auctoritatem ſe congregandi, & vim, ſi fuerint confirmata ab ipſo Papa: Nam Firmitas domus dependet à firmitate fundamenti [vti etiàm diximus ex ipſius increatæ ſapientiæ Dei Incarnatæ ore] etenim ipſe aſſeruit quod domus non corruit. *Fundata enim* (ecce ratio, & cauſalis propoſitio) *ſuprà firmam Petram*; ſed Eccleſia Vniuerſalis, quæ etiàm per Concilium Generale repræſentatur, eſt Domus Dei; Ergò & ipſius firmitas à firmitate fundamenti dependet, ſed Petrus, ſeù Petri auctoritas eſt fundementum Eccleſiæ. Ipſi enim dixit Dominus. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ergò Firmitas doctrinæ Eccleſiæ, ac Concilij dependet ab auctoritate Petri, cui proptereà indixit ei Ieſus. *Tu aliquando conuerſus confirma* (nota) *Fratres tuos*; ſed Papa eſt Petrus poteſtate: vti diximus ſæpius, ac oſtendimus. Imò omnes confitentur Catholici. Ergò ab ipſo accipit infallibilitatem vniuerſa Eccleſia. Nam *proptèr quod vnumquodque tale, & illud magis*. Cui ſubſcribit etiam D. Thomas, cum duo ſunt eiuſdem ordinis: ſicuti Papa, & Concilium in ordine Superiorum.

S. Mat. c. 16
S. Luc. c. 22
S. Thom. 1. q. 87. ar. 2. ad 3.

CAP. XLVII.

De Specialibus.

Generi per ſpeciem derogatur.

I. GEnus eſt Totum quoddam Poteſtatiuum, quod plures ſub ſe continet ſubiectas ſpecies, tamquam ſui Partes: puta *Animal* continet ſub ſe Hominem, Leonem, Elephantem, & ſimilia: vndè cum dicitur Animal eſt corpus animatum, de ſubiectis quoque ſpeciebus idemmet prædicatur, *ſempèr* enim *Generalibus ſpecialia inſunt* (ait Imperator) verum quia Generi aduèniunt plures differentiæ, quæ ipſum diuidunt tamquàm *Totum vniuerſale* in ſuas Partes, & diuerſas conſtituunt ſpecies, eaſque à ſe inuicem diſtinguunt: exempli gratia Animali ſi adiungatur Rationale reſtringitur ad conſtituendum hominem, vel Animali, ſi accedat Rugibile, fit leo, adeò ut quod Animal præcisè ſumptum, vt ſic erat Genus, adiunctum rationalitati fit ſpecies, ac limitatur, nec ampliùs eodem pacto de eo erit diſſerendum: ſic eadem ferè ratione philoſophandum in mora-

L. ſemper ff. de reg. iur.

ra-

Digitized by Google

ralibus de locutionibus, ac diſpoſitionibus Generalibus, quę per ſpeciales rationes limitari ſolent, quæ ideò derogant illi Generalitati, vti ſequens. Factum, ac euentus declarare videtur.

II. Perſarum Rex Aſſuerus legem condidit generalem, indicta transgreſſoribus pœna, cui cum obnoxiam ſe arbitraretur Regina Eſther Aſſueri Vxor, ipſe reſpondit, *non pro Te, ſed prò omnibus hæc lex conſtituta eſt*. Si lex Eſther non obligat, ergò conſtituta non erat pro omnibus, ſin autèm pro omnibus: Ergò quoque pro Eſther. Huic dubitationi reſponderet Iuſtinianus, quod quamuis lex ſit generalis, omneſque populos conſtringat, hæc tamen generalitas non comprehendit illos, qui ſpeciali ratione non compræhenduntur; hinc dicit: *Princeps legibus ſolutus eſt. Auguſta autèm licet legibus ſoluta non eſt Princeps, tamèn eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipſi habent*: ſic etiàm dicit Dauid, quod *omnis homo mendax*: non tamèn compræhenditur in hac generali propoſitione Chriſtus Dominus, qui Incarnatus de Virgine *Homo factus eſt*. Itèm Concilium Lateranenſe præcipit quod *Omnis vtriuſque ſexus fidelis ſemèl ſaltèm in anno ſua peccata confiteatur*; huic non ſubditur Papa, cui ſuprema data eſt ligandi, & ſoluendi poteſtas, ac *datæ ſunt Claues Regni Cælorum*: ſicuti nec etiàm cæteris Canonibus parere cogitur: vti ſcripſit Paſchalis Panormitano Archiepiſcopo ſic: *Omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta ſunt, & robur acceperunt, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patentèr excipitur Auctoritas*.

Eſther. c. 15. *L. Princeps ff. de legib.* *L. ſignific. de elect.*

III. Ex dictis innoteſcit quod duplicitèr *Generi per ſpeciem derogatur*: In primis 1. *Tacitè*, cùm ſpecialis in aliquo vrget ratio: vti exempla ſuperiora oſtendunt. 2. Deindè *expreſsè*, cùm patentèr, ac diſertis verbis aliquid ſpeciale decernitur; Vndè inferiores Textus eluceſcunt: *In Toto Iure* (inquit Iuſtinianus) *Generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimùm habetur, quod ad ſpeciem directum eſt*; hinc *ſpeciale mandatum derogat Generali* (ait Pontifex). *Generali enim ſpeciale procul dubiò derogat, & Iuriſdictio per Generales litteras attributa, per ſpeciales quantùm ad ea, quæ ſpecialitèr exprimuntur, penitùs eneruantur; licet de prioribus non faciant mentionem*. *Tandèm* [repetit Imperator] *non ambigitur in cætero omni iure ſpeciem generi derogare*.

L. in toto. ff. de reg. iur. *C. ſicut Rom. de reſcriptis.* *C. Paſtoralis offic. de reſcript.* *L. ſanctio legum ff. de Pœnit.*

IV. Specialitati, & prærogatiuæ dignitatis Summi Pontificis videtur refragari Conſtantienſe Concilium decernens, quod decretis eiuſdem Concilij teneretur obtemperare etiàm Papalis dignitas. Verùm paucis hæc ſoluitur obiectio: Primò, quià huiuſmodi decretum à Martino Quinto legitimo Pontifice in eiſdem generalibus Catholicæ Eccleſiæ Comitijs canonicè electo, non fuit confirmatum.

De-

C. In argumentum. de reg. iur. in 6. C. quod nõ de reg iur. L. Is damnum. ff de reg. iur. C. nulla ratio diſt. 62. & apud S. Leon. ep. 92. ad Inquiſ. S. Amb. l. 2. in Luc. c. 1. 1 Ioeſ. c. 15 Vide infra c. 90. n. 11.

Deindè decretum conditum fuit pro neceſſitate tollendi ſchiſmatis tunc feruentis intèr plures Papas . *In argumentum* verò *trahi nequeunt , quæ proptèr neceſſitatem aliquandò ſunt conceſſa ; Nam quod non eſt licitum in lege , neceſſitas facit licitum* ; ait Gregorius Nonus cum D.Beda . Prætereà quod eſt incertum , ac pendet, ipſius certa cognitio , quoad nos , ac in æſtimatione hominum, cenſetur , ac ſi non eſſet ; Nam *quod pendet, non eſt pro eo , quaſi ſit* (inquit Cæſar) & confirmatur ſic à S.Leone Magno Papa . *Cùm ſæpè quæſtio de malè accepto honore naſcatur , quis ambigat nequaquàm iſtis eſſe tribuendum , quod nec docetur fuiſſe collatum* . *Morale* namquè *eſt omnibus , vt qui fidem exigunt , fidem aſtruant* ; docet S.Ambroſius : hinc Chriſtus de ſe dicebat : *Si opera non feciſſem in eis , quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; quaſi dicat certi erant, quod ſi certi non fuiſſent , nec peccaſſent ; ſed tunc incertum erat , ſi Papalis dignitas verè alicui illorum inhæreret , & incertum quis ex illis Papali dignitate præfulgeret ; proindè non Papa : ſed qui ſe Papam iactabat , Decretis Concilij parere iubebatur .

V. Quod huiuſmodi fuerit Concilij Conſtantienſis mens , ac ſententia , patet ex condemnatione quadrageſimi primi Articuli Ioannis Vuiclefi, quæ à Summo Pontifice Martino Quinto canonicè electo confirmata fuit : nam in hac aſſeritur quod *Papa* , vel conſideratur *vt Pars* in Toto , ſeu in Eccleſia Vniuerſali , quæ eſt Totum Corpus Myſticum Chriſti , vel in Generali Concilio ſaltèm per ſuos legatos, quod Eccleſiam vniuerſalem repræſentat, ſi hoc pacto conſideratur, Papa, Eccleſia , vel Concilium habent ſupremam Poteſtatem, ac locum ; cum ipſis caput præſit, quod eſt ſupremum omnium Partium : vel conſideratur *Papa* , vt *Caput* diſtinctum à cæteris partibus, ſeu Eccleſijs particularibus, & ſic ipſe ſolus adhuc eſt Supremus , ac habet *Primatum* , non ſolum *honoris* ; ſed & *Poteſtatis* . Chriſtus enim non venit (vti aiunt S.Mathæus, ac S. Marcus) ad captandos honores , ſed ad ferendos labores, nec *miniſtrari* venit, ſed *miniſtrare* , ad quod opus eſt Poteſtate : proindè in Clauibus Diuo Petro contulit Ieſus poteſtatem ſupremam regendi Vniuerſalem Eccleſiam .

S. Mat. c. 20 S. Marc. c. 10. c. inf. ſ. 4. V. 2. 3. &c.

VI. En autèm verba Articuli prædicti , & ſequens condemnatio , *non eſt* [dicit Articulus] *de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam intèr alias Eccleſias* . Eccè autèm cenſura, ac condemnatio à Concilio edita . *Error eſt* (ait) *ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam, ac Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis supèr alias Eccleſias particulares* . Ergò Papa eſt ſupremus , *Supremus* autèm *eſt* , *quem nemo ſequitur* (ait Imperator) ſcilicèt ſupra : vti ſubſtantia Ge-

Conſt. ſeſſ. 45. ar 41. Vuiclef. L. Proximus ff. de verb. ſign.

Digitized by Google

Genus ſupremum eſt; quia nullum aliud Genus, illam ſequitur ſuprà, ſicuti infrà ſequitur eam Corpus, Animal, ſed ſupremo nemo imperat: nam *Superioris eſt iubere, parere verò inferioris*, vti Sole clarius patet, & docet etiam D. Thomas, ſupremo autèm nemo eſt ſuperior. Ergo nemo illi iubere poteſt. Ergò Papæ certò non fuit mens Conſilij iubere, dato etiàm, quod illud decretum fuiſſet validum. Ergò ſpecialis Petri, ac Papæ prærogatiua ſuprà omnes, ac omnia eum ſublimat. Hiſce congruunt Sancti Patres, ac Summi Pontifices, ac Concilia Generalia, præcipuè autèm Nicolaus Papa apud Gratianum repetit illam Sinueſſanæ Synodus profeſſionem, quod ſcilicèt: *Prima ſedes non iudicabitur à quoquàm*; quam etiàm refert Baronius: omiſſis autèm pluribus, quæ de hac re Sanctiſſimi Viri, atque Pontifices decreuerunt, & alibi etiàm innuemus, libet hic cum Doctiſſimo, ac Sanctiſſimo Theodoro Studita Orthodoxorum Epiſcoporum Orientis nomine ſic Michaeli Balbo Imperatori ſcribente Caput hoc complere. *Si quid* [ſcribit Sanctus Theodorus] *eſt huiuſmodi, de quo ambigat, aut diffidat diuina magnificentia veſtra piè à Patriarca diſſolui poſſe. Iubeat magna ipſius, & à Deo confirmata manus ad communem vtilitatem a vetere Roma ſuſcipi declarationem, prout olim, & ab initio paterna traditione tranſmiſſus mos fuit. Hæc enim* (Chriſti emule Imperator) *ſuprema eſt Eccleſiarum Dei, in qua Petrus Sedem Primus tenuit, ad quem Dominus dixit. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.* Hæc ita refert Baronius.

D. Tho. 1. 2. q. 99. ar. 1. q. 100. ar. 9 & 22. q. 104. ar. 2.

C. nisi autē diſt. 21. Baron. an. 303. n. 96.

Baron. an. 821. n. 38.

CAP. XLVIII.

De Collegijs, eorumque ſuffragijs.

Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

S. Iſidor. orig. ſeu ethim. l. 9. lit G. L. Collegarum ff. de verb. ſign. C. Nullus. De Elect. Inſt. l. 1. ne. que L 3. nulli ff. quod cuiuſ cumque.

I. COllegium eſt plurium collectio, ac colligatio. Nam *Collega* [inquit Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis] *à colligatione ſocietatis, & complexu amicitiæ dictus*. Imperator verò ſic declarat: *Collegarum appellatione hi continentur qui ſunt eiuſdem poteſtatis*. Quot autem Collegium conſtituant. *Meratius* (ait Iuſtinianus) *Priſcus tres facere exiſtimat Collegium; & hoc magis ſequendum eſt*.

Digitized by Google

Lucius Papa reſcribit quod duo vel tres faciunt Congregationem. Alia quoque ſpecialia nomina ſortitur Collegium, ſcilicèt, *Senatus, Magiſtratus, Congregatio, Capitulum*, & ſimilia. Nullùm verò Collegium eſt, ſi Principis non fulcitur auctoritate, nihilque aget, ſi ab illo robur non obtinet, vt indicit Iuſtinianus.

II. Collegium autèm duplicitèr agere videtur. 1. vel *Collegialitèr*, ſeu *Collectiuè*, ideſt vt *omnes, & vt vnum* operantur, vel è contrà, omnes operantur, vt ſinguli, non vt vnum Corpus; ſed multi ſingilatim, ac *diſtributiuè*; qui hoc modo ſi eſſent vnius rei Domini, non alitèr meum fiet Ius, quàm ſi omnes cedant. Nam *id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt* (ait Imperator). *In ea enim re* (repetit Cæſar), *quæ ex duorum, pluriumue conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur, & non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*: Vndè ſi vnus velit, alter nolit. *In re communi* (ait Pontifex) *potior eſt conditio probibentis*, & hic præſertim locum habet Superior Regula, quæ tamen explicari etiàm valet, quod tunc omnes approbant, cum maior pars approbat, ſcilicèt cum operantur, vt *vnum Corpus*, & *Collegialitèr* in rebus, non ad ſingulos nominatim pertinentibus, veluti ſi fundus foret communis ſingulorum, ſed in rebus ad ipſum *totum Collegium* ſpectantibus.

L. Perſundam ff. de ſeru pred. Reſt. & L. Receptũ ff. comm. prædior. L. Id quod ff. de Reg. Iur. L. non ſolũ ff. de oblig. & Act. L. nõ debet ff. de Reg. Iur. C. In re comm. de reg. iur in 6.

III. Collegium cum agit *collectiuè*, vt *vniuerſi*, ac vt *vnum Corpus*, omnes collegæ debent citari: ſecus *plus obeſt vnius contemptus, quàm plurium contradictio* (vt inquit Pontifex Gregorius IX.) operari namque debet non clam: ſed publicè, ſeu iuxtà Canonum, ac publicarum legum perſcriptum, quæ ſic decernunt fieri, ſi verò omnes ſint citati, tunc vbi *maior* conſentiet *Pars*, illud erit actum: Nam *Refertur* ad *vniuerſos*, quod *publicè fit per maiorem partem* [inquit Cæſar]: debent autem conſentire ſinguli, *non ſingularitèr* (ſcilicèt ſeorſum): ſed *communitèr*: Nam *nec ex ſingularibus, vel particularibus conſenſibus appareret vniuerſalis, vel communis electio, licèt quilibet ſingularis veritatem exprimat ſuæ partis*. Subdit idem Pontifex, ſiquidem Communitèr, ſeu Collegialitèr, ac Capitularitèr agenda ſunt, quæ à Communitate ſunt facienda. Huic tamèn Regulæ limitationem addit Pontifex nimirùm quod non ſolum debeat eſſe *maior Pars*; ſed *& ſanior*: excipiuntur tamèn Cardinales in Conclaui in Electione Papæ. *Cùm in Concilio caueatur* (ait idem Gregorius) *vt Is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior, & ſanior Pars conſentit*. Excipitur Sacrum Cardinalium Collegium in Conclaui ad Summi Pontificis Electionem, in qua *ſola maior Pars* attenditur, quia cæteris electionibus *quod in dubium venerit ſuperiori poterit iudicio definiri*. *In Romana verò*

C. 36. Bona memoria. De elect. L. Aliud ff de Reg. iur. Ibidem. C in Geneſi Tit. de elect. C. licet de elect.

Digitized by Google

Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur: quia non poterit ad ſuperiorem recurſus haberi.

CAP. XII.

De Affectatione Officiorum.

Non eſt ſine culpa, qui rei ad ſe non pertinenti, ſe immiſcet.

I. ORdo eſt verus Sapientiæ Filius, ac verus Pulchritudinis vniuerſi Pater, atquè vera Virtutum Mater. Nam Pulchritudo eſt Partium ordinatio, & Virtus eſt ordinatio affectuum, ac Actionum in Rationali creatura: Vndè S.Paulus Corinthios monebat: *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant*; & Regius canebat Deo Pſaltes, dicens: *Ordinatione tua perſeuerat dies*; *hoc eſt virtus*; vt explicat S.Bernardus. Ordo autèm requirit, vt ad officia, ac honores ſublimentur, qui idonei ſunt ad illa; quamobrèm ipſemet Ieſus infirma mundi eligens, vt confunderet fortia; *Idoneos nos fecit Noui Teſtamenti*: profitetur S.Paulus; Eoſdem exornans ſapientia, virtute, cæteriſque donis ad Apoſtolicum munus requiſitis. Sapientia namque Dei omnia in numero, pondere, & menſura diſponit. Ergò pro magnitudine Finis conuenientia ordinat media, vt quiſque Sapiens ſimilitèr aget. *S.P.Cor. 1. c.14. S.Ber. ſer. 49 in cã. Sap. c.11. S.P. Cor.2. c.3.*

II. Triplicitèr autèm contrà proprium officium quis delinquere conſueuit. 1. vel ex *malitia*, ac electione; 2. ex *ignorantia*; 3. ex *paſſione* aliqua, ſeù *infirmitate*, (vt docet D.Thomas cum S.Gregorio Magno) vel enim Superiorum, ac legum renuit obedire mandatis, vel ſeù officij, ac honoris iura ignorat, ſeù imprudens eſt, in operando, vel deniquè aliquo inordinato affectu commotus, officio ſuo deeſt. Vnuſquiſque verò ſuo debet exactè ſatis facere officio: Nam *quod medicorum eſt* (repetimus cum D.Hieronymo ad Paulinum in Præfatione Sacræ Scripturæ) *promittunt Medici, tractant fabrilia Fabri, vt vnuſquiſque in ſua arte ſapiens ſit*; (inquit Eccleſiaſtes) vel ſapiens eſſe debet, nec imitari vllus Scribas debet, qui amabant *vocari ab hominibus Rabbi*, *ideſt* (exponit Sanctus Chryſoſtomus) *vocari volunt, non eſſe*; *nomen appetunt, & officium negligunt*; Vndè. *D.Tho.1.2 q.105.ar.2 ad 9.& 2.2 q.162.ar.2. S.Greg. Mor.l.25. c.11. Eccl. c.38. S Chryſ.in Math.c.23 Hom 43.*

III. Damnabilior foret huiuſmodi culpa, ſi officium, ac honores

Digitized by Google

S P.Hebr. c.5.

affectaſſet, ſeù nimio affectu ambiuiſſet, ſibique procuraſſet: etenim *nec quiſquam* (inquit S.Paulus) *ſumit ſibi honorem*, ſed *qui vocatur à Deo tamquàm Aron*: longèque peius foret, ſi cum requiſitis care-ret dotibus, illum affectaſſet: Vndè ità Cæſar ſancit: *Affectare quiſque non debet, in quo, vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem ſuam aliјs periculoſam futuram*: hùc ſpectant Chriſti verba dicentis: *Supèr Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi*, ideſt (exponit S.Cryſoſtomus) *Multi Sacerdotes; & pauci Sacerdotes, multi nomine, pauci opere. Videte ergò quo modo ſedeatis ſupèr eam, quia Cathedra non facit Sacerdotem; ſed Sacerdos Cathedram. non locus ſantificat hominem, ſed homo locum; qui benè ſederit ſupèr Cathedram, honorem accipiet ab illa; qui malè ſederit, iniuriam facit Cathedræ. Ideòque malus Sacerdos, de ſacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatem.*

L.idem iuris ff.ad legem Aquil.

S.Cryſoſt. in c.22. Matth. hom.43.

IV. Superiora ſequentibus Textibus ſacris, ac legalibus confirmantur: *Nolite* (inquit S.Iacobus) *plures Magiſtri fieri; ſcientes, quod maius iudicium ſumitis*: De Magiſtris autèm ſic loquitur Imperator. *Quibus* (ait) *præcipua cura rerum incumbit; & qui magis quàm cæteri diligentiam, & ſolicitudinem rebus, quibus præſunt, debent*; Si Magiſtri *appellantur, quin etiam & ipſi* Magiſtratus *per deriuationē à Magiſtris cognominantur: Vndè etiam cuiuslibet diſciplinæ* Præceptores Magiſtros *appellamus, à monendo, vel monſtrando*: S.Iacobo reſpondet Eccleſiaſticus ſic: *Noli quærere à Domino Ducatum, neque à Rege Cathedram honoris: noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, nè fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

S.Iacob.c.3

L.quibus ff. de verb. ſign.

Eccl.c.1.

V. Ex hiſce patent ſequentes leges, ac Canones, quod *Culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti*; quæ conſonat Superiori Canonicæ Iuris Regulæ. Item, *Imperitia culpæ adnumeratur, & nec videtur iniquum, ſi infirmitas culpæ adnumeratur in habente officium*: Vndè Pontifex quoquè declarat quod: *Non eſt Paſtori excuſatio, ſi lupus oues comedit, & Paſtor neſcit*. Nam cuiuſque officium obligat ad ſcientiam, & ad vigilantem prudentiam: Secùs *Magna negligentia, culpa eſt: magna culpa dolus eſt.*

L.culpa eſt ff. de reg. iur.
L.Imperit. ff.eodem.
L.Idem iuris ff.ad l. Aquil.
C. non eſt. de reg.iur.
L. magna ff. de verb. ſign.

CAP.

Digitized by Google

CAP. L.

De Officijs, & Beneficijs Eccleſiaſticis.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſinè Canonica Inſtitutione obtineri.

I. *Officium* dicitur quaſi *Efficium* (vt docet S.Ambroſius): eſt autèm officium, quod quiſque ex Rationis præſcripto agere debet; ergà Deum Optimum Maximum colendo: ergà Proximum amando: Verùm hoc *officium* generale *eſt* omni humano Generi commune; quamobrèm ex omni carne electi ſunt aliqui, vt peculiari ratione Diuino obſequio manciparentur, ac Diuino cultui deputarentur, & hi *Clerici* appellantur; De quibus S.Iſidorus plura apud Gratianum ſcribit, & præcipuè: *Generalitèr Clerici nuncupantur omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſeruiunt, quorum gradus, & nomina ſunt hæc: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Præsbiter, Epiſcopus*: humanis quoquè commodis additi ſunt alij, qui *Officiales* dici conſueuerunt, eo quod peculiare officium ipſis incumbat, & peculiari cura efficere debent, vt alijs ipſi proſint. *S.Amb.lib. de officijs.* *Gratian. d.20. c. Cleros.*

II. Clericorum officium aliquandò in Simplicis officij gradu ſiſtit; quandòque autèm præcedentiæ, vel ſimilis prærogatiua decoratur, diciturque *Perſonatus*; quandòque etiàm Iuriſdictione præfulget, & *Dignitas* vocatur; quià peculiari *digna* ſit *bonore*; Cuiuſmodi in Eccleſia quamplures honorantur: Epiſcopus, Metropolitanus, Archiepiſcopus, Primas, Patriarcha, Suprema autèm omnium eſt *Dignitas Papalis*, ac Sedis Apoſtolicæ *Primatus*. *Cic.l.2.de Inu. Rhet.*

III. Cùm verò (inquit Innocentius Tertius) *ſecundùm Apoſtolum: qui Altari ſeruit, viuere debet de Altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede; patet à ſimili, vt Clerici viuere debeant de patrimonio Ieſu Chriſti, cuius obſequio deputantur: vt ipſa nominis ratio perſuadet. Cùm enim à Cleros, quod eſt Sors, vel hæreditas, Clerici appellentur; quià in ſui ordinatione, vel adſumuntur in hæreditatem Domini, vel aſſequuntur hæreditatem in ipſo: vt verè poſſit pſallere cum Propheta dicente;* Dominus Pars hæreditatis meæ: *dignum eſt, vt Eccleſia ſtipendijs ſuſtententur*, in *C. cum ſecundum. de Præbẽd.*

in qua , & per quam Diuinis obſequijs aſcribuntur : hinc vulgò dicitur *Beneficium datur proptèr Officium* : Nam .

IV. Cùm Bona Eccleſiæ olim eſſent communia , & ab Epiſcopis pro cuiuſque neceſſitate diſpenſarentur , diuiſa deindè ſunt , & cuique Titulo Eccleſię particularis , ac officio aſſignata eſt congrua portio fructifera , quæ *Prabenda* dici videtur : Ius verò percipiendi ex huiuſmodi bonis Eccleſiæ redditus , & obuentiones *Beneficium* Eccleſiaſticum appellatur : Cui ſi additur animarum cura , dicitur *Beneficium Curatum* : Si eidem cura animarum deſit dicitur *Beneficium Simplex* ; quod ad reſidendum in loco Beneficij , ſicut Curatum , non ſolet obligare .

V. Si Beneficium liberè ab Ordinario concedatur , dicitur *Collatio* : ſin autèm Ordinarius Beneficium det ad nominationem , vel præſentationem illius , qui Eccleſiam fundando , vel dotando ſibi voluit acquiri quod *Ius nominandi* (quod eſt *Ius Patronatus* vocatur) dicitur *Inſtitutio* propriè , quaſi *Intus Statutio* . Si à Papa , ex ſumma diſpenſandi poteſtate concedatur , dici conſueuit *Prouiſio* . Dynus autèm Muxellanus in explicatione huius Regulæ ſic diſſerit ; *Inſtitutio eſt iuris alicuius Beneficij* Verbalis collatio ; *Inueſtitura verò Collationis , ſeu Inſtitutionis confirmatio , ſeu declaratio , per quam induitur confirmatio . Miſſio in poſſeſſionem eſt præcedentium , ideſt Collationis , & Inueſtituræ executio* : Vbi notandum quod Inſtitutio ſignificat etiàm latè ſumpta omnem Collationem , quæ cùm ſit Actus legitimus debet canonicè , ac legitimè fieri ; ſecùs nulla eſſet Inſtitutio , nec licitè obtineretùr Beneficium . *Inſtitutio* hoc modo , & largè accepta , videtur dare *Ius ad Rem* . *Inueſtitura* verò , *Ius in Re* ; *Miſſio* , ſeu *Inductio* in poſſeſſionem *Iuris complementum* in ipſamet Poſſeſſione .

VI. Aliqua dicuntur *Beneficia manualia* , quià *de manu in manum* diſtribuuntur quotidiana *victualia* his , qui Diuinis interſunt officijs , etiàm ſi fortaſsè commodioris ſolutionis cauſa , aliquandò in fine anni ab Æconomis vnicuique tradantur : *Capellania perpetua* in fauorabilibus Beneficij nomine compræhenditur . Penſio verò Beneficium Eccleſiaſticum propriè non eſt .

VII. Quibus autèm Beneficiarij debeant pollere virtutibus, pręter plurima Sanctorum Patrum monita , ac Summorum Pontificum Decreta , & præſertim Tridentini Concilij, ſatis erit, ſi admoneamus cos ab ipſomet Domino ipſis indici : *Vos eſtis lux mundi ; ſic luceat lux veſtra coràm hominibus , vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum , qui in Cælis eſt* .

Trid. ſeſſ. 23. de Ref.

S. Math. c. 5

VIII. Ex præcedentibus agnoſci potuit , quod *Beneficium eſt*

Ius

Digitized by Google

Ius ab Eccleſia iuxtà Sanctorum Canonum Conſtitutiones ad obeundum in Diuino cultu officium excogitatum, & erectum; ſicut autèm canonicè prodiuit hoc *Ius*, ſic & canonicè, ſeu ſecundùm Sacrorum Canonum Regulas debet à cæteris obtineri: nam *qui non intrat per oſtium, hic fur eſt, & latro*: Oſtium eſt Canonica conceſſio Beneficij, ac ingreſſus legitimus: Clauis verò eſt ab Ordinario datum Ius; Vndè ſuperior tradita eſt Regula; nimirùm; *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſinè Canonica inſtitutione obtineri*.

CAP. LI.

De Conſilijs, ac Conſiliarijs.

Nullus ex Conſilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur.

I. CONſilium ſunt Rationes, quæ probant aliquid eſſe probabile, ac probabilitèr faciendum alteri, vel fugiendum; nam cùm Conſiliarij Intellectus hiſce Rationibus moueatur, eiſdem ipſe alterius intellectum mouet, vt repræſentet voluntati eſſe amplectendum, vel fugiendum; Conſilium enim mouet Intellectum ratione; ſicut præceptum mouet inferioris ſubditi voluntatem, ac obligat ſuperioris imperantis vi, atquè auctoritate; Vndè D.Thomas dicit; quod *Præceptum importat neceſſitatem: Conſilium in optione ponitur eius, cui datur*; idem ſancit S.Franciſcus Saleſius; hinc D.Paulus alterum ab altero ſecernebat, cùm ſcripſit ad Corinthios; *De Virginibus præceptum Domini non habeo: Conſilium autèm do*; & ipſe Dominus *Conſilia Euangelica* proponit ſequenda volenti, non præcipit nolenti; *Præcepta* enim cunctis ſunt ſeruanda; De quibus ſic Cæleſtinus addit, *ſecundùm Gregorium, quod præcipitur, imperatur, & quod imperatur, neceſſe eſt fieri; & aliquandò ſi non fiat, pænam habet*. Quid autèm magis moueat, vel *Conſilium*, vel *Iuſſio*, ſic innoteſcere videtur; Homo *Ratione* magis mouetur, quàm auctoritate; eſt enim *Rationalis*, & vt Rationalis ducatum Intellectus, ac Rationis ſequi amat; eſt etiàm liber, & vt liber, liberè operari vellet, non auctoritatis cęcam vim ſectari; ergò magis Conſilio, quàm iuſſione mouetur. *Intellectus* (inquit D.Thomas) *mouet voluntatem: Velle eſt effectus eius, quod eſt intelligere*; Ità

D.Tho. 1. 2. q. 108. ar. 4.

S.Franc. Sales. De Amore Dei l.8.c.6.

C.in his de verb.ſign.

D.Thom. comment. S.Paul. ad Rom.c.7. lect.3.

quo-

Digitized by Google

L.1 *Ait Prætor.§. perſuadere ff.de ſeriũ corrupt.*

quoquè diſſerere videtur Imperator; dùm hiſce aſſerit, quod; *Perſuadere eſt plus, quàm compelli, atquè cogi ſibi parere*. Homo nàmque natus eſt moueri Ratione, ſiuè vera, ſiuè apparenti; quamobrèm ſubdit Imperator ibidèm; *Delinquit, qui ſolicitat ad aliquid faciendum improbè*.

Sap.c.9.

II. Duplex autèm eſſe ſolet *Conſilium*. 1. Bonum, cùm quis alteri, quod reuerà bonum eſt, perſuadet. Aliud eſt Conſilium fraudulentum; cùm Conſiliarius alterum fallit, dicendo malum bonum, bonum malum, lumen tenebras, tenebras lucem, ità vt alter fraudatur, ac in foueam cadat; Verùm, vt Conſiliarius reus ſit fraudulenti Conſilij, non ſufficit, vt Conſilium re ipſa, ac de facto non fuerit bonum, ſed noxium: quià ſolus Deus falli nequit. *Cogitationes autèm hominum timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ* (ait Sapiens) & indè falli ſæpè contingit in proprijs, nedùm in alienis: requiritur igitùr ad hoc, vt fraudulentum ſit Conſilium, quod Conſiliarius cognouerit eſſe eiuſmodi, quod non eſſet profuturum, ſed futurum pernicioſum conſilium. Primum eſſet conſilium malum ſecundùm effectum. Aliud eſſet malum etiam ſecundum affectum, de quo in ſequentibus Textibus.

L.Fraus ff. de reg.iur. C.cum volunt.de ſēten.excom. L..1.lege Cornel.ff. ad legem Corn.de ſicuris. Inſt.l.3.tit. 27.§.6.de mandato. L.conſilij ff. de reg. iur.

III. *Fraudis interpretatio* (ait Iuſtinianus) *ſempèr in Iure Ciuili, non ex euentu dumtaxat, ſed ex Conſilio quoque conſideratur*. Nam Fraus eſt Delictum. Delictum verò ex voluntate deliberata proficiſci oportet. Nam *Voluntate, ac propoſito maleficia diſtinguuntur*: dicit Summus Pontifex, cum Imperatore, quamobrèm ſi fraus deſit, reus non Conſiliarius: *nemo* (inquit idem Cæſar) *ex conſilio mandati obligatur, etiam ſi non expediat ei, cui dabitur, cum liberum cuique ſit, apud ſe explorare, an ſibi expediat Conſiliu m*: Vndè ſuperior illuceſcit Regula quod *nullus ex Conſilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur*: *eadem ferè* (repetit Imperator dicens) *Conſilij non fraudulenti nulla eſt obligatio*.

De Conſiliarijs.

Eccl.c.7. Eccl.c.37.

IV. Hinc animaduertendum videtur noſtris hiſce diebus, quod Conſilia fraudulenta aliquandò non ex mera malitia, ſed ex occaſione auaritiæ, vel vanę gloriæ, vel adulationis, vel ignorantiæ culpabilis, vel ex alicuius paſſionis obnubilatione prodeunt: Vndè Eccleſiaſticus monet. *Conſiliarius ſit tibi vnus ex mille. O præſumptio nequiſſima* (ait idem). *Vndè creata es cooperire aridam malitia, & doloſitate illius? A conſiliario ſerua animam tuam: priùs ſcito, quæ ſit illius neceſſitas, & ipſe enim animo ſuo cogitabit, ne fortè mittat*

ſe-

Digitized by Google

ſudem in terram, & dicat tibi. Bona eſt via tua; & ſtes è contrario videre quid tibi eueniat. Cum viro irreligioſo(ironicè ſeù negatiuè loquitur)*tracta de Sanctitate, & cum Iuſto de Iuſtitia, & cum Muliere de ea, quæ æmulatur: Cum timido de bello: Cum negotiatore de traiectione: cum emptore de venditione, cum viro liuido de gratijs agendis. Non attendas his, in omni Conſilio, ſed cum viro Sancto aſſiduus eſto, quemcumque cognoueris obſeruantem timorem Dei, cuius anima eſt ſecundùm animam tuam, & qui cum titubaueris in tenebris, condolebit tibi. Cor boni Conſilij ſtatue tecum: Non eſt enim tibi aliud pluris illo. Anima viri Sancti enunciat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum, & in his omnibus deprecare Altiſſimum, vt dirigat in veritate viam tuam. Sapientes* [ait S. Auguſtinus] *voco non cordatos, & ingenioſos homines, ſed eos, quibus ineſt, quanta ineſſe homini poteſt, ipſius hominis; Denique firmiſſimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita, moreſque congruentes, cæteros autem cuiuſque modi artibus, in eiſque affecti ſint quolibet victu probandi, ſiuè improbandi ſtultorum numero deputauerim. Omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt, nec rectè factum vllo modo eſſe poteſt, quod non à recta ratione proficiſcitur. Porrò rectà ratio eſt ipſa virtus: cui autem hominum virtus, niſi ſapientis animo præſtò eſt. Solus igitur ſapiens non peccat. Stultus ergò omnis peccat, niſi in his factis, in quibus ſapienti obtemperauerit. A recta enim ratione talia facta proficiſcuntur.* S. Aug. de vtilitate credendi tom. 6 c. 12

V. Verùm timeo, ne de noſtra tempeſtate dicatur: *ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis: non erat viſio manifeſta*, quia pauci ſunt, qui ſermonem veritatis habeant, & qui recta videant, & quæ viderint, ſincerè manifeſtent; & auertat Deus, Optimus, Maximus, ne cum Eginardo *à ſecretis* quondam Caroli Magni Imperatoris, & deindè Conſiliario Ludouici Pij exclamarè cogamur: *Proh pudor noſtrorum temporum, quibus Doctores ſunt, non homines, ſed Dæmones, & ſolicitatores ipſi vitiorum nos coarguunt*: vti refert Baronius contigiſſe per puellæ eiuſdem barbaræ, latinè tamèn loquentis os. Reg. 1. c. 3. Bar. 828. n. 27.

VI. Obſerua ex dictis cuiuſmodi eſſe oporteat Conſiliarium, & ſimul animaduerte, quàm iuſtè moneat Eccleſiaſticus: vt *Conſiliarius ſit tibi vnus ex mille*. Nam Bonus Conſiliarius in ſpiritualibus tribus debet pollere virtutibus. 1. *Bonitate*. 2. *Prudentia*. 3 ac *Scientia*, vti Magiſtri vitæ ſpiritualis docent, & præſertim Sancta Thereſia. Sanctus Franciſcus Saleſius, de quibus egi in *B. Catharina Genuenſi Illuſtrata*, vndè pro ſe ipſo Dauid Rex deprecabatur Dominum dicens. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce*. V. d. ſup. Incrcm. B. Cathar. Gen. Illuſt. p. 2. c. 28. 29. 30 Pſal. 118.

Quam rara auis in terris eſt horum Trium copulatio? Hæc quaſi Tricolor eſt Iris, & de ea fermè repetendum videtur cum Eccleſiaſtico. *Vide Arcum, & benedic eum; qui fecit illum, valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.*

Eccl.c.43.

CAP. LII.

De Actibus Legitimis.

Actus legitimi Conditionem non recipiunt, nequè diem.

Iuſt.C. l.1. tit.14.l 9. 10.de leg.

I. Actus humani omnes debent eſſe conformes legibus [vt Iuſtinianus imperat] & hoc ſenſu omnes ſunt Actus legitimi in genere, ac latè ſumpti; Verùm aliqui Actus inuenti ſunt peculiaritèr à lege ciuili, & peculiari quoquè forma exercentur; vel etiàm peculiares pariunt effectus, & ideò ſpeciatim, ac ſtrictè dicuntur *Actus legitimi*: quorum aliqui conditionem ſuperiùs dictam, nequè diem ſaltèm expreſsè, non recipiunt.

Inſt.l 3.tit. & l.6. § 6.

II. *Conditio* [vt dictum eſt] *eſt adiectio ſuſpendens actum. Conditiones* autèm, *quæ ad præſens, vel præteritum tempus referuntur: aut ſtatim infirmant obligationem, aut omninò non differunt: quæ enim per rerum naturam ſunt certa: non morantur obligationem, licet apud nos incerta ſint.* Dies autèm eſt particula Temporis, cui Actus adijcitur: Huiuſmodi verò temporis particula, vel accipitur, quandò aliquid eſt incipiendum, eſtque veluti *Initium*, ac exordium eius, & dicitur *ex die*; vel eadem particula eſt veluti *Terminus*, quandò aliquid eſt terminandum, ac complendum, diciturque *conferri in diem* [vt docet Iuſtinianus]. Deniquè Dies vel eſt certus, vel incertus.

L.44. obligationium ff.de oblig. & Act.

III. *Actus* igitùr *legitimi* (explicare videtur Canonicam Regulam Iuſtinianus), *qui non recipiunt diem, neque conditionem; veluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis adiectio, ſerui optio, datio tutoris in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adiectionem. Nonnunquàm tamèn actus ſupraſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa vitium afferunt. Nam ſi acceptum ferantur ei, qui ſub conditione promiſit; ità demùm egiſſe aliquid acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit, quod ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.*

Actus legitimi ff.de reg.iur.

IV. Non-

Digitized by Google

IV. *Nonnunquàm* (ait Imperator) *contingit, vt quædam nominatim expreſſa officiunt, quamuis omiſſa tacitè intelligi potuiſſent, nec eſſent obſutura*; hinc tradita Regula eſt ab eodem; *Expreſſa nocent* (ſcilicèt aliqua), *non expreſſa non nocent*. L. 12. Nonnunq. l. 35. tit. 1. ff. de condit & demonſt. L. expreſſa. ff. de reg. iur.

CAP. LIII.

De Bono: De Vtili: De Inutili, ac Superfluo: De Vitioſo, ſeu Noxio.

Vtile non debet per Inutile vitiari.

I. *Bonum eſt ex integra cauſa* (inquiunt Sancti Dionyſius Areopagita, & S. Thomas) & cum ipſis Sanctis Doctoribus cæteri omnes profitentur; cùm ſcilicèt perfectum, nihilque requiſitum ei deeſt ad eſſendi plenitudinem, & hoc *Bonum eſt, quod omnia appetunt*: [ait Ariſtoteles] Bonum autèm duplex aſſignatur. 1. *Bonum abſolutum*, ac per ſe appetibile; quià in ipſo eſt Ratio appetibilitatis, cuiuſmodi eſt *Finis*, qui gratia ſui appetitur, & eiuſmodi etiàm eſt *Honeſtum*, *Honeſtaque Actio*, quæ virtutis eſt Filia, dignaque propterea honore, ac præmio. Aliud *Bonum* eſt *Relatiuum*, quod eſt Bonum proptèr aliud, ſeu quià iuuat, eoque vtimur ad comparandum Bonum per ſe, ac abſolutum, & idcircò *vtile* nuncupatur; ſin autèm non iuuat, nequè ad aliud acquirendum nobis eſt opus, *Inutile, ſuperfluum, fruſtraneum, vanum, ac otioſum*; quod nec prodeſt, nec obeſt; Verùm ſi non prodeſt, ſed obeſt, dicitur *noxium*, ac *vitioſum*, fitque, ſicut *modicum fermentum, quod maſſam corrumpit*, ac veluti venenum, quod totum inficit cibum, vel potum. Ariſt. Eth. l. 1. c. 1.

II. Superiora aliquandò ab inuicem ſeparabilia ſunt, & tunc quod eſt Bonum in ſe, vitiari ab alio non ſolet, ſicuti exemplum in Euangelio patet, de bono ſemine, ac zizanijs, quæ ſegregata deindè fuerunt à Tritico, quæ ſeparatio adeò eſt laudabilis, vt profiteatur Dominus Deus per Ieremiam dicens; *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris*; hinc S. Paulus repetebat. *Omnia probate; quod Bonum eſt, tenete*; & S. Auguſtinus itèm monet; *Botrum carpe, ſpinam caue*; Spinas cauete; Roſas colligito; Vndè Plinius quoquè apud Baronium in Præfactione Annalium dicebat; *Non eſt liber tàm malus, quin ex aliqua parte proſit*; & idem Sanctus Auguſtinus diſſertiùs aſſerit, quod *Regula Apoſtolica eſt, ſi quid* Ierem. c. 15. S. P. Theſſ. 1. c. 5. S. Aug. t. 7. l. 1. c. 5. contra Petil.

Digitized by Google

recti etiàm in peruerſis inuenerimus, eorum peruerſitate correcta, illud quod rectum eſt minimè, violamus: vt in vno homine ex his quæ vera tenet, etiam falſa emendentur, non ex falſis conuictis, etiam vera deſtruantur.

L. non ſolent ff. de reg. iur. L. Pediculi §. 6. ff. de Auro. L. 65. quæ extrinſ. ff. de verb. oblig. L. Quæ dubitationis. ff. de reg. iur. L. 7. Pedius ff. de Receptis qui arbitr. C. ſi conditiones. De condit. appoſit.

III. Si ſeparabilia ſunt *Vtile*, ac *Inutile*, adhùc vnum non conſueuit vitiare aliud: Vndè Imperator dicit: *Non ſolent, quæ abundant, vitiare ſcripturas*; & iterùm; *Non mutat ſubſtantiam rerum, non neceſſaria verborum multiplicatio*; *Nam ſuperuacanea non vitiant obligationem*; Idcircò; *quæ dubitationes tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, Ius commune non lædunt.*

IV. Inutile verò ſi inſeparabile ſit, & ſit non ſolùm *inutile*; ſed & *vitioſum* quoquè eſt; tunc *inutile* vitiat *vtile*; puta ſi compromiſſum in liberum, ac ſeruum factum ſit, proptèr adiectionem ſeruilis perſonæ, nullum eſt compromiſſum (ait Iuſtinianus:) ſic quoquè *Si conditiones contrà ſubſtantiam Coniugij inſerantur*; *puta ſi alter alteri dicat; contraho tecum, ſi generationem prolis euites; Matrimonialis contractus, quantumcùmque ſit fauorabilis, caret effectu; licet aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant, propter fauorem eius, pro non adiectis haberi*. Ergò patet quod; *inutile* (ſi non ſit inſupèr, & *vitioſum*) quale eſt id, quod contrà Rationem, vel leges ſit) *non vitiat vtile*.

CAP. LIV.

De Voluntate Efficaci, Abſoluta, Conditionata.

Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, perindè haberi debet, ac ſi impleta conditio fuiſset.

I. VNa eſt Voluntatis potentia; ſed multiplex huius potentiæ volitio. Vna Voluntas; ſed multiformis voluntatis actus. Cùm voluntas, *vt ſit*, vult *bonum*, obiectum per ſe *voluntas* dicitur, ſortiturque hic actus eiuſdem potentiæ nomen: Cùm verò bonum vult, & ad hoc comparandum media eligit, bonum volitum tunc *Intentio* dicitur; quaſi *in aliud tentio*, & *intendere*, quaſi *in aliud tendere*, & cùm in eodem fruendo quieſcit, dicitur *Finis*: quan-

Digitized by Google

quandò autèm media ad finem vult, dicitur *Electio*; quia è duobus vnum eligit; hæc eſt S.Thomæ Aquinatis Doctrina. Vtrumque *S.Th.1.2.* autèm tàm *Finem*, quàm *Media* verè vult, & tàm *Electio*, quàm *q.8.ar.2.& Intentio* dicitur eſſe *Voluntaria*. Verùm. *q.12.ar.1.*

II. Voluntas quandòque vult; ſed non plenè, nèc efficacitèr, ſeù toto ſuæ virtutis conatu; ſed ſemiplenè, ac inefficacitèr; cuiuſmodi Volitio dici conſueuit *Velleitas*; ſeu imperfecta voluntas; puta; vellem emendare vitam; ſed me detinet conſuetudo contraria: è contrà quandòque, & plenè, & efficacitèr vult, & tunc *Voluntas efficax* dictitatur; nimirùm, cùm nihil voluntatis decretum impedit, nèc eam deterret, quin dicat *Volo* emendare, quàm proindè ſequetur *effectus* emendationis, & quod vult, efficit, quantùm in ipſa eſt: Vnde *Voluntas efficax* nuncupatur; Volenti enim, ſi adeſt vis, reipſa etiàm fit, quod vult; nam *quod eſt in poteſtate* (ait Ariſtoteles) *Ariſt.Rhe- & voluntate erit*; & è conuersò quod fit ab homine, illud & po- *tor.l.2.c.19.* teſt agere homo, & agere vult; ſiuè velit illud per ſe, ſiuè velit il- *Grat. cauſ.* lud proptèr aliud; vti cum D.Auguſtino apud Gratianum docet *15.q.1.c.1.* etiam S.Thomas; Nam *omne quod fit* [ait Ariſtoteles] *fit ab ente in merito. actu*; quod autèm actu eſt, ſimplicitèr, & verè eſt; *Vnumquodque S.Tho.1.2. q.6 ar.6. enim ſimplicitèr eſſe dicitur* (inquit S.Thomas) *ſecundùm quod eſt S.Tho.1.2. in actu, ſecundùm autem quod eſt in ſola appræhenſione non eſt ſim- q.6.ar.6. plicitèr, ſed ſecundùm quid*, ſcilicèt eſt in noſtra appræhenſione tantùm, & non verè à parte rei; ſicut qui medicinam ebibit, eam ſimplicitèr vult, quamuis ſecundùm quid eam nolit; ſi nimirùm hìc, & nunc non ægrotaret; Vndè S.Auguſtinus inquit; *Fortè ipſum S.Aug.l.4. peccare nemo vellet, ſed proptèr aliud fit, quod vult: qui peccat. q.24.ad c. Omnes quippè homines, qui ſcientes faciunt, quod non licet, vellent 15.Num. licere*. *Sufficit* enim [ait S.Thomas] *ad rationem voluntarij, quod apud Grat. loc.c. fit proptèr aliud voluntarium. Voluntarium enim eſt non ſolùm*, *S.Tho.1.2.* quod proptèr ſeipſum volumus, vt Finem; ſed etiàm, quod proptèr *q.6.ar.6.* aliud volumus, vt media proptèr finem. *ad 1.*

III. Tàm Finem, quàm Media ad finem voluntas aliquandò vult *abſolutè*, ac independentèr ab alio. V.G. vult abſolutè ſanitatem ipſam recuperandam: aliquandò verò voluntas, vel finem, vel media vult *conditionatè*, & dependentèr ab alio; puta vult ſanitatem, ſi Deo placet, & ipſe conferat; vel vult medicamentum, ſi dulce ſit, non autèm amarum; huiuſmodi dicuntur *voluntates conditionatæ*; Id, ex quo aliud dependet; dicitur *Conditio*, quæ exprimi ſolet hac particula *ſi*, & à Logicis appellari conſueuit *Antecedens*; Id verò, quod ab alio dependet, dicitur *conditionatum*, & à Logicis *ſequela*, ac *conſequens*; quià conſequitur aliud, quod antecedit. Vnum verò aliquandò ſequitur aliud naturalitèr, vt ex approxima-

ximatione ignis ad lignum ſequitur combuſtio ; aliquandò ſequitur moralitèr: quià liberè homo vult vnum ex alio ſequi , puta do tibi hanc Catenam ex auro, ſi mihi litteras Romam miſeris ; *ſi nihil ponit in eſſe* ; eſt Philoſophorum Axioma ; ideſt , qui conditionalitèr loquitur, non ponit , vel affirmat antecedens ; ſed ex antecedente poſito affirmat cum eo connexionem conſequentis ; vt docet etiàm D. Auguſtinus.

S. Aug. l. 3. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 32. 33.

IV. Conditio autèm triplex aſſignari ſolet. 1. *Conditio Caſualis*, cùm eius euentus à caſu procedit , nèc à noſtra pendet voluntate : vt ſi manè pluet ; vel Nauis ex Aſia veniet . *Conditio Poteſtatiua* , cuius euentus, ſeu executio eſt in poteſtate hominis debentis eam exequi , & à facto eius dependet : puta ſi oraueris pro me craſtina die in Templo . 3. *Conditio mixta* , cuius euentus partim à caſu , partim à voluntate pendet . Prætereà *Conditio* aliquandò adijcitur expreſsè , aliquandò verò *tacitè* ſubintelligitur . Obſeruandum hìc eſſe videtur diſcrimen intèr hæc ſibi inuicèm affinia in Iure ; ſcilicèt 1. *Conditio* . 2. *Cauſa* . 3. *Demonſtratio* . 4. *Modus* . Conditio eſt ſuperiùs dicta. *Cauſa* eſt quid impellens hominis animum ad aliquid vel faciendum , vel dandum , quæ *cauſa impulſiua* vocatur ; nèc videtur eſſe cauſa principalis , ac totalis illius motionis , ſicut videtur eſſe *modus* , qui eſt *cauſa finalis* , proptèr quam fit aliqua diſpoſitio : Cùm autèm Finis in Moralibus ſit præcipua cauſa ; hinc fit , vt deficiente modo , qui Finalis cauſa eſt , deficiat diſpoſitio . Demonſtratio eſt Deſignatio , ac verbalis oſtenſio rei, vel perſonæ , de qua agitur . Verùm dummodò Res innoteſcat, non refert ſi verba ſint falſa .

Digeſt. l. 35 Tit. de cõdit. & demonſtrat.

V. Ex præmiſſis innoteſcit, quod *Conditio* poteſtatiua exigit ab alio voluntatem, & ſupponit poteſtatem : nam omne quod ab homine fit ; & à voluntate , & ab eiuſdem poteſtate procedit ; quià ſi non poteſt , nèc facit : ſi poteſt , & non vult , nèc fit : Qui autem Conditionem poteſtatiuam exigit, voluntatem tamquam Principale exigit, & Poteſtatem tamquam Acceſſorium : adeout ſi voluntas adſit , & poteſtas deſit , ipſe qui conditionem exigit , ea ſit contentus : Nam *votum* (ſeù voluntas) *pro opere reputatur* [inquit Sanctus Auguſtinus] *& coronat Deus intus voluntatem, vbi non inuenit facultatem* , vti exemplo docet Dauid dicens Deo. *Dixi confitebor aduersùm me Iniuſtitiam, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei*, hinc explanatur , & ſuperior , & ſequens Iuris Regula .

Pſal. 31. apud Grat. d. 1. de pœnit. c. mag. S. Aug. in pſal. 103.

VI. *Cum non ſtat per eum , ad quem pertinet , quo minus conditio impleatur, haberi debet, perinde, ac ſi impleta conditio fuiſſet*. Pontifici conſentit Imperator dicens, *In Iure Ciuili receptum eſt* , quo-

L. In Iure. ff. de reg. iur.

Digitized by Google

quotiès per eum, cuius intereſt conditionem implere, non fiat, quo minus impleatur, perindè haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet, quod ad libertates, & legata, & ad hæredum Inſtitutiones perducitur. Quibus exemplis ſtipulationes quoque committuntur, cum per promiſſionem factum eſſet, quominus ſtipulator conditioni pareret: propterea, Imputari non debet ei [ait Papa] *per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Vndè *in omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo quis alium perhorreſcit, quominus fiat.* Qui verò in voluntatem habet poteſtatem non ſufficit velle, ſed exigitur opus, ſecùs ſuæ obligationi deeſt. Nam *qui poteſt facere; vt poſſit conditioni parere, iam poſſe videtur*, decernit Iuſtinianus.

C. Imputari. De *reg. iur. 6.*
L. *In omnibus ff. de reg. iur.*
L. qui poteſt. ff. de Reg. iur.

VII. Conditio adhuc alia eſt *Impoſſibilis* naturâ, quia naturæ viribus repugnat, vel eſt Impoſſibilis *Iure*, quia legibus aduerſatur. Huiuſmodi conditio impoſſibilis, ſiuè naturâ, ac facto; ſiuè Iure, ac Lege in Sponſalium Contractu ſi apponatur, vel in Teſtamento inſeritur, non vitiat: ſed vitiatur, ac inutilis redditur, atque pro non adiecta habetur, proptèr vltimæ voluntatis, ac matrimonij fauorem. In cæteris autem conditio impoſſibilis non vitiatur, ſed vitiat, inutileſque reddit Contractus, vel Actus: vndè ſic Iuſtinianus ſancit. *Non ſolum ſtipulationes impoſſibili conditioni adplicatæ, nullius momenti ſunt; ſed etiam Cæteri quoque Contractus veluti emptiones, locationes, impoſſibili conditione interpoſita, æque nullius momenti ſunt, quia in ea re, quæ ex Duorum, pluriumue conſenſu agitur, omnium voluntas ſpectatur, quorum procul dubio in huiuſmodi actu talis cogitatio eſt, vt nihil agere exiſtiment, appoſita ea conditione, quam ſciant eſſe Impoſſibilem.*

L. 3. non dubitamus ff de cond. & demonſtrat.
C. ſi conditiones. De condit. appoſitis.
Digeſt. l. 44 Tit. 7. l. non ſolum ff de oblig. & Act.

CAP. LV.

De affirmatione, negatione, ſilentio.

Qui tacet, conſentire videtur.

I. TRipliciter erga alterum ſe habere poteſt homo, vel accedit ad illum, vel recedit ab eo, vel ſiſtit in gradu ſuo, nec loco mouetur, accedendo, vel recedendo, ſic ſe habet, & voluntas erga ſuum obiectum. Nam vel amat illud, vt bonum, & illud amore proſequitur, vel odit, vt malum, & odiendo fugit ab eo, vel nec amat, nec odit, ſed ſuſpendit actum ſuum, & merè negatiuè ſe habet. Ipſa enim voluntas habet *libertatem contrarietatis, & quoad*

ſpe-

Digitized by Google

ſpecificationem, ſcilicèt poteſt liberè eligere vnum, & huic ſpeciei oppoſitum etiam acceptare. Præterea habet *libertatem contradictionis*, & *quo ad exercitium*, ſeu poteſt elicere actum volitionis, vel omittere eumdem, ac ſuſpendere actum ſuum, ita vt nec dicat in corde ſuo *volo*, nec *nolo*, ſed *non volo*. Nam *volo* eſt poſitiua inclinatio in obiectum. *Nolo* eſt poſitiua alienatio ab obiecto. *Non volo*, videtur ſonare negationem vtriuſque poſitiui actus voluntatis.

II. Intellectus pari modo procedere videtur, vel enim aſſentitur propoſito obiecto, & dicitur *affirmatio* mentalis; vel diſſentit, & dicitur *negatio*, quod enim eſt *proſecutio*, vel *fuga* in voluntate, eſt *affirmatio*, & *negatio* in Intellectu [vt dicit Ariſtoteles] vel nec affirmat, nec negat, ſed ſuſpendit aſſenſum, ac diſſenſum, & remanet in æquilibrio, ac ſtatu verè dubio, & hoc tunc contingere conſueuit, cum nulla adeſt ratio, quæ ipſum moueat, & dicitur *Dubium negatiuum*, vel cum pares, ac æquales ſunt Rationes, quæ vtrinque mouent: vndè cum in contraria ſimul mouere nequeant, & motiua ſint paria, ipſe immotus remanet, & dicitur *Dubium Poſitiuum*, quia pro vtraque parte ponuntur Rationes, quæ cum ſint æqui ponderis imprudentèr alterutri parti aſſentiretur Intellectus. Nam *Inſipientis eſt in re dubia affirmare* [inquit Lactantius Firmianus]. Eodem penè modo lingua, quæ mentis imaginem exprimit, ſe habet; Nam vel diſertis verbis conſentit, ac affirmat; vel apertè diſſentit, ac negat; vel intèr vtrumque ſe tenet, non affirmando, nec negando; ſed tacet, ac ſilet, ſuſpenditque reſponſionem (vti declarat Imperator dicens:) *qui tacet, non vtique fatetur; ſed tamèn verum eſt, eum non negare*: hanc repetit & Summus Pontifex dicens. *Is qui tacet, non fatetur; ſed nec vtique negare videtur*: notandum nihilominùs eſt, quod.

Ariſtot. Ethic. l. 6. c. 2.

Lact. lib. de opificio Dei c. 16.

L. Qui tacet ff. de reg. iur. C. Is qui. de Reg. Iur. 6.

III. Voluntas aliquandò *apertè* aliquid vult, vel non-vult: aliquando verò vult, aut non vult *Interpretatiuè*. Cum ſcilicèt, ei proponitur aliquid valdè bonum, quod & ſi apertè non proſequatur, cenſetur tamèn illud velle, quàmuis ſuum minimè explicet votum; ſed ſeſe merè negatiuè abſque poſitiuo aliquo actu ſe habeat, & hoc pacto in Fauorabilibus dicitur: *Qui tacet, conſentire videtur*. Nam voluntas ſempèr appetit bonum, vel verum, vel ſaltem ei apparens, & ex hoc generali boni amore, cenſetur etiam velle bonum particulare ſibi. Vlteriùs cum homo *ex Officio*, vt occurrat malis, loqui teneatur; ſi ſileat conſentire magis cenſetur; Vndè conquerebatur Deus apud Prophetam, quod Sacerdotes eſſent *Canes muti*: Deniquè ſi quis à Iudice legitimè interrogatus de aliquo, taceat, fateri videtur, quià loqui iure compellitur.

Car. Theolog. fund. n. 973.

IV. Doctiſſimus Caramuel huic Regulæ hanc apendicem apponit.

nit. *Politicum Adagium eſt : Nulla reſponſio eſt etiàm reſponſio : Multum reſpondet, qui nihil reſpondet.*

CAP. LVI.

De Sapientis Sententia.

Patere legem, quam tu ipſe tuleris.

C. cum omnes. de Cõſtit.

I. DVplici modo de rebus iudicium quis ferre poteſt, vel ex ſcientiæ principijs, vel ex experientiæ ſenſu; vt docet D. Thomas. Primus iudicij modus ſpeculatiuus, ac ſcientificus eſt. Practicus, & experimentalis: puta quis audiuit cuiuſdam mellis maiorem eſſe dulcedinem, & hanc ſpeculatiuè concipit; at ſi eiuſmodi mellis ei offeratur dulcedo, vt eam ore ſuo ſentiat, non ex alterius dicto, ac ſpeculatiuè, ſed practicè ſentit, ac iudicat. Sentimus enim, quæ ſenſibus experimur; eodem ferè pacto differendum de Intellectu. Aliqua ſpeculatiuè tantùm intelligit; Alia quodammodò ſentit, & tangit, ac earum experitur notitiam. Ad hanc rem ſcribebat D. Paulus. *Hoc ſentite in vobis*, & alibi: *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, & huiuſmodi experimentalis in Intellectu cognitio, vel perſuaſio, *ſententia dici ſolet*, *Vndè benè quidam Sapiens dixit* (inquit S. Gregorius Magnus) *mihi autèm dedit Deus, hæc dicere* ex ſententia. *Sententia quippè à ſenſu vocata eſt, & recta, quæ intelligit, non ex ſola ſcientia, ſed etiàm ex ſententia dicere appetit, qui nequaquàm tantummodò ſciendo dicere; ſed ſentiendo deſiderat, experiri, quod dicit.*

D. Tho. 2. 2. q. 45. ar. 2. & q. 51. ar. 3. ad 1.

S. Gregor. Mor. l. 23. c. 10.

Sap. c. 7.

II. Huic Summi Pontificis doctrinæ ſubſcribit ſic S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus. *Rectè* ex ſententia *dicit, qui veram ſapientiam guſtu interni ſaporis ſentit. A ſentiendo enim* ſententia *dicitur. Ac per hoc arrogantes, qui ſine humilitate dicunt, de ſola ſcientia dicunt, non de ſententia. Ille enim verè ſapit, qui rectè ſecundùm Deum ſapit.* Definit autèm quid ſit *ſententia* Ariſtoteles ſic: *Ea quæ vocatur* ſententia, *qua benè ſentientes, & habere ſententiam quoſdam dicimus*. Eſt æqui, & boni viri Iudicium rectum: *Sententia circà agenda verſatur, at hæc vltima ſunt & particularia*: Omne enim quod fit, particulare, ſeu ſingulare, ac indiuiduale eſt: A parte enim rei non datur vniuerſale, & ſicut *Primorum ſic & Vltimorum terminorum Intellectus eſt, non Ratio*. Sunt enim Termini immobiles *à quo*, & *ad quem* fit mentis dicurſus. A primis Principijs

S. Iſidor. ſent. l. 2. c. 29.

Ariſt. eth. Nicom. l. 6. c. 11.

cipijs incipit Ratiocinatio, & ad Indiuiduũ perducitur, & ſiſtit, quia Vltima ſunt. Hæc eadem ſententia videtur eſſe, quæ à Scholaſticis cum D.Thoma *Conſcientia* nuncupatur, quæ à D.Antonino *Cordis ſententia* deſcribitur: nimirùm quod *Cor, ſeu Intellectus noſter hic & nunc ſentit* eſſe bonum, vel malum, & ab Apoſtolo *Fides* appellatur; quià credendo rationibus illud eſſe rectum, vel prauum perſuadetur, ac ità ſentit: ab alijs *Dictamen* vocatur: *Conſcientia importat ordinem ſcientiæ ad aliquid: Nam Conſcientia dicitur cum alio ſcientia: Applicatio autèm ſcientiæ ad aliquid fit per aliquem actum, qui dictat agenda* [docet D.Thomas ſuprà]: Sententia verò eſt recta ſi rationi concordet; iniqua ſi diſſonet: ſicut bona eſt Conſcientia, quæ Rationi congruit; mala ſi diſſentiat; vt autèm huiuſmodi magis nobis innoteſcat doctrina repetimus, quòd.

D.Tho.1.p. q.79.ar.13. S P.Rom. c.14.

III. Proprium eſt Rationalis, nulli aſſentiri propoſitioni, niſi præuia Ratione moueatur. *Ratio* enim, ſeu *motiuum* eſt veluti lumen, quod mouet intellectum ad aſſentiendum propoſitæ veritati. Si Ratio veluti meridiana lux illuceſcat, vt ſunt Prima *Principia*, ac *Propoſitiones per ſe notæ*; Intellectus maximoperè ab illis mouetur: Sin verò Rationes veluti veſpertina lux ſuboſcuræ ſint, parùm proptèr illas aſſentitur propoſitioni: ſicuti Corporis oculis contingit: *Nam ſicuti ſenſitiuum ad ſenſibilia, ſic intellectum ad intelligibilia oportet ſe habere* (inquit Ariſtoteles) ſi claro lumine oculus illuſtretur, clarè obiectum contuetur, ac perſpicit an ſit Rectum, vel obliquum: ſi dubia luce eidem objciatur idem obiectum, certò non diſcernit quale ſit; ſi verò ei appareat ſemèl Rectum; cum eodem lumine, ac circumſtantijs, idem illi videbitur rectum. Nam *Idem eodem modo ſe habens, idem natum eſt producere*. Idem oculus; Idem lumen; Idem obiectum, eamdem pariunt viſionem; quæ non mutatur, niſi ſaltèm lumen mutetur. Eodem penè pacto animæ rationalis oculus, eodem lumine, cæteriſque comitantibus circumſtantijs, idem de obiecto iudicat. Nam idem motiuum, idem intellectus, idem obiectum, cæteriſque poſitis conditionibus, idem pariunt iudicium, & hoc non mutatur, niſi aliquod horum mutetur, ex ſuperiori Ariſtotelis Principio, ſcilicèt: *Idem eodem modo ſe habens, idem natum eſt producere*.

Ariſt l.3. de Anima c.1.Tex. 3.

IV. Huic ſubſcribit Doctrinæ Sapiens ille Moralium Magiſter Seneca: *Maximum hoc eſt officium ſapientiæ, & iudicium, vt verbis opera concordent, vt & ipſe vbiquè par* (nota) *ſibi, idemq; ſit, quis hoc preſtabit? Pauci, aliqui tamèn. Vnam ſemèl, ad quam viuas Regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exæqua*; & alibi ſic repetit. *Ille promiſſum ſuum impleuit, qui & cum videas, idem eſt. Videbimus qualis ſit, quantus ſit, Vnus ſit*. Verum huius doctrinæ no-

Sen.l.1.ep.20. Sen ep.75.

nobilior Magiſter eſt Eccleſiaſticus monens. *Eſto firmus in via Domini, & in Veritate ſenſus tui, & ſcientia*, è contrà vero (inquit Sapientiſſimus Salomon) *Cor ſtultorum diſſimile erit*; nec ſtultus *idem eſt ipſe ſibi*; ſed Cor eius phantaſias patitur, vt parturientis iuxtà Eccleſiaſticum: ac veluti Protheus in diuerſas ſe ſe transformat facies: *Stultus* enim, *vt Luna mutatur*; Non ſtultus; ſed ſapientiſſimus fuit Plato, qui ſic profitetur. *Rationes* (ait) *illas, quibus ſuperioribus temporibus vſus ſum, nec nunc reÿcere poſſum; ſed ſimiles mihi fermè apparent, eaſdemque in præſentia, quas & prius veneror, atque profiteor; adeo vt niſi nunc meliores afferre poſſimus, planè ſcire debeas, me tibi non conceſſurum*, nam *ſtultitia eſt* (ait Seneca) *cui nihil conſtat, nihil diù placet*. De huiuſmodi hominibus ſic profitetur ipſemet Deus *os bilingue deteſtor, in illis* (exponit S.Hieronymus) *qui in bonis. quæ loquuntur, ſtabile quidpiam non habent; ſed iuxtà auditorum libitum.* Eccl.c.5. Pro. c.15. Plat.l.18. Crito. Prou.8.?. Sen. ep 52.

V. Sapientiæ veræ diſcipulus fuit, nobiſque exemplo ſuo fit Magiſter Rex Dauid, qui interpellatus per parabolam à Natham Propheta contrà raptorem ouis; Dauid ſententiam hanc protulit: *Viuit Dominus: quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hæc*; Cumque Propheta clarè addidiſſet: *Tu es ille vir*; Non mutauit ſententiam; ſed hanc ſibi irrogandam ſenſit, dicens. *Peccaui Domino*, inſipientiæ verò exemplum oſtendit ille ſeruus, qui cum deberet Domino decem millia talenta, procidit coram eo, dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. Opinatus eſt enim Miſericordiæ conſentaneum ſibi à Domino ſolutionis diem differri: verum impetrata à Domino acceptilatione cum occurreret ei conſeruus debitor ſibi centum Denariorum, & ſimilitèr eum rogaret dicens. *Patientiam habe in me omnia reddam tibi*, mutauit opinionem, ac conſeruum ſuum tenens, ſuffocabat eum, ac miſit in carcerem. Cum eadem benignitatis ratio, qua ipſe Dominum ſtuduit perſuadere, & ipſum perſuaderi oporteret. Reg.2.c.12 S.Mat.c.18

VI. *Quidam* (ait Seneca) *ſe Domi contrahunt, dilatant foris, & extendunt. Vitium eſt hæc diuerſitas, & ſignum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem ſuum. Quid eſt ſapientia? Sempèr idem velle, atque idem nolle. Non potuit cuiquam ſempèr idem placere, niſi rectum. Neſciunt ergò homines quid velint, niſi illo momento, quo volunt. In totum nulli velle, aut nolle decretum eſt. Variatur quotidiè iudicium, & in contrarium vertitur. Itaque plériſque agitur vita per luſum.* Huiuſmodi fuit ille, de quo cecinit Poeta. *Fixit leges pretio, atque refixit.* Ad auri auram eius variabatur ſententia. Huius variationis cenſor eſt Sanctus Auguſtinus. *Turpe eſt mutare ſententiam: ſed veram, & rectam. Nam ſtul-* Sen.ep.20. Virg.Aen. l.6. S.Ag. tr.2. ep.210. l.3. c.3.contra Creſc.

tam, & noxiam, & laudabile, & ſalubre eſt: ſicut (repetit idem Sanctus) *laudabile eſt è vera ſententia non moueri; ità culpabile perſiſtere in falſa.*

VII. Quamplures ſiquidèm ſunt ſicut arundines vento agitatæ, qui circumferuntur omni vento doctrinæ; imò potiùs omni aura tenui cuiuſuis incidentis cogitationis, ſeu veriùs verſatilis affectionis, circumaguntur; Vndè modò hanc tenent ſententiam; mox aliam proſequuntur: vti dolebat D. Petrus apud S. Clementem Papam, ac Martyrem (vt alibi diximus). *Fides rerum* (ait) *cauſarumque ſententiæ pro ingenijs magis defendentium ponderantur: Vnde & eadem cauſa nunc iuſta, nunc iniuſta putatur*; quod ſcilicèt paulò antè iuſtum iudicabatur, mox iniquum cenſetur. Cum D. Petro conſentit idem S. Clemens eius Succeſſor dicens: *Intelligebam, quod ſententiæ, ac definitiones rerum, non pro natura, ac veritate cauſarum; ſed pro ingenijs defendentium falſæ imaginarentur, aut veræ*: vti fidem facit ſerui factum ſuperius, & hodiè innumera patent eiuſdem generis exempla; quibus propterea indicit Salomon: quod *ſtatera doloſa abominatio eſt apud Dominum; pondus æquum, voluntas eius*; & iterùm; *Pondus, & Pondus; menſura, & menſura; vtrumque abominabile eſt apud Deum*. Siquidem; *Abominatio eſt apud Dominum pondus, & pondus; ſtatera doloſa non eſt bona*. Vndè per Michæam ait Dominus. *Numquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera doloſa?* Ergò *non afferamus* (inquit S. Auguſtinus) *ſtateras doloſas, vbi appendamus, quod volumus; & quomodò volumus, pro arbitrio noſtro, dicens, hoc graue, hoc leue eſt* (nota); *Sed afferamus diuinam ſtateram de Scripturis Sanctis tamquàm de theſauris dominicis, & in illa quid ſit grauiùs, appendamus: imò non appendamus; ſed à Domino appenſa, recognoſcamus* (nota).

S. P. Epheſ. c. 4.
S. Clement. Recog. l. 1. circa princ.
S. Clem. ib.
Prou. c. 11
Prou. c. 20.
Mich. c. 6.
S. Auguſt. apud Grat. cau. 24. q. 1 c. non afferamus.

VIII. Præcedentia declarant, ac confirmant, quàm iuſtè Innocentius Tertius ſuperiùs Catonis dictum canonizauerit, cui iterùm auctoritatem impertitur, dicens: *Legem imponere non debent, quàm ipſi negligunt obſeruare*. Eſt enim hoc præceptum naturali lumine notum: Vndè Vulpianus, quem approbat Imperator ſic, & ipſe edicit: *Qui Magiſtratum, poteſtatemue habebit, ſi quid in aliquem noui Iuris ſtatuerit; ipſe quandòque aduerſario poſtulante, eodem iure vti debet, ſcilicèt, vt quod ipſe quis in alterius perſona æquum eſſe credidiſſet, id in ipſius quoquè perſona valere patiatur. Hoc edictum ſummam habet æquitatem, & ſine cuiuſque indignatione iuſta. Quis enim aſpernabitur, idem ius ſibi dici, quod ipſe alijs dixit, vel dici effecit?* Hæc omnia repetit, & ſancit idem Summus Pontifex ſic: *Igitùr quod quiſque Iuris, in alterum ſtatuit, ipſe debet*

Innoc. III. Pro illorū de prebēd.
Digeſt. l. 2 tit. 2. l. 1.
Innoc. III. cum omnes de conſt. t.

Digitized by Google

debet vti eo: & Sapientis dicit auctoritas; Patere legem, quam tu ipſe tuleris. *Ponderet* ergò (ait S.Calixtus Primus apud Gratianum) *vnuſquiſque ſermones ſuos, & quod ſibi loqui non vult, alteri non loquatur. Vndè benè Sacra ait Scriptura: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias*; & Eccleſiaſticus monet; *Intellige, quæ ſunt proximi tui ex te ipſo*: Hinc S.Iſidorus apud Gratianum ſic etiàm Principes monet. *Iuſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis. Tunc etiàm iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet; quandò & ipſe illis reuerentiam præbet: Principes legibus teneri ſuis, nec in ſe conuenit poſſe damnare iura, quæ in ſubiectis conſtituunt. Iuſta eſt enim vocis eorum auctoritas, ſi quod populis prohibent, ſibi licere non patiantur*: Sic S.Hieronymus fauet: *Quotieſcumquè talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero ſeruari cupis, æquitatis viam tenes: quotiès verò talis ergà alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter iuſtitiæ dereliquiſti.* Cui idcircò ſe ſubſcribit Iuſtinianus ſiquidem: *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: A Deo de auctoritate iuris noſtrà pendet auctoritas, & reuerà maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum, & oraculo præſentis edicti, quod nobis licere non patimur, illis indicamus.* Oraculum eſt iſtud auro, cedroque dignum. Grat. diſt. 50. c. 14. andaret. Eccl. c. 31. Grat. diſt. 9. c. Iuſtum. S. Hieron. ep. 20. l. 2. ad Celant. L. Digna C. de legib.

IX. Obligatio verò hæc Principis ad proprias obſeruandas leges, non eſt ſecundùm *vim coactiuam* (vti loquuntur Theologi cum D. Thoma) quià Princeps, cùm Legislator ſit, non habet ſuperiorem, qui eum ad legis obtemperationem cogat in Foro Fori, formidine pænæ, nec à ſe ipſo cogi nequit; quià vis ab extrinſeco venit: Sed ſecundùm *Vim directiuam, quà quis (iuxtà ſuperiùs allegata)* ex Rationis dictamine in Foro conſcientiæ ſe dirigere debet, ac regere ſuos actus: *Vndè quantùm ad Dei iudicium* (inquit S. Thomas) *Princeps non eſt ſolutus à lege, quantùm ad vim directiuam eius: ſed debet voluntarius, non coactus legem implere*: Nam ſi bona eſt alijs, quarè non ſibi? Si cæteri eam obſeruare tenentur pro bono publico: quarè & ipſe publicam vtilitatem ſuo exemplo nedum ſcriptis, non promouet? Principem enim decet, ſicut dicit Plutarcus. *Ore loqui docto, & virtutem oſtendere factis. Valdè autem magnum periculum, ne cui licet facere, quod vult, is velit quod non debet.* D. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 5. ad 3. Plut. to. 2. Præcepta gerendæ Reipub. Idem ad Principem indoctum.

CAP.

CAP. LVII.

De libera Opinionum electione.

C. quoniã omne. De Præſcriptio

Omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt.

I. SApientis eſt mutare conſilium (ait Recentior). Ergò licet mutare ſententiam contrà ſuperiùs diſputata. Sapientiſſima ſiquidèm eſt eiuſmodi reſponſio, ſi tamèn ſapientèr intelligatur. Sapientis eſt mutare conſilium, cùm conſilij mutetur ratio. *Conſilia enim* (ſcripſit Seneca) *rebus aptantur, Res noſtræ feruntur: imò voluuntur*. Ergò *conſilium ſub die naſci debet*: Cumque *duodecim ſint horæ diei*, frequens quoquè poteſt mutari conſilij ratio; & indè naſci conſilij mutatio: *quia* (inquit Summus Pontifex Ioannes Vigeſimus Secundus) *in futurorum euentibus ſic humani fallitur incertitudo iudicij, vt quod coniectura probabili ex nunc interdùm attenta conſideratio vtile pollicetur, reperiri damnoſum quandòque contingat. Nonnumquàm quod conſultè ſtatuitur, ex ſaniori inſpectione iudicij, conſultiùs reuocatur*. Eadem repetit: *quia nonnumquàm, quod coniectura profuturum credidit, ſubſequens experientia nociuum oſtendit: non debet reprahenſibile iudicari, ſi Canonum conditor, canones à ſe, vel ſuis prædeceſſoribus editos, vel aliqua in eiſdem contenta Canonibus reuocare, modificare, vel ſuſpendere ſtudeat, ſi ea abeſſe potiùs viderit, quàm prodeſſe*. Sin autèm eadem ſit ratio, non eſt Sapientis, ſed inſipientis, ac inconſtantis eſt conſilium mutare. Subridet hiſce *dictis* Recentior Caſiſta, & antiquorum deridere ſimplicitatem videtur, ſic differendo.

Sen. l. 1. Ep. 71.

Ioan. extrauag. De Terneam. C. quia in fut.

Ioan. extrauag. De verb. ſign. c. 2. quia.

II. Myſterium magnum vos neſcitis; ab hinc paucis annis noua Sapientia cælitùs prodiuit, quæ nos docet mutare ſententiam, non ad vnam Rationis mutationem, ſed ad libitum noſtrum; adeò vt libera ſit nobis opinionum electio, & pro voluntatis placito, placere queat modò hæc, modò contraria opinio; ſitque in libera voluntatis noſtræ manu hanc, vel illam nobis formare conſcientiam; verè *trahitur de occultis ſapientia*: vt dixit quondam Iob; quià tot ſæculis abſcondita fuit ab oculis omnium viuentium, nobiſque ſolis datum eſt noſſe myſteria Regni Dei, cæteris autèm in parabolis diſcere licet: Cùm enim omnia ſint incerta (præter Fidei articulos) & certa, conſulto etiàm incerta reddimus: hinc fit, vt non teneamur

Digitized by Google

mur vnam ſectari legis faciem: ſed cùm in obſcuro ſit, excuſamur, ſi eam minimè agnoſcimus, nèc ſequamur; & vlteriùs nobis eam in obſcuro poſitam concipere licet, ad cuius ingenium, & dummodò aliquo honeſtatis colore, ſeu veriſimilitudinis ſpecie ducti eam interpretamur; prudentèr operamur; cùm autèm in obſcuro ſit quiſque, prout ſibi res apparet, eam dicere valet; apparet autèm prout quiſque afficitur, ac vult; indè ſequitur, & multa eſſe probabilia, & eadem ad libitum variari; & nihilominùs nos ſempèr perſeuerare in via virtutis; ſicut Sol nunquàm ab Eclyptica declinat, etſi per Zodiacum vagetur, ac diuerſa percurrat ſigna: è contrà huius ignarus nouæ Sapientiæ, ſicut Luna Zodiacum perluſtrat: ſed ab Eclyptica declinat rectitudinis; ſeu peccat, quià hanc ignorat: vti dicere videtur Sapiens: *Homo Sanctus in ſapientia manet ſicut Sol. Nam Stultus ſicut Luna mutatur:* Vnde patet, quod ad Theologi Moderni Conſilium hoc priuilegio gaudemus, vt poſſimus licitè quodcumque volumus. Nam tot habet ipſe in Apotheca ſuæ Theologiæ colores Probabilitatis, vt quodcumque opus coloret honeſto fuco, & proindè adimpleatur: *Quod libet, licet.* Qui verò hac fucandi arte caret, tanti Priuilegij eſt expers. En quam fortunatum Myſterium, & felicia tempora noſtra! Specioſus ſanè, ac blandus ſermo eſt iſte, qui tamen, vt cancer ſerpit, cui propterea, ſic reſpondendum, cenſeo. *Eccl.c.27.*

III. Sapientia hæc (pace veſtra, liceat formidinem meam ſic aperire) Timeo ne ſit mulier illa, in cuius fronte nomen ſcriptum *Myſterium* proſpiciebatur. Mihi enim videtur vobis reſpondere Diuus Auguſtinus. Non eſt noua hæc ſapientia: Sed Priſca Academicorum inſipientia, qui omnia eſſe incerta aſſerebant; hinc *illi inducto quodam Probabili, quod etiàm veriſimile nominabant, nullo modo ceſſare Sapientem ab officijs aſſerebant; cùm haberet quid ſequeretur;* ſatis ſuperque eſſent hæc D. Auguſtini verba pluribus ab eodem confutata: Nihilominùs, vt Myſterium iſtud Nouæ Theologiæ enucleetur, antiqua etiàm Principis Philoſophorum Ariſtotelis doctrina eſt commemoranda; qui hæc docet: *Imaginari* [quod eſt Actus potentiæ corporeæ] eſt in poteſtate noſtræ voluntatis, quæ eſt potentia ſpiritualis: *Opinari autèm nō eſt in nobis: neceſſe enim eſt, aut verum dicere, aut falſum.* Etenim *Intellectus eſt animæ oculus* (ait S. Bernardus) vndè dicebat etiàm D. Paulus; *videmus nunc per ſpeculum*; & S. Ioannes deindè ſubdit, *videbimus eum ſicut eſt*, & idcircò etiàm *cognitio intuitiua* Dei in cælis *viſio* dictitatur.

Apoc.c.17
S. Aug.to.1 contra Academ.l.3.c 5.
Ariſt. de Anim. l.2. c.1 Tex. 154.
S. Be rn. medit. c.

IV. Oculus autem ſi lumen affulgeat, obiectumque coloratum ſit præſens, non ſubijcitur voluntati, itaut oculus impediatur videre, quale eſt [niſi fortè voluntas imperet, vt claudatur] ſed pro menſura

lu-

Digitized by Google

luminis intuetur; ſi meridiana emicet Claritas, clarè perſpicit colorem, ſi veſpertina lux arrideat, ſuboſcurè quoque diſcernit, ſic Intellectus, ſi proponatur veritas cum lumine claro demonſtratiuarum rationum, euidentèr veritatem cognoſcit; ſi verò veritas eidem proponatur, cum ſuboſcuro lumine Rationum probabilium tantùm, obſcurè etiàm cognoſcit, & ſolum probabilitèr; ſempèr tamèn videt, & pro luminis quantitate obiectum agnoſcit, vel vt euidentèr verùm, vel vt falſum, vel vt probabilitèr tale, nec voluntas poteſt hunc actum impedire, ſicut nec oculi viſum (vt ſuprà) niſi Intellectus diſtrahatur, ac auertatur, ne cogitet illud; & quodammodo mentis oculus claudatur: vndè patet, quòd opinari non eſt in nobis, quia Intellectus cum ſit potentia naturalis ad ſuum determinatur obiectum, & cum ſit ſpiritualis, non poteſt à voluntate ad libitum agi, ac verſari: Sed *opinionem* (inquit Ariſtoteles) *ſequitur fides. Non enim contingit opinantem ijs, quæ videntur, non credere: Amplius, omnem opinionem ſequitur fides. Fidem perſuaſum eſſe, perſuaſionem Ratio*; quaſi dicat Philoſophus ſi apparent Intellectui Rationes probabiles, eis tamquam teſtibus veritatis credit, fidemque adhibet, & credendo perſuadetur: puta omnis Mater diligit filium ſuum, hæc eſt mater. Ergò hæc diligit filium ſuum. Nam apparendo ei probabilis maior propoſitio, credit, & indè perſuadetur ei concluſio.

Ariſt. de Anim. l.2. c.2.

V. Hoc videtur etiam ex definitione ſyllogiſmi ab eodem Ariſtotele tradita, confirmari. Definitur enim ſic, *ſyllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, alterum quid à poſitis, ex neceſſitate contingit, eo quòd hæc ſint.* Poſita enim fide, quàm Intellectus habet, præmiſſis Rationibus, ſeù perſuaſionibus, perſuaſio ſequitur de concluſione, quæ in moralibus, ac practicis eſt de opere, ſiuè actione facienda: Sic iterùm diſceptare liceat. Intellectus eſt tabula raſa, in qua nihil adhuc eſt depictum. Colores ſunt rerùm ſpecies, quas recipiendo, cum intelligit Intellectus, fit omnia in Imagine [vt docet idem Philoſophus] Rationes ſunt lumen. Voluntas eſt Pictor, quæ per manum Intellectus agentis colores coloribus apponit, ac diſponit: ſic autèm diſpoſitis vnius generis coloribus reſultat vna imago: alitèr verò diſpoſitis, alijs coloribus alia exprimitur effigies: eodem penè pacto quibuſdam poſitis præmiſſis, ac rationibus reſultat vna *veriſimilitudo* in opinione; diuerſo verò modò, ſi res ſe habeat, diuerſa quoque erit *ſimilitudo veri*. Pictor autem ſolo voluntatis imperio, niſi & colores apponantur, nequit Imaginem creare, nec poſitis talibus coloribus impedire nequit, quin eiuſmodi effigies appareat, ſic de pictura Intellectuali eſt philoſophandum. Fieri tamèn poteſt, vt intellectus reflectens ſuprà grauitatem Au-

Ariſt. l.1. Priorum. c.1.

Ariſt. de Anim. l.3. c.1.2. Tex.14.

Digitized by Google

ctorum contrariæ ſententiæ, videatur ei aliqua innotuiſſe illis Ratio, quam, vel non ediderunt, vel ipſe non aſſequitur, cui propterea hæc Ratio reflexa ex præſumptis rationibus grauium Doctorum, ità nihilominùs arrideat, vti eidem acquieſcat, & videat ad Rationis lumen in nube auctoritatis Sapientium. Caueat tamèn nè de illo ſcripſerit S.Hieronymus, *quæ tanta eſt leuitas animi, quæ tanta vanitas, relicta propria conſcientia, alienam opinionem ſequi, & quidèm fuſam, & ſimulatam.* S.Hieron. 2.l.2. Ad Celant.

VI. Voluntas diſpoticum imperium habet in exteriora membra: politicum verò in exteriores ſenſus, ac potentias corporales, tàm appetitus concupiſcibilis, quàm iraſcibilis; ſicuti etiàm in imaginationem; in intellectum verò, qui omninò eſt ſpiritualis tale imperium non videtur habere; ità vt ad voluntatis imperium intelligat hoc, vel illud; ſed ſolùm voluntas illum applicat ad exercitium, ſicut etiàm facit in oculo corporis; aliàs intellectus intelligit, ſi proponatur veritas; & proponantur Rationes, tamquàm lumina, vt veritatem videat; ſi huiuſmodi deſint, voluntas nihilominùs aget: Ergò opinari non eſt in voluntatis poteſtate.

VII. Hoc magis patebit, ſi attendatur, quod idem intellectus, vt Fidei Articulis aſſentiatur, debet quidèm captiuari in obſequium Chriſti voluntate: ſed voluntas hoc minimè præſtare valet, niſi Deus ſupernaturale donum infundat, & intellectui, vt captiuetur, & voluntati, vt eum captiuare queat. Ergò patet, quod ſecundùm naturæ ordinem non eſt libera voluntati opinionum electio: ſed intellectus pro menſura motiuorum ad obiecta mouetur, vt cùm nulla eſt motiua Ratio, vel vtrimque *pro*, & *contrà* eſt æqualis, non mouetur intellectus: velut is, qui non habet motorem; vel contrarius motor, & in viribus par, in contraria moueat, qui propterea non mouetur: ſic contingit intellectui ſi nulla eſt ratio, vel ratio eſt par pro vtraque parte non mouetur, & in hoc caſu eſt verè *dubius*, cùm in nullam propendeat partem. Eo magis hoc eſt verum, quo *ex intellectu generatur voluntas*: (vt inquit S.Auguſtinus) *Intelligere* enim *eſt prius velle*, & Intellectus eſt Dux, ac Regula voluntatis; non autèm voluntas Regula Intellectus: ità vt quod vult voluntas illud ſit verum, ac intelligendum; ſed quod intellectus agnoſcit, illud eſt amplectendum: fortaſsè dicet aliquis.

VIII. Intellectus pluribus imbutus opinionibus eiſdem vti poteſt ad beneplacitum voluntatis, verùm duplici pacto Intellectus poteſt eſſe pluribus diſciplinæ moralis opinionibus imbutus. 1. vel *ſpeculatiuè* in *Genere*, ſeù veluti in *abſtracto*. 2. vel *practicè* in *indiuiduo*, *hic*, & *nunc*. Primo modo pluribus, ſiquidèm, & contrarijs poteſt imbui ſententijs: quià tunc res ſiſtit in vniuerſali; & intelle-

ctus ibi eſt potiùs dicendus in diſpoſitione *dubitantis*, ideſt nulli aſſentientis, vel diſſentientis, quàm *opinantis*, ſeu in alterutram partem propendentis. Secundo verò modo res è contrà tota poſita eſt in *particulari*, ac *indiuiduo*, cùm ſcilicèt vrget occaſio aliquid vel faciendi, vel fugiendi, in hoc caſu pluribus affici opinionibus non contingit. *Opinio* enim (inquit S. Thomas cum cæteris Scholaſticis) *ſignificat actum Intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius*. Et Plato ſentit quod opinio eſt mentalis loquutio affirmans, vel negans aliquid de aliquo. Si ergò in vnam contradictoriam partem propendet, non poteſt ſimul, & ſemèl in alteram ferri, ſcilicèt concipiendo, ac determinando in corde ſuo *hoc factum eſt licitum*, & *hoc non eſt licitum*: vti ex ſe patere videtur.

S. Tho. 1. p. q. 79. ar. 5. ad 4. & 2. 2. q. 1. ar. 4.

IX. Quod magis liquet, ſi cum Ariſtotele animaduertamus, quod opinio in mente excitat paſſiones in corde: quemadmodùm, qui tragicum euentum ſub oculis habet; è contrà qui imaginatur, ſimilis eſt contemplanti idem factum in tabulis depictum. *Cùm opinamur* (inquit) *difficile aliquid, aut terribile, ſtatim compatimur, ſimilitèr autèm ſi res fuerit confidenda; ſecundùm imaginationem autèm ſimilitèr nos habemus, ſicut qui conſiderant in pictura difficilia, & confidenda*. Contraria autèm opinio contrarios excitat affectus: vt patet: At *impoſſibile* (inquit idem in eodem libro) *eſt ſimul ſecundùm contrarios motus moueri idem, quatenùs indiuiſibile* (cuiuſmodi eſt Intellectus) *& in indiuiſibili tempore; ſic enim dulce ſic mouet ſenſum, aut intellectum, amarum autèm contrario modo, & album alitèr*.

Ariſtot. de Anim. l. 2. c. 7. Tex. 154.

Ariſtot. Tex. 147.

X. Verùm ſe excuſat Recentior dicens, non eodem tempore Intellectus pluribus mouetur opinionibus; ſed diuersò; hoc eſt non ſimùl; ſed poſteà. Bona reſponſio; ad cuius clariorem intellectum quæro; cùm poſteà opinionem ſuam mutat intellectus, an ſuperueniant ei nouæ Rationes, vel priores ei magis clareſcant, an Rationes remaneant omninò ædem; nec in intellectu vlla ſit mutatio, ſed ſola ſit voluntas, quæ velit eum hoc modo affici opinione, quæ nec anteà, nec modò eum afficeret? Si nouæ illuceant Rationes, quæ momento, ac ſuo pondere eumdem inclinent, vel priores leuitèr perceptæ, nunc ei ad veri, ac recti cognitionem magis ſplendeſcant, nulla erit intèr nos controuerſia; iàm nobis in confeſſò eſt, quod ſic, Sapientis eſt mutare conſilium; cùm conſilij cauſa mutatur; ſin autèm nulla emergente noua ratione; nec clareſcente priore, ſed vno voluntatis placito Intellectus debet priorem mutare ſententiam, quia eidem indicitur: *Sic volo, ſic iubeo, ſtat pro Ratione voluntas*: vti Conſtantius quondam Imperator Arianus profeſſus eſt, & ipſe reſ-

Digitized by Google

reſpondens D.Euſebio Vercellenſi Epiſcopo : *Quod ego volo pro Ca-* *Baron. an.*
none ſit : hoc ſiquidèm irrationabile apparet, cum Rationem negli- *355.n. 25.*
gat ; quæ voluntatis eſt dux , ac Regula proxima rectè volendi ;
Quinimò ſic contrà conſcientiam operatur : Negant Moderni ;
quia voluntas adhuc ſequitur alteram Rationem Probabilem : Ve-
rùm hæc reſponſio, non ſuffragatur.

XI. Regula proxima humanarum actionum, quæ circà ſingularia
ſunt, *Conſcientia eſt* : vti cum D.Thoma cæteri profitentur Theo- *S.Tho.1.2.*
logi. Conſcientia autèm eſt Iudicium actuale practicum hìc, & nunc, *q.19.a.4.5*
aliquid velut amarum Fel eſſe reſpuendum, vel vt dulce mel eſſe ac-
cipiendum. Eſt enim Conſcientia ueluti animæ os, per quod ſcit
probare malum, & eligere bonum: hinc dici etiàm uidetur *ſententia*
(ut innuimus), quià ſentit, ſenſuque interiori experitur, quid ſit
bonum, quidue prauum ; & à D.Paulo dicitur *Fides* : quià credit
Rationibus probantibus aliquid licere, uel non licere, & ſimùl cre-
dit illud eſſe faciendum, uel fugiendum, cui in appetitu excitatur
conſentaneus affectus, uel timoris, uel confidentiæ: (uti cum Ari-
ſtotele dictum eſt ſuprà) ità ut *ex fide* agere, uel ex *ſententia*, ſit
iudicium practicum ſequi hìc, & nunc, aliquid eſſe præſtandum; eo
magis, quo affectus ipſum conſequens, in illud inclinat. Cùm ergò
intellectus præoccupatus ſit aliqua opinione, quæ ipſi hæret, eum-
que ità perſuadet, ut etiàm in illam afficiatur, non poteſt niſi ualdè
difficilitèr mutari, tàm ex parte intellectus, quàm ex parte affectus.
Nam homo paulominùs ab Angelis eſt conſtitutus. Angeli autèm
in ſuis ſunt inflexibiles, ac immobiles opinionibus (ut docet S.Tho- *D.Tho.1.*
mas) & ſanè, Vndè tot hæreſes in doctrina Fidei, totque in *p.q.63.ar.*
ſcholis ſectæ, ac controuerſiæ? niſi quià nemo ferè eſt, qui cedere *6.ad 3. &*
uelit alteri, & non innitatur proprio iudicio, & propriam opinio- *q.64. ar.2.*
nem æſtimet ueritatem cunctis colendam? Nam *ſicut conſueuimus*
(ait Ariſtoteles) *ità iudicamus dici debere*: quem iudicandi morem, *Ariſtot.*
ac mentis præiudicium adiuuat affectus [ut diximus] *qualis* enim *Metaph. l.*
vnuſquiſque eſt talitèr iudicat : repetit Ariſtoteles: & idem affe- *2.c.3.*
ctus eſt ueluti gluten, quo prudentia per obliuionem non amittitur:
(uti docet idem S.Thomas cum Philoſopho). Ergò ſemèl impreſſa D *Tho.2.2*
menti ſententia ægerrimè euaneſcit. Ergò eodem tempore contrarijs *q.47 ar.16.*
moueretur in contraria opinionibus. At Recentior dicet, quod prio-
ri ſuccedit altera, nec ambæ uigent eodem tempore: Verùm.

XII. Sententia ſemèl menti hærens, non eſt ſicuti puluis, quem
proijcit uentus à facie terræ : nec eam uoluntas ſolo nutu ex mente
delere poteſt ; ſicuti nec Pictor ſolo nutu nequit ex tabula abradere
colores; ſed neceſſaria eſt manus penicillo armata, quæ contrarios
colores apponendo, alios contegat, ac deleat ; Replicat Recentior ;

Digitized by Google

Voluntas applicat alteri opinioni Intellectum, imperatque illi aſſentiri, & ipſe illi aſſenſum præbet, & hinc ſententia mutatur; ſed contrà reſpondetur; quod aſſenſus intellectus in concluſionibus ex premiſſis oritur, non ex uno præciſè uoluntatis imperio. Eſt enim Intellectus ueluti oculus; Præmiſſæ, ſeu Rationes in præmiſſis ſunt lumē pro cuius menſura, ac modo, uel clarè, uel obſcurè oculus intuetur; nec uoluntas per ſe poteſt facere clarum, quod eſt obſcurum; Ergò ſi altera opinio adeò tenue lumen habeat, ut intellectus eam non receperit: undè modò tàm elucet, ut eam ſibi eligat ad currendam Æternitatis uiam? Fortaſsè prioris (dices) opinionis Rationes magis ex uehemēti intellectus applicatione, ad imperiū uolūtatis eluceſcūt & imprimūtur intellectui, & radicātur. Cōcedo poſſe fieri, & quando fiet iàm erit aliqua mutatio in intellectu, ſeù magis Rationū elucidatio, & ſic nō erit per ſe merè libera opinionis electio. Sed libera cauſalitèr, ſeù libera applicatio Intellectus ad Rationes examinandas, ex quibus deindè alterius opinionis electio ſuboritur: ſicuti libera eſt apertio oculi; ſed oculus apertus pro luminis mēſura neceſſariò videt: eſt mutatio (ait) in voluntate, quæ prius hanc nolebat, modò eligit; cui reſpondetur, quod mutatio voluntatis non eſt mutatio Intellectus: ſunt enim duæ diſtinctæ potentiæ, nec voluntas poteſt mutare Intellectum, niſi modis ſuperiùs indicatis. Si ergò nulla eſt mutatio in Intellectu, quomodò mutat ſententiam? Sin autem non mutat ſententiam, quo pacto dicitur opinio variari? Niſi fortè dicere vult Recentior, quod voluntas ſit Præſtigiatrix, quæ Intellectum deludat, vt videatur ei videre, quod minimè videt, vel affirmare malit aliquis, quod Probabilitas modernorum ſit Manna Hebræorum, *deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur* (inquit Sapiens): ſic huiuſmodi Probabilitas ad vnam cuiuſque voluntatem ſapiat miraculosè Intellectui, ac placeat. *Sap. c.16.*

XIII. Superiora ſic perſtringuntur. Sapientis eſt mutare conſilium: nimirùm cum mutandi conſilij emergit Ratio: Nihilominùs prior, quæ menti inſedit; difficilitèr mutatur ſententia: ſi verò nulla noua ratio appareat, ſola voluntatis electio præciſè non mutat opinionem, nec Intellectum imbuit, vt hoc ſentiat, quod voluntas optat. Intellectus enim ſententia ex Rationibus procedit, non volitionibus; ſi autem contingat, quod voluntas menti intrudat contrariam opinionem, hæc ab Intellectu non acceptabitur, nec pacificè illi dominabitur, ſed renuet illi obſequi ex corde, & renitetur. *Nemo* enim *poteſt duobus Dominis ſeruire*. Quamobrèm cum intus reclamet Intellectus, ſe non acquieſcere; ſed vim pati, quicquid hoc modo fiet, ſententiæ Intellectus repugnabit, & conſequentèr erit
S. P. R. m. c. 14. peccatum, vti ex hiſce D. Pauli verbis ſatis patebit, *qui diſcernit, ſi*

man-

manducauerit (ſcilicèt commune) *damnatus eſt, quia non ex Fide. Omne autem, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt. Ergò ex Fide, ſeù ex ſententia*, & practico iudicio, non ex ſcientia, & ſpeculatione viuendum eſt, & conformari debent noſtræ actiones ei, quod ſincerè Anima noſtra ſentit. Non vero illi, quod voluntas vult ab illa ſentiri; veram mentis ſententiam, non fictitiam ſectandam aſſerimus: quod ipſa ex ſe, non ex alterius ſuggeſtione dicit, credendum eſt; Non ſicut, qui à Dæmone obſidetur, qui proprio ore alienos ſenſus profert, veluti etiam Pſitacus. Nam (inquit cum Salomone Sanctus Gregorius Papa). *Cogitationes Iuſtorum iudicia. Iuſti quippè ab omni ſtrepitu ſæculari ad corda ſua redeunt, ibique aſcendunt tribunal mentis, atque ante oculos ſe, & proximum ſtatuunt, & deducunt ad medium regulam teſtamenti, qua dicitur:* Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. *Transferunt in ſe perſonam Proximi, & ſollicitè attendunt, quid ſibi, ſi ità eſſent, fieri, vel non fieri iuſtè voluiſſent: ſicque diſtricto iure, atque iudicio cauſam ſuam, & proximi iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examinant. Benè ergò dicitur*: Cogitationes Iuſtorum iudicia: *quia ipſe eorum intimus motus cordis, quaſi quædam libra eſt iudicıariæ poteſtatis:* Vndè Eccleſiaſticus monet. *In omni opere tuo crede ex Fide Animæ tuæ; hoc eſt conſeruatio mandatorum.* Nam qui *Fidem*, ſeù conſcientiam ac dictamen ſincerè ſequitur, Dei mandata obſeruat, quæ ab ipſa conſcientia eidem proponuntur; quod ſi inculpatè erraret conſcientia, non peccaret uoluntas eam ſectando, & ſic ſequeretur ſempèr conſeruatio mandatorum; ſi non materialitèr; ſaltem formalitèr in ſua cogitatione, & exiſtimatione.

S.Gregor. Mor.l.19. c.13. Prou. c.12. Eccl.c.32.

CAP. LVIII.

De Errore Communi.

Communis Error facit Ius.

1 S*Icut leges* (inquit Lucius Papa Tertius) *non dedignantur Sacros Canones imitari. Ita Sacrorum Statuta Canonum Principum conſtitutionibus adiuuantur*; hinc ex ſuperiori lege Barbarius, tum Canoniſtæ, tum Theologi præſens Axioma deſumpſerunt. Cum igitur exilit Recentior) canonizatum ſit Axioma hoc, quare tot ſcrupulis obſidemur à te, & conijcire nos contendis in timoris an-

Ex lege Barbarius ff. de officio Prætoris. C.1. Intelleximus. de noui oper. nunc.

anguſtias, cum opiniones noſtræ, & ſi forent errores, cum ſint communes, iam faciant Ius? Iure enim agit, qui noſtris opinionibus agitur: alioquin tam decantatum dogma omnium Legiſtarum, Canoniſtarum, ac Theologorum dedecori, reprobandum foret: quæ aſſertio ſimilis uideretur Lutheri arrogantiæ, qui ſe unum Veritatis lumine aflatum, uniuerſos autem errare, cum Vniuerſali Eccleſia iactabat: quamobrem ego pro ſincera huius rei intelligen tia; ſic diſſerendum cenſeo. *Ignorantia* eſt non cognoſcere, quod extat uel in Iure, uel in facto. *Error* autem eſt cognoſcere, quod non eſt uel in facto, uel in Iure. Audiamus autem inſignem Magiſtrum Diuum

Grat. diſt. 38. c. 11. Auguſtinum apud Gratianum: Cum *non niſi* (ait) *rerum ignorantia poſſit errari, non tamèn eſt conſequens, ut continuò erret, quiſquis aliquid neſcit: ſed quiſquis ſe æſtimat ſcire, quod neſcit. Pro vero quippe approbat falſum, quod eſt erroris proprium. Verumtamèn in qua re quiſque erret, intereſt plurimum.* Ergò ex Diuo Auguſtino patet, quod.

C. Quāuis diſt. 38. II. *Errare* eſt *verum putare falſum, falſum putare verum*, & dicere malum bonum, bonum malum, tenebras lucem, lucem tenebras. Rerum autem, in quibus erratur, duplex eſt genus. Aliquæ lumine naturæ, ipſaque ratione naturali, rerum Magiſtra, uel lumine Fidei innoteſcunt. Aliàs docetur homo ab humano Magiſtro. Priora ſunt ueluti *Ius naturale*, quod natura docet. Poſteriora Ius humanum Poſitiuum. Prioris Iuris tranſgreſſores fuerunt Pagani.

Sap. c. 12. Act. 19. Nam *in erroris via diutius errarunt* [inquit Sapiens] *Deos extimantes hæc Infantium*, inſenſatorum more uiuentes; ſicuti apud Acta Apoſtolorum etiàm legitur; Vndè clamabant: *Magna Diana, quam*

Sap. c. 13. *tota Aſia, & Orbis colit* & iterùm Sapiens ait: *Rectores orbis terrarum* (Solem, & Lunam) *Deos putauerunt. In his minor eſt querela* [ait Sapiens] *& hi enim fortaſsè errant, Deum quærentes, & volentes inuenire. Etenim cùm in operibus illius conuerſentur, inquirunt, & perſuaſum habent, quoniam bona ſunt, quæ uidentur. Iterùm autèm nec his debet ignoſci:* Nam.

III. Quæ rationis naturalis lumine eluceſcunt, ſine culpa non

Pſal 94. ignorantur. *Signatum eſt enim* [confitebatur Deo Dauid] *lumen vultus tui Domine ſupèr nos, quod oſtendit nobis bona*; & idcircò gentes, cum Decalogi lege carerent (quæ naturalis legis eſt decla-

S. P. Rom. c. 12. ratio) nihilominùs inexcuſabiles ſunt (ait Paulus): *quia ſibi ipſi ſunt lex:* Vndè liquet, quod nec communis error facit Ius in iſtis: quià ſic excuſabiles forent Gentiles communitèr errantes: è contrà, quæ ab homine traduntur, probabilitèr ignorantur, ſi errandi color appareat, titulusque ſic opinandi adſit; quià in huiuſmodi caſibus indulgendo ſubditis Imperator, ſuam impertitur eis auctoritatem;

de-

Digitized by Google

decernitque; quod *communis error ſit Ius*; vti hæc formalia Imperatoris verba declarant; *Verum* [*proptèr Reipublicæ vtilitatem*] *puto nihil eorum* (quæ Barbarius egit falſus Prætor, ſed communitèr habitus pro vero) *reprobari. Hoc enim humanius eſt: cùm etiàm potuit Populus Romanus* (errans) *ſeruo decernere hanc poteſtatem: ſed et ſi ſciuiſſet ſeruum eſſe liberum, effeciſſet: quod Ius multò magis in Imperatore obſeruandum eſt:* quæ lex, ſeu Legislatoris mens ità elucidari videtur.

IV. Populus, & Princeps, qui populi curam gerit, volunt, publicam vtilitatem: qui verò publicam vult vtilitatem, vult valida eſſe Prætoris Acta; pro bono enim publico Prætura eſt inſtituta; qui verò vult Prætoris Acta eſſe valida; vult quod Prætor habeat Iuriſdictionem. Nam ſine iuriſdictione nulla ſunt Acta; ſicut ſine potentia Actus nullus eſt; qui autèm vult Prætorem Iuriſdictionem habere, non habenti dat, cùm dare poſſit. Etenim: *quod eſt in poteſtate, & voluntate erit*: [iam diximus cum Ariſtotele]. Si autèm carenti iuriſdictione, hæc ei conferatur, validè agit; ſed ſic eſt, quod cùm error eſt communis, declarat ſe Imperator Iuriſdictionem impertiri. Ergò ab eo confertur. Ergò valida ſunt Acta. Eumdem in hoc imitantur Pontifex, & cæteri Superiores, dùm hanc de errore communi acceptant, & approbant doctrinam. Ergò in eiuſmodi caſibus conferunt iuriſdictionem, ac ſi Ius ipſum daret illis. Sic Summus Pontifex in tota Eccleſia, & Epiſcopus in ſua ſua Diœceſi, quæ ab illorum pendent iuriſdictione, videntur rata habere, ſeu potius ſuam opportunè etiàm neſcientibus impertiri poteſtatem, cùm error eſt communis, & inculpatus, ac etiàm in rebus, quæ ab humano iure [non tamèn Diuino] pendent.

V. Vndè agnoſcimus, quod huiuſmodi Regula fallit, ſi error cadat ſupèr ea, quæ naturali lumine nobis relucent. Prætereà etiàm in humanis ſi error non ſit communis; ſed paucorum, vel color, tituluſque probabilitèr errandi abſit. Error enim debet eſſe inculpatus; ſecùs ſicut culpabilis ignorantia minimè ſuffragatur: ſic nequè error ignorantiæ filius: [vti diximus de ignorantia, & infrà dicetur in capite 78. iuxtà Sanctorum Hieronymi, Cryſoſtomi, & Antonini doctrinam]; Vndè Celeſtinus ad Epiſcopos Apuliæ in rebus ad Ius humanum ſpectantibus, ſic ſcribit: *Docendus eſt Populus, non ſequendus: noſque ſi neſciunt, eos quid liceat, quid ve non liceat commonere, non his conſenſum præbere, debemus: Non oportet* [ait Seneca] *id facere, quod populus. Res ſordida eſt trita, ac vulgari via viuere.* Nam error eum, qui ſic errat, non excuſat: *Quid ergò* [Inquit Sanctus Ioannes Cryſoſtomus] *Ignorans populus excuſabilis erit? Abſit. Si enim veſtimenta empturus gyras vnum negotiatorem,*

C. 2. docendus diſt. 62.

Sen. ep. 123.

S. Cryſ. in Mat. h. 1. 23. hom. 44.

rem, & alterum, & vbi meliores veſtes inueneris, & pretio viliori, ab illo comparas: quo modo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, vbi ſincera Veritas Chriſti venundatur, & vbi corrupta, & omnium confeſſiones cognoſcere, & veriorem eligere, plus quam veſtimentum? dicit Apoſtolus. Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete, Aut ſi propter vtilitatem aliquam, vel neceſſitatem mundialem, proficiſci volueris ad aliquem locum, cuius viam ignoras, nunquid propter ignorantiam via, diſcedis à profectione propoſita? Non; ſed experiris nunc iſtam viam, nunc illam: & quos interrogas, quaeris, & cum inueneris, rogas, & poſtulas, vt ſemitam diſcas. Et ſi velles ſcripturarum ingredi veritatem, nunc peteres orationibus, nunc quaereres in ſcripturis, nunc pulſares bonis operibus, nunc interrogares Sacerdotes, nunc iſtos, nunc illos; non inueſtigas, qui veri ſint Clauicularij Scripturarum, qui falſi. Eo magis non inculpatus; ſed culpabilis eſt huiuſmodi error, quo, tot ſunt monitores, quot ſunt Contradictores eiuſmodi opinandi formæ; eligunt namque ipſi conſulto ſic opinari, & ſic errare, nec ſibi blandiantur de ſuperiorum ratihibitione, ſeu conniuentia, cvm tot Epiſcopi, ac Sacra Congregatio, & ipſe Summus Pontifex ſæpè refragentur, quo igitur pacto Superius Axioma pro ſe allegant, cum Superioris Axiomatis conditiones deſint, cuius Gloſa Interlinealis foret iſta. *Error* [inculpatus ex titulo colorato] *communis* (totius populi habentis Iuriſdictionem approbandi. Si ſciret) *facit Ius* (in his, quæ vel ad Populum, vel ad ſuperiorem, qui populi curam gerit, ſpectant.

VI. Timeo autèm ne ſuperius Axioma ab Imperatoria Maieſtate iuſto temperamento editum, pro communi errore Probabili, & inculpato, non faciat amplius Ius: Sed fiat iniuria, ac iniquitas, eo quod requiſitæ deſint conditiones, adſitque principium dubitandi contrarium: itaut liceat accõmodare mihi ſequentia ſapientis verba.
Sap. c. 14. *Deindè interueniente tempore conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tamquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum Imperio colebantur figmenta.* Sic Recentiorum arbitrio coluntur ſui Capitis commenta, & pretextu Superioris Axiomatis omnes ferè errores, quo ſunt communiores, & ideò reprehenſibiliores, eo canonizare eos contendunt: quaſi Sapientia non ſit amplius veritatis cognitio. Sed
Sen. ep. 123 erroris profeſſio: *Recti apud nos* (profitentur apud Senecam) *locum tenet error, vbi publicus factus eſt.* De huiuſmodi errore eiuſque
Sen. ep. 81. cauſa ſic alibi Seneca ſcripſit. *Cum ſingulorum error publicum fecerit; Singulorum errorem facit publicus.* Vbi *circulus vitioſus* oſtenditur, ſcilicèt ſinguli publicum faciunt errorem, & ex errore publico ſinguli errant, & ſinguli ſimiles ſunt illi, qui Regulam infle-

ctit,

Digitized by Google

ctic, qua deindè vſurus eſt; vel contingit, quod contingit illis, qui *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram ne videant Solem*, ac aſſimilari videntur Harpaſti Vxori Senecæ Fatuæ. Hęc *Fatua ſubito deſijt videre* [ait Seneca] *incredibilem tibi narro rem: ſed veram; neſcit eſſe ſe cæcam, ſub inde pedagogum ſuum rogat, vt migret: ait, domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt. Nos ſine Duce erramus. Quid nos decipimus? Non extrinſecus malum noſtrum: intrà nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet, & ideò difficultèr ad ſanitatem peruenimus; quia nos ægrotare neſcimus. Erubeſcimus diſcere bonam mentem*: & ſicut Ethnici Idola ſibi ad libitum faciebant, & opera manuum ſuarum adorabant: Sic & hi Idola ſuarum opinionum colunt. Sed *quid tam indecorum* [ad hanc rem ſcribit S. Ambroſius] *quam venerari ſigna, quæ ipſi faciunt.* Sen. ep. 5. S. Ambroſ. o.f.l.1.c.26

VII. Videntur ex illis eſſe qui dicunt (apud Iſaiam) *videntibus nolite videre. Videte nobis errores: errantes, & in errorem mittentes*: [vti ſubdit Sanctus Paulus] Sed *væ, qui dicitis* (ait Iſaias) *malum bonum, bonum malum ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes.* Sapientes in cogitationibus veſtris, & in opinionibus veſtris prudentes eſtis. Cauete ne de vobis prophetauerit Micheas. *Hæc dicit Dominus ſupèr Prophetas, qui ſeducunt Populum meum: qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſantificant ſupèr eum prælium. Proptereà nox vobis pro Viſione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione, occumbet ſol ſuper prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies.* Omnis ſanè Sapientia à Domino Deo eſt nec ex tenebroſis veſtris opinionibus eſt elicienda; ſed qui indiget Sapientia, poſtulet à Deo, ſicut Dauid, qui Deum deprecabatur dicens. *De vultu tuo iudicium meum prodeat.* Non ex mea opinione, vel alieno figmento procedat. Iſa. c.30. 2 P. Tim. 2. c.3. Iſai. c.5. Mich. c.3.

VIII. Superioribus conſentire, eademque comprobare ſequentia Senecę verba videntur: *Rectum iter, quod ſerò cognoui, & laſſus errando, alijs monſtro, clamo.* Vitate quæcunque vulgò placent. *Intèr cauſas* (inquit iterùm) *malorum noſtrorum eſt, quod viuimus ad exempla; nec ratione componimur; ſed conſuetudine abducimur: quod ſi facerent, nollemus imitari: cum plures facere cæperunt, quaſi honeſtius ſit: quià frequentiùs ſequimur, & recti apud nos locum tenet error, vbi publicus factus eſt. Omnes iàm ſic peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat æquitatus, vt agmen curſorum antecedat. Turpe eſt, nullos eſſe, qui occurrentes via deiiciant,* Sen. ep. 8. Sen. ep. 123

Digitized by Google

uiciant, qui honeſtum hominem venire magno puluere oſtendant. At me carpit Recentior, quod ad Ethnicum Magiſtrum accedam, vt Chriſtianam veritatem diſcam, & indè doceam, quaſi ex tenebris vellem miraculosè lumen ſplendeſcere, & nihilominùs ex Gentilium nocte emicat nobis etiàm moralis veritatis lumen, & *nox nocti indicat ſcientiam*; nihilominùs Chriſtianum, imò Sanctum adeamus, & maximum Eccleſiæ Doctorem Hieronymum, ſic ſuperiora confirmantem: *Nec Turbam ſequantur errantem, qui ſe veritatis diſcipulos confitentur. Ceſſet omnis excuſatio errorum; auferantur peccandi fœda ſodalia. Nihil omninò agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus: & ad conſolationem noſtram aliena ſæpè numerantur vitia; deeſſe nobis dicimus, quod debeamus ſequi, ad illius exemplum mittimur, quem omnes fatemur imitandum. Atquè ideò præcipua tibi cura ſit, legem noſſe diuinam, per quam poſſis quaſi præſentia cernere exempla Sanctorum, & quid faciendum ſit, quidue vitandum illius conſilio diſcere. Multitudo quid proderit; vbi ſinguli iudicabimur* [inquit S. Eucherius.]

S. Hier. ep. 10. l. 2. ad Celantiā.

S. Euch. ep. 1. Parēn.

CAP. LIX.

De curatione Erroris.

Error, cui non reſiſtitur, approbatur.

C. Error diſt. 38.

I. NAturale hominis bonum eſt, 1. *Veritas* in intellectu, 2. *Honeſtas* in voluntate. Bonum autèm ſupernaturale eſt *Dei Gratia* in anima; Fides in mente; Amor in corde. Malum è contrà; naturale malum eſt error in intellectu, cùm hic à veritate cognoſcenda declinat; Error in voluntate, cùm hæc declinat ab honeſtate ſectanda. Malum verò ſupernaturale, Gratiæ Dei ablatio; Deus autèm hominem homini ſimilem condidit; vt homo homini, & bona vellet, & prodeſſe ſatageret; Vndè dicit Eccleſiaſticus; *Attende ab homine iniquo, & mandauit illis vnicuique de proximo ſuo*: Mandauit ſiquidem, vt ſe inuicèm tuerentur à malo, & iuuarent ad bonum, & cùm aliquis à bono declinat ad malum, indicitur ei *fraterna correptio*; vt lucretur quis fratrem ſuum: vti idem Eccleſiaſticus diſertè monet; *Recupera Proximum ſecundùm virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas*. Hæc eſt enim generalis lex Charitatis. Verùm.

Eccl. c. 17.

Eccl. c. 19.

II. Aliqui non vna tantùm Charitatis lege ad prædicta præſtanda vr-

vrgentur; ſed etiam *ex officio* tenentur occurrere alienó malo, & alieno bono ſuffragari. Duobus enim vinculis Charitatis, & Iuſtitiæ obligantur. Huiuſmodi ſunt Superiores, quibus aliorum incumbit cura. Hi enim ſpecialitèr ad hoc deputantur,& pro hoc honorariam mercedem recipiunt. Quamobrem mentis errores per Veritatis doctrinam, & èrrores voluntatis, per timoris diſciplinam emendare ſtudebunt. Hinc Diuus Paulus Magiſter Gentium Timotheum Diſcipulum, ac Epiſcopum hiſce admonet: *Præcipe hæc, & doce. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt*; & iterum. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Epiſcopus namque & cæteris Paſtoribus prædicationis munus incumbit, & morum correctio. Eadem quoque onera pro ratione muneris ad cæteros etiam ſpectant officiales. Vnicuique enim indicitur ex Diuo Paulo. *Miniſterium tuum imple.* Qui verò alienis erroribus, cum poſſit, & debeat vel Charitatis lege, vel ex Iuſtitiæ officio obuiare negligit, ſuæ deeſt obligationi,& errori conſentire videtur: ad rem diſertè ſcribit S. Iſidorus Hiſpalenſis ſic.

S P.Tim.1 c.4.
S.P.Tim.2. c.4.
S.P.Tim.2 c.4.

III. *Qui docendi accepit officium, interdùm ad tempus facta proximi taceat, quæ ſtatim corrigere nequaquam exiſtimat. Nam ſi corrigere poteſt, & diſſimulat, verum eſt, quod conſenſum alieni erroris habeat. Sicut peruigil Paſtor contra beſtias oues cuſtodire ſolet; ità & Dei Sacerdos ſuper gregem Chriſti ſollicitus eſſe debet, ne inimicus noſter, ne perſecutor infeſtet, ne potentioris cuiuſquam cupiditas vitam pauperum inquietet. Praui autem Paſtores non habent curam de ouibus, ſed (ſicut legitur in Euangelio de Mercenariјs) vident Lupum venientem, & fugiunt. Tunc enim fugiunt, quando potentibus tacent, & malis reſiſtere metuunt. Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant Teſtante Domino ad Prophetam. Speculatorem dedi te domui Iſrael. Si non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua mala, ille in iniquitate ſua morietur. Sanguinem autem eius de manu tua requiram. Sic enim Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus eſt, & licèt eos delinquentes admonuerit, ſed tamen non, vt oportebat, redarguit. Sicut Medici morbos imminentes curandos ſuſcipiunt, futuros vero, ne irrepant, medicinæ obiecta quadam præſcientia antecedunt, ità & Doctores bona, ſi ea, quæ mali acta ſunt reſecant, vt ea quæ admitti poſſunt, ne perpetrentur, doctrina ſua ſuccurrente preueniant.* Sic ſe optime geſſit Ioſias Rex Iuda, qui repertum in Domo Domini librum legis

S. Iſidor. ſent. l.3. c. 44.n.5.
Idem l.3. c.45.n.5.
Idem l.3. c. 46.n.1.10.
Ezech.c.33
Reg.4 c.22 23.

Digitized by Google

Baron. an. legis cunctis Populis per Sacerdotes, ac Principes Aulæ Regiæ ad
802.n.14. abigendos errores prædicari ſtuduit; Idem ferè præſtitit Carolus
15. Magnus Imperator, vt refert Baronius. Nam

IV. *Error, cui non reſiſtitur* [inquit Cæleſtinus Papa] *approbatur, & veritas cum minimè defenſatur, opprimitur. Error* ſiquidē (inquit
C. Error *diſt. 83.* Ioannes Vigeſimus Secundus) *cui non reſiſtitur, approbari videtur,*
Io. 22. extr. *& latum pandit delinquentibus ſinum, qui eorum peruerſis conati-*
Ne Sede *bus non reſiſtit*: hinc conquærebatur per Oſeam Deus ſic: *Conticuit*
c. ſi fratrū. *Populus, eò quòd non habuerit ſcientiam: quià tu ſcientiam repuli-*
Oſea c. 4. *ſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*: vti minatus eſt etiam Epiſcopis Aſiæ Ieſus per os S. Ioannis Euangeliſtæ; quià etſi ipſi San-
Apoc. c. 2. cti eſſent, alienis erroribus ſtrenuè non occurrebant, & hinc apud vniuerſos Theologos in confeſſò eſt, quod *Mutus, non obſtans; non manifeſtans, qui ex officio* tenebantur obuiare, conſentientes
S. Tho. 2. 2. *q. 62. ar. 7.* fiunt, ac Rei: *culpa verò caret* (ait Imperator) *qui ſcit; ſed probi-*
& ad 3. *bere non poteſt, & nullum* (ſubdit idem Imperator) *crimen patitur*
C. culpa l. *nullum* *is, qui non probibet, cùm probibere non poteſt.*

crimen ff. V. Lex Charitatis; Sacerdotale Officium; ac munus mihi pro
de reg. iur. domeſticis noſtris impoſitum, pro modulo meo, erroribus occurrere me coegerunt; Vndè *Indicem ſcientiæ boni, & mali* exhibendum cenſui. Nam *labia Sacerdotis* [inquit Malachias] *cuſtodient*
Malac. c. 2. *ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt*: Vndè Aggæus quoquè Propheta monet: *Interroga*
Agg. c. 2. *Sacerdotes legem*; Idcircò ob Dei gloriam, & proximi vtilitatem, & ſpiritualem meritorum cumulum, proponenda veritas viſa eſt; *qui enim docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor Firmamenti, & qui*
Dan. c. 12. *ad Iuſtitiam erudiunt multos; quaſi Stellæ in perpetuas æternitates*. Inſupèr.

Eccl. 18. VI. *Qui miſericordiam habet* (inquit Eccleſiaſticus) *docet, & erudit, quaſi Paſtor gregem ſuum*: hæc pauperculum meum excitauerunt ingenium, vt cùm vetula illa *Duo minuta* mitterem in Eccleſiæ gazophilacium; At nimiam miſerationem meam ergà Modernos miratur Recentior, dicens; ibi eſt verus miſerendi locus, vbi eſt vera culpæ miſeria; ſed error noſter eſt inculpatus, pluribuſque rationibus coloratur. Ergò ci culpa non ſubeſt. Ergò tua ceſſet miſeratio; nec occurrendi erroris angaris ſcrupulo. Si ità eſt, non miſereor ampliùs; ſed congratulor vobis. Nihilominùs verum cordis mei ſenſum ſic aperiam. Miratur Recentior de me; obſtupeſco, & ego de illo; dicit ipſe ſe pacificè conſcientiæ ſecuritatem poſſidere, vel in communi errore, vel in qualicumque opinione probabili. Quæſo quænam eſt hæc pacifica ſecuritatis poſſeſſio, cùm à tot Aduerſarijs arguamini; Imò cùm tàm crebræ ex veſtris à Summo Pon-

Digitized by Google

Pontifice condemnentur propoſitiones, quarum condemnatio de
cæteris quoquè ſuſpicionem generat? Inculpatus error non eſt, nec
prudens opinio, cùm poſſit quis, & debeat maiorem adhibere in quæ-
renda veritate diligentiã, negligit adhibere; & cùm Magiſter errores
reuelet, & alios reuelandos profitetur, nec ipſum diſcipuli conſu-
lunt; vt eos veritatem edoceat, cùm tamèn verum ſit quod; *Homo* Eccl. c. 18.
ſapiens in omnibus metuet, & qui timet Deum, nihil negligit: Me- Eccl. c. 7.
tue, & nihil neglige; ne autèm negligas aliquid, quod expedit fie- Deut. c. 32.
ri: *Interroga* (ait Moyſes) *Patrem tuum, & annunciabit tibi*; Prou. c. 1.
quià *audiens Sapiens ſapientior erit, nec innitaris prudentiæ tuæ.* Prou. c. 3.

VII. Inſtat Recentior, & nugatur. Mi bone ſcriptor (ait); ſtul-
to labore conſumeris. Nam vniuerſus ferè terrarum orbis nobiſcum
noſtra laborat opinione; ſed impoſſibilis eſt vniuerſorum curatio.
Ergò ne ſtulto labore conficiaris, deſine nos curare, & dimitte
nos in pace. Cui pro me D. Auguſtinus reſpondet: *Numquid ideò* D. Aug. ep.
negligenda eſt medicina, quià nonnullorum eſt inſanabilis peſtilen- 84. ad Vinc.
tia? Adhùc perſeuerat Recentior, nec acquieſcit, ſed indicat alia
cogitatione torqueri cor ſuum; quæſo euome, quod tuum grauat
ſtomacum. Tandèm confidentèr, & ad aures (ait) ediſſeram,
quod nos moleſtat; ſed memento hìc obſeruandum penè eſſe, quod
quondam hoc crimine dicebatur. *Iura, periura, ſecretum prode-*
re, noli; vt refert Baronius. Leges [ait Recentior] præcepta, Bul- Baron. an.
læ, declarationes, edicta in dies multiplicantur, & noſtras adeò 722. n. 2.
onerant vires; vt eorum pondus portare nequeamus contrà D. Phi- Vita l. 1. c.
lippi Nerij monitum dicentis; *Chi vuol eſſere vbbidito aſſai, com-* 19. n. 14.
mandi poco; vti Carolus Magnus in condendis legibus conſueuit ex Baron. an.
Baronio; Cui vt clàm occurreremus, adinuenimus noſtris lucubra- 801. n. 15.
tionibus tales, ac tàm ſubtiles interpretationes, vt ſub ſpecie inter-
pretationis legum, leges reipſa minuamus, ac abrogemus, accide-
re enim videtur populis; ſicut Dauid, qui ad pugnam cum Goliat
accinctus gladio Saul, lorica, galeaque eiuſdem armatus, non po- Reg. 1. c. 17
terat incedere; ſed ijſdem depoſitis promptus ad certamen prope-
rauit, & vicit; ſic tot legibus grauati nequeunt incedere fideles ad
ſpirituale bellum; his autèm noſtra arte, depoſitis, agiliores ſunt
ad ſpiritualem pugnam. Et en reuelatum eſt arcanum; At ſi verè
ità ſentiunt Recentiores, condemnant Legiſlatores, vel de impru-
dentia, quod neſciant leges accommodare viribus; vel de crudeli-
tate, quod ſcientèr Imponant onera importabilia; quàm ſit ſcele-
ſtum nemo non videt. Vndè dicit S. Hieronymus: *Domino reclama-*
mus, & dicimus nos vel difficultate, vel impoſſibilitate mandato- S. Hier. ep.
rum premi; nec ſufficit quod iuſſa non facimus: niſi etiàm iubentem 20. l. 2.
iniuſtum pronunciemus, dùm ipſum æquitatis auctorem non modò

dura

Digitized by Google

dura, & ardua; ſed etiàm impoſſibilia præcipiſſe conquærimur; ſed
Pſal.83. animo deſpondeatur nullus [ait Dauid]: *Etenim benedictionem da-*
S.Luc.c.18 *bit Legislator; ibunt de virtute in virtutem; & Deus Iſrael ipſe*
dabit virtutem, & quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia
erunt apud Deum.

CAP. LX.

De Occultis; De Publicis; De Manifeſtis; De Notorijs.

C.ſicut tui De Simonia.

Eccleſia non iudicat de occultis.

I. HOmo ſpiritu, & corpore conſtat; ſpiritus eſt inuiſibilis; viſibile corpus; Cùm autèm ſit ſpiritus inuiſibilis, nemo ſcit hominum, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis, & Deus, nam
Reg 1.c.16 *ipſe nouit abſcondita cordis*; qui intuetur abyſſos; quæ verò corporalia exiſtunt, nouit, & iudicat etiàm Homo. *Homo* enim *videt, quæ patent, Deus autèm intuetur cor*: vt ipſemet profeſſus eſt Samueli. Nihilominùs quamuis ſpiritus inuiſibilis ſit per ſe ipſum, aliquandò tamèn elucet etiàm in corpore, vel verbis, vel factis, adeò vt, quæ ex genere ſuo ſunt inuiſibilia, per accidens alteri pateſiant. Tunc enim non remanent purè ſpiritualia; ſed corporalia partim euadunt, ac per huiuſmodi extrouerſionem, interiora fiunt exteriora, & ſic fit homo ſociabilis, ac ciuilis; quià ſocietas humana in communicatione humanorum ſenſuum conſiſtit: vti ex ore Dei
S.Io. c.15. liquet dicentis: *Vos dixi amicos, quià omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*. Communicatio autèm interiorum ſenſuum fit ſenſibilibus verbis, ac factis, ſeu alterius generis ſignis ſenſibilibus. Ergò nihil eſt occultum, quod loquendo non ſciatur, nec opertum in corde, quod non reueletur. Hoc magis patet, ſic.

II. Delicta ab Eccleſia puniuntur: Delicta autèm principalitèr
S.Mat. c. 15. ſunt in corde: Vndè Dominus dixit: *De corde exeunt cogitationes*
C.Cum voluntate de ſent. exc. *prauæ*; & Canones, legeſque repetunt dicentes, quod *Voluntate, ac propoſito maleficia diſtinguuntur*; Subſcribit hiſce Ariſtoteles: *Non verba, ſed ſententiam ſpectare æquum eſt, nec factum, ſed voluntatem, nec partem, ſed totum*. Ergò iudicantur occulta cordis, non occulta omninò in ſpiritu, vni Deo nota: ſed quatenùs emicant in corpore. Eccleſia ergò non iudicat de occultis omninò,

ac

Digitized by Google

ac abſconditis cordis; ſed de patentibus aliqualitèr in corpore. Nam quæ ex corde exeunt ad extrà, iam non ſunt ampliùs omninò occulta, & ideò ea iudicat (vti dicit Imperator hiſce): *Crimina non ſecundum propoſitionem ſolum; ſed cum aliquo facto intelligi conſtat*: hinc dicit Idem, *Iniuria ex affectu facientis conſiſtit; nec furtum ſine affectu furandi committitur*.

Ariſt. rhet. l. 1. c. 13.

L. fugitiuus ff. de verb. ſign.

L. Illud relatum. ff. de Iniurijs.

L. furtum. ff. de vſur.

L. qui iniuria. ff. de furtis.

L. Infans. l. dicens. ff. de ſicarijs.

L. capitda. ff. de reg. iur.

III. Hic obſeruandum videtur, quod Tria in homine diſtinguuntur. 1. *Affectus* immanens. 2. *Actus*, qui tranſit, vocaturque *Actio tranſiens*. 3. *Effectus*, qui & *effectio* appellatur, quia tranſit in effectum permanentem, ac relinquit opus poſt ſe. *Affectus* eſt in corde penitùs occultus. *Actus* eſt in corpore, qui & aptus eſt patere. *Effectus* eſt in opere, qui euidens eſt, *quod* autem (inquit Imperator) *factum eſt cum in obſcuro ſit, ex affectione cuiuſque capit interpretationem*. Ergò affectio, quæ in corde latet, inquirenda eſt, vt iudicari rectè queat, opus quod foras patet.

IV. Aduertendum etiam eſt cum Illuſtriſſimo Domino Proſpero Fagnano, quod *occultum propriè*, dicitur, *quod nulla ratione probari poteſt*, & ſolius Dei Iudicio reſeruatur. *Penè occultum* eſt ſingularis, & priuata inſinuatio ex ſcientia, & certo Auctore proueniens, & differt ab occulto ſimplicitèr; quia *occultum ſimplicitèr* dicitur *actu & habitu*. *Pene, ſeù quaſi occultum actu, ſed non habitu*. Occultum ſimplicitèr non eſt poſſibile, vt vnquam manifeſtetur; vel ſaltèm per modum probationum probari non poteſt. Illud non dicitur occultum; ſed *quaſi occultum*. Moderni tamèn Theologi accipiunt *occultum*, prout contrà diſtinguitur à *Publico*.

Fagn. to. 4. in pr. partē Tertij Decretal. de cohab. cler. c. veſtra n. 45. 48.

V. *Publicum* eſt nomen generale, & verificatur in *notorio*, & quandoque in *fama*. Publicum eſt illud, quod omnibus patet, vel aptum eſt patere: Sicuti eſt illud, quod ponitur in porta alicuius Eccleſiæ, dicitur eſſe Publicum. *Publicum* etiam dicitur; quod eſt factum præſentibus multis; ſed non eſt famoſum. *Manifeſtum* verò, quod ſecum habet famam, quia manifeſtum debet eſſe multorum. *Fama* autem eſt ex certo auctore plurimorum proclamatio: ſicuti Rumor idem eſt; ſed ex auctore incerto. Nam ſatis non eſſet duos, vel tres Teſtes hoc ſciuiſſe: vt ſic differat à Probatione, & à Publico, ad quod ſufficiunt duo, vel tres Teſtes. Quot autem requirantur ad inducendum *Manifeſtum*, Doctores non conueniunt; & fortè ſufficiunt decem: ſed hoc relinquendum arbitrio iudicantis; dummodò non excedant maiorem partem populi vel viciniæ; quia ſic eſſet *Notorium*.

VI. *Notorium* dicitur à *notione*: quia tranſit in cognitionem omnium, & ſic deſcribi poteſt. *Notorium eſt Ius, vel factum* tran-

L. nulli. L. Plane. ff. quod cuiuſq; vniu. nomin.

tranſiens in notionem omnium, vel maioris partis eorum. Nam per maiorem partem totus populus repræſentatur, qui plura volet, de hac materia conſulat Fagnanum. *Notorium verò* (ait Gregorius Nonus) *eſt vel per ſententiam, vel per Confeſſionem factam in iure: aut per euidentiam rei, quæ tergiuerſatione aliqua cælari non poſſit.* Eadem repetit Cęleſtinus III. & D.Thomas.

L. quod maior.ff ad municipalem. C.quæſitũ l.3.t.2. De cohabit. cleric. Celeſt.III. l.5.t.40. de verb. ſign. c.cũ olim. D.Tho.3.p. q.82. ar.9. ad 3. Prax.Neapol.Ant. Gen,c.67.

VII. Ex dictis colligitur aliquid eſse occultum; ſed vni Deo notum, vt ſunt abſcondita cordis. Aliud occultum hominibus;ſed notum Angelis: vt interiores imaginationes, ac appetitus commotiones. Aliud occultum omnibus actu; ſed notum alicui potentiâ, ſeù habitu. Aliud occultum pluribus ſed notum vni,quod in *Foro Fori* eſt *penitus occultum*, cum duobus Teſtibus probari nequeat. Aliud notum duobus, vel pluribus non tamen ſex, & *pene occultum* dicitur. Aliud occultum minus decem, ſed notum pluribus, & *Publicum* appellatur. Aliud occultum maiori parti vel toti populo; ſed notum decem, & *magis Publicum* nuncupari videtur. Aliud notum maiori parti, vel toti populo, & *Notorium* propriè dictitatur, & triplex aſſignatur, vt dictum eſt. Indè clareſcit Superior Regula. Scilicèt *Eccleſia non iudicat de occultis*: Nimirùm.

VIII. Eccleſia in *Foro conſcientiæ* iudicat etiã de occultis vni Dei ſcientiæ reſeruatis;fungitur enim in hoc ipſius Dei vice. Eadem Eccleſia in *Foro pænitentiali* iudicat de occultis homini actus,ſed quæ habitu nota ſunt: vt ſi quis nullo præſente proferat hæreſim, vel coràm vno Teſte tantùm, hæc eſſet hæreſis occulta propriè, & tamèn excomunicatione punitur. In *Foro* autèm *Fori*, ac externo Eccleſia non iudicat de occultis; quæ probari nequeunt, vèl non ſunt deducta ad forum contentioſum. Nam multa tolerantur, quæ ſi in Iudicium deducerentur, ab Eccleſia condemnarentur. Cæterùm occulta, quæ cogitationis limites tranſiliunt, foriſque emicant, Eccleſia iudicat, & punit, quæ verò intrà cordis abſcondita remanent, vni Dei iudicio iudicanda relinquit.

Trid.ſeſſ. 25.c.6.de reform.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXI.

De Talione.

Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare.

I. MAlum non eſt bonum, nec falſum eſt verum. Nam *Numquid* [inquit S.Iacobus] *fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Num quid poteſt ficus vuas facere, aut vitis ficus? Sic nequè ſalſa dulcem poteſt facere aquam.* Qui ergò impugnat aliquid, vt malum, ac reſpuit falſum, vt amarum, nulla ratio deindè permittit, vt illud idem eligat, vt bonum, ac verum, dicatque dulce, quod priùs dicebatur ab eo amarum; Inſupèr nec Iuſtitia patitur, vt abſquè ratione mutetur voluntas. Eſt enim *Iuſtitia conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi;* Si ergò voluntas abhorreat ab illo, quià ratio reſpuendum dictabat, & Iuſtitia ad repudiandum inclinabat, in eadem perſeuerandum eſt ſententia; multòque magis, eo gaudere non debet; ſi dolosè illud impugnabat: hinc ſi inſtrumentum, vel Teſtamentum impugnaſti, ex eodem fructum conſequi non debes; quià quantùm in te eſt, tale non eſt: imò & nihil eſt; ſed *ex nihilo nihil fit*; ergò nihil boni ex eo potes comparare. *S.Iacob.c.3*

II. Patet ergò quod; *Non dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalutaria præcepta temerè contempſit* (inquit Tridentina Synodus) *In eo, in quo delinquit, puniri quis debet, & fruſtrà legis auxilium inuocat, qui committit in legem* (repetit Summus Pontifex), & qui immunitatem violat, immunitate fruſtrà gaudere contendit. *Trid.ſeſſ. 24 c.5. de reform. C.Immunitatem de immunit. Eccleſ.*

III. Idem ferè modernis opinantibus contingere videtur. Heri quis acritèr ſententiam impugnabat; quià ſuis commodis repugnabat. Hodiè verò eam acriùs propugnat; ſuis enim præſentibus fauet vtilitatibus; ſed iuxtà ſuperiorem Regulam, non debet quis ex impugnata ſententià beneficium reportare. Nam (vt diximus) & ratio & iuſtitia ſibi conſtant; nec ad beneplacitum variantur; ſed omnia omnibus æqualitèr decernunt, & ad hanc rem facere videtur, quod ad Celantiam S.Hieronymus ſic ſcribit: *Quaſi ad compendioſum* [Diuinæ Scripturæ] *quoddam commonitorium illa tibi Euangelij legenda ſententia eſt, & ſuperſcribenda cordi tuo, quæ ad totius* *S Hieron. ep.20.l.2.*

Digitized by Google

Iuſtitiæ Breuiarium Dominico ore profertur : Omnia quæcunque vultis; vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis: Cuius *præcepti vires exprimens iungit, ac dicit : Hæc enim lex, & Prophetæ. Ad omnem igitur actum, ad omne verbum, ad omne etiam cogitatum, hæc ſententia retractetur : quæ tibi quaſi ſpeculum quoddam paratum, & ad manum ſemper poſitum, qualitatem tuæ voluntatis oſtendat ; ac etiam vel de iniuſto opere redarguat, vel de iuſto lætificet.*

IV. Huic arridet Dei per Moyſis os præceptum; *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor. Pondus habebis iuſtum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi : Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Iudicent iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent: concludimus cum Moyſe, & meminerint, quod *nemo non benignus eſt ſui Iudex*: monet Seneca, & cauſant ne ex cuiuſque affectu afferatur, & mutatur iudicium Intellectus.

Deut. c. 25. *Deut. c. 16.* *Senec. de Benef. l. 2. c. 26.*

CAP. LXII.

De Mixtione Boni, ac Mali.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contrà.

I. PVrum bonum eſt in Cælis, purum malum in Inferno. Bona mixta malis, mala mixta bonis experimur in terris: hinc admonet Salomon. *Riſus dolore miſcebitur : Extrema gaudij luctus occupat.* Roſa pulchra eſt; ſed ſepitur ſpinis. Bona eſt ſcientia. Sed *qui adit ſcientiam, adit & laborem.* Lucra cum laboribus; labores cum fructibus adiunguntur. Qui ergo bonum ſine malo frui contenderet, contrà communem naturalium rerum curſum conaretur, & è conuerſo, qui alteri malum, vel periculum ſine bono, & commodo vellet imponi, irrationabilis foret : hinc.

Prou. c. 14. *Eccles. 1.*

II. Præſentes patefiunt iuris Regulæ. Qui ſentit onus, ſentire debet & commodum, & è contrà. *Nam* (inquit Imperator) *ſecundum naturam eſt commoda cuiuſque eum ſequi; quem ſequuntur incommoda.* Itemque decernit Imperator, quod *ex qua perſona quis lucrum capit, eius factum præſtare debet*, & *cum quis vtitur adminiculo ex perſona Auctoris: vti debet cum ſua cauſa ſuiſque vitijs.*

L. ſecundum. ff. de reg. iur. *L. ex qua. ff. de reg. iur.* *L. Pomponius ff. de e. quæ r. poſ.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXIII.

De honore onerato.

Rationi congruit, vt ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

I. ONos, & onus aſſimilantur in dictione, & eorum ſignificata coniunguntur in re. Nàm dignitas, vel officium, cui debetur honor, ac exterior excellentiæ teſtificatio, dicitur & *Honor*, & *Onus*. Ergò ſeſe comitantur: hinc ait Pontifex: *Succedit in onere, qui in honore ſubſtituitur. Rationi enim congruit, vt ſuccedat, in onere, qui ſubſtituitur in honore*: hinc D. Paulus ſcribebat, quod *ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; ſed indè ſubdit onera bono operi adnexa; & Regibus Salomon indicit, quod cùm Miniſtri ſint Dei, Deique in Populis vice fungantur, iuſtitiæ leges, cuſtodire præ cæteris tenentur. Secùs: *potentes potentèr tormentum patientur*. Plura ad hanc rem diſſerit S. Ambroſius ſic pertingens: *Optimis permixta ſunt peſſima, & Honor grandis, grandiori debet ſolicitudine circumuelari*.

C. Aduerſus. De Immun. Eccl. *C. Corde.* *S. P. Tim. 1. c. 3.* *Sap. c. 6.* *S. Ambroſ. de Sacerdot. dig. c. 3*

CAP. LXIV.

De Nihilo.

Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.

I. EX *nihilo nihil fit*, & nihil facit nihil; nàm fundamentum omnium actionum, ac effectuum indè prouenientium, eſt exiſtentia rei. In primis namquè Res debet exiſtere; deindè habere potentiam; demùm habere actum; ſicut autèm ſi fundamentum labatur, tota corruit domus: ſic Res ſi non exiſtat, nec exiſtet potentia ad agendum, vel ad quoduis aliud, & conſequentèr nulla erit actio, vel effectus. Nàm *prius aliquid eſſe debet, deindè quale*

Digitized by Google

Sen.ep.118. *eſſe* : affirmat Seneca : hinc dici etiàm ſolet . *Non entis nullæ ſunt qualitates* , ità accidit in Phyſicis .

II. Moralia habent ſuam exiſtentiàm moralem , ſicut Phyſica habet exiſtentiam phyſicam : ſicut autèm in Phyſicis Res exiſtunt, quandò à cauſis phyſicis exeuntes extrà ipſas cauſas ſunt in ſe ipſis. Sic in moralibus Res exiſtunt, cùm à cauſis moralibus à Iure potentiam habentibus, legitimè fiunt, ac peraguntur. Nàm lex dat agentibus potentiam ad operandum, ſicut natura potentiam communicat Agentibus naturalibus, vel ad agendum, vel recipiendum, vel reſiſtendum. Triplex eſt enim potentia. 1. *Actiua*. 2. *Paſſiua*. 3. *Reſiſtitiua*. Si autèm morales actus iure non fiant, perindè ſunt, ac ſi non fierent. Si verò non ſunt in Iuris ordine, nec etiàm in eodem moris ordine habebunt vllam potentiam, vel ad agendum, vel recipiendum, vel reſiſtendum : quià cùm nihil ſint, nihil efficere queunt: Vndè præcedens Axioma eluceſcit; nimirùm *non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum*. Quod enim effectiuè in Genere moris non exiſtit, nullam actionem exercet : hinc.

Trid.ſeſſ. 24.c.3.de Refor.mat. Alex. III. c. Acceſ. de deſponſat. Impub.

III. Tridentina Synodus publicæ honeſtatis impedimentum tollit, cùm ſponſalia quacumque ratione valida non ſunt, & Alexander Tertius ſic etiàm reſcripſit; quià *deſponſationes, & matrimonia antè ſeptem annos fieri non poſſunt, ſi conſenſus poſteà non accedat, matrimonium cum eiuſdem pullæ matre inuiolabilitèr eſſe obſeruandum* : Sic de cæteris iure nullis actibus. *Acceſſorium* enim *ſequitur naturam principalis* : *ſi Radix ſancta, & Rami*, & è contrà. *Si Radix mala, & Rami*.

CAP. LXV.

De Tranſmigratione.

Ratihabitionem retrò trahi, & mandato non eſt dubium comparari: & quis ratum habere non poteſt, quod ipſius nomine geſtum non eſt.

I. Pitagorica fabula fuit animas è corpore, veluti è domo exeuntes in aliud corpus, tamquàm in alteram domum migrare. Veritas autèm eſt Chriſtianorum non animæ ſubſtantiam, ſed ſpiritum, ſeu ſpiritualem vim, ex vno in alium tranſire : Hinc enim S. Ioan-

Digitized by Google

Ioannes Baptiſta dictus eſt Elias; quia ſpiritu, non perſona, Elias erat. Huiuſmodi tranſmigratio in moralibus eſt ad libitum, & frequens eſt. Nam homo poteſtatem, quâ pollet, in alium transferre valet. *Poteſt enim quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum*, & hinc quadam Iuris fictione ipſe in alium migrare cenſetur, & alius ipſius perſona indui videtur, eiuſque vices gerit; ac tamquam eiuſdem Inſtrumentum, miniſter, atque procurator, negotia agere, actuſque præſtare cernitur; mandato enim agit alterius, & non ſuo; ſed alieno nomine, ſcilicèt mandantis agit; adeò vt non ſit Petrus procurator, qui agit; ſed Paulus, qui mandauit, eſt agens; vndè dicitur. *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur.* Sed.

C. Poteſt. De reg. iur. 6.

II. Tanta eſt in moralibus huiuſmodi Ciuilis [vt dicam] tranſmigrationis vis, vt aliquis mandati expers, alieno nomine nihilominus agere poſſit, ſub ſpe tantum geſta ab ipſo negotia comprobatum iri, ac rata eſſe habenda. Nam perindè habetur, ac ſi mandato fretus, negotia, actuſque præſtitiſſet; ſi poſtea tamen principalis ratam rem habeat. Nam *Ratibabitio mandato comparatur* (inquit Cæſar) *& ſi quis ratum habuerit, quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione* (ſubdit idem). *Rem verò ratam habere, hoc eſt, comprobare, agnoſcereque, quod actum eſt à falſo procuratore.* Si verò falſus procurator; qui mandato caret, non ſe gerat nomine alieno, alter non poterit ipſius acta comprobare, rataque habere, quia quæ rata habet, ſua propria facta declarat; non poteſt autem declarare eſſe ipſius factum, in quo nec nomen habuit, nec alter illius nomini aſſignauit; hinc dicit Pontifex. *Ratum quis habere non poteſt, quod illius nomine geſtum non eſt.*

III. *Verum procuratorem accipere debemus eum, cui mandatum eſt, vel ſpecialitèr, vel cui omnium negotiorum adminiſtratio mandata eſt. Sed etſi non vero procuratori ſoluam, ratum habeat Dominus, quod ſolutum eſt, liberatio contingit. Ratum autem habere Dominus debet, cum primum certior factus eſt; ſed hoc cum quodam temporis ſpatio ſumitur; quod nec minimum, nec maximum eſt, & quod magis intellectu percipi, quam ex locutione exprimi poſſet. Aduertendum eſt, non tantum verbis ratum haberi poſſe, ſed etiam actu.* Ergò patet quod.

IV. *Ratibabitio mandato comparatur.* Nam alibi quoque Imperator ait: *Omnis ratibabitio prorſus retrò trahitur, & confirmat ea, quæ ab initio ſubſecuta ſunt.*

L. Hoc iure ff de reg. Iur. & L. vero procurator. ff. de ſolut. L. ſemper qui ff de Reg. Iur. L. quo enim ff. Ratã rẽ. C. Ratum. de reg. iur. 6. L. vero procurat. ff. de ſolut. §. ſed etſi. L. Ratum. ff. de ſolut. & l. quo enim ff. ratam rem haberi. L. non tãtũ ff Ratã rẽ. L. Hoc iure ff. de reg. Iur. L. Si filium C. ad ſen. C. mãdedõ.

CAP.

CAP. LXVI.

De Prerogatiua Temporis.

Qui prior eſt tempore, potior eſt iure.

I. ÆTernitas tota ſimul permanet: Tempus è contrà per partes fluit, ac tranſit. Eſt enim ens ſucceſſiuum, & numquam in eodem ſtatu permanet. Definitur autem ab Ariſtotele, *Tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius*. Solis namque circuitus cæterorum motuum eſt menſura, ac diſtinguit horas, dies, Hebdomadas, Menſes, & Annos, qui Temporis ſunt partes, aliquæ priores, poſteriores aliæ, vt ex dictis liquet.

L. Semper in ff. l. 50. tit. 6. de iure immunit.
S. Dam. ep. de Triſag.
Dan c. 7.
Iob. c. 12.

II. Partes temporis, quæ præcedunt eas, quæ ſequuntur, Prærogatiuà Prioritatis, antecellunt: Vndè profitetur etiam Imperator quod: *Semper in ciuitate noſtra ſenectus venerabilis fuit: namque maiores noſtri penè eumdem honorem ſenibus, quem magiſtratibus, tribuebant*. Hinc Sanctus Baſilius apud Sanctum Ioannem Damaſcenum ſcripſit: *Quicquid antiquitate excellit venerationem meretur:* Vndè etiam retulit Propheta Daniel quod, *Antiquus dierum ſedit*: ſedere verò præcellentis eſt: *Senectuſque, venerabilis eſt*, Temporis prærogatiua; eo autem magis quo: *In antiquis eſt Sapientia, & in multo tempore prudentia*; & quia in antiquitate alia recondi cenſentur nobis ignota. Hinc ſuperior patebit Regula, & ſequentibus magis elucidabitur.

Cod. l. 8. tit. 18. L. ſi decreto qui potiores &c. L. 11. potior ff l. 20. t. 4 qui potior. L. qui generaliter. ff qui potiores in pign. L. ſi generaliter. C. qui potior. L. Eos qui. C qui pot.

II. *Præualet iure, qui præuenit tempore* [Inquit Iuſtinianus, & ideò]; *Potior eſt in pignore, qui prius credidit pecuniam, & accepit hypothecam*. Nam *qui generalitèr bona Debitoris pignori accepit, is potior eſt, cui poſtea prædium ex his bonis pignori datur, quamuis ex cæteris pecuniam ſuam redigere poſſet*. Hinc *ſi generalitèr bona ſint obligata, & poſtea res alij ſpecialitèr pignori detur: quoniam ex generali obligatione potior habetur creditor, qui antea contrahit, & eos, qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, priuilegijs omnibus, quæ perſonalibus actionibus competant, præferri conſtat*. Limitari tamen videntur ſuperiores leges ex ſequenti textu.

Quamuis conſtet ſpecialitèr quædam, & vniuerſa bona generalitèr aduerſarium ſuum pignori accepiſſe, æquale ius in omnibus habere, iuriſdictio temperanda eſt. Ideòque ſi certum eſt poſſe eum ex

his

Digitized by Google

bis, quæ nominatim ei pignori accepiſti, interim tibi non auferri Præſes Prouinciæ iubebit. *L. Quæ ali C. de Pign. & Hypot.*

CAP. LXVII.

De Argumento à Fortiori.

Cui licet, quod plùs eſt, licet vtiquè, quod eſt minus.

I. HOmo, & Rationalis, & diſcurſiuus dicitur: quià Ratione ex vno in aliud currit, & in aliud ex alio diſcurrit: non ſicut irrationabilia animantia, quæ in obuijs ſiſtunt cognitionibus, nec ex vnius cognitione diſcurrunt ad aliorum notitiam. Ergò homo Rationis vi aliud ex alio diſcurrendo agnoſcit: Aliquandò autèm Paria ſunt illa duo, & tunc diſcurſus, qui fit, dicitur à *Pari*, & à *ſimili*, vel ſunt *diſparia*, & hinc argumentatio dicitur à *Fortiori*: fitque dupliciter. 1. vel affirmatiuè à conceſſione maioris inferimus, & minoris conceſſionem, & dicitur *à maiori ad minus*. 2. vel negatiuè à negatione minoris infertur, & maioris denegatio, & dicitur *à minori ad maius*; Huius argumentandi ratio frequentiſſima eſt etiàm in Sacris Scripturis.

II. Hanc Regulam clarificant Textus, qui ſequuntur, & ex illa etiàm ipſi clareſcunt: nimirùm: *non debet* (ait Imperator) *cui, quod plus eſt, licet, quod minus eſt, non licere: ſiquidèm* (Papa inquit) *plus ſempèr in ſe continet, quod eſt minus, & In toto, partem non eſt dubium contineri. In toto ſanè & pars continetur, & in eo, quod plus ſit, ſempèr ineſt minus*: reperit Cæſar. Vndè *cui ius eſt donandi, eidem, & vendendi, & concedendi ius eſt*: & Propterea: *qui poteſt inuitis aliquibus alienare, multò magis, & ignorantibus, & abſentibus poteſt*. Vndè *vbi maius conceditur: minus conceſſum eſſe videtur. Promiſſum, ac Propoſitum non videtur infringi, cùm in melius mutatur*; in meliori enim bonum continetur. *L. 1. non debet ff. de Reg. Iur. c. L. 4. In toto. De reg. Iur.*

CAP.

CAP. LXVIII.

De iuſtè lucrando.

Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura.

I. DEcantatur quotidiè hoc Rationis naturalis Dogma. *Alteri ne facias, quod tibi fieri nolis*: Iuſtitia hoc inſtructa Dogmate iſtud & repetit, ac ſic explicat. *Honeſtè viuere: Alterum non lædere: Ius ſuum vnicuique tribuere*. Ergò nec Ratio, nec Iuſtitia conſentiunt, vt alterius iura violemus, vel alteri damna inferamus. Vndè fit, vt cùm diuiſa ſint rerum dominia, nemo aliena vſurpare poſſit, vt ſua augeat bona, ſeſeque locupletet; ſed per Contractuum viam res alienas commodare oportet; ſecùs alium iniuria afficeret, & obligaretur ad Reſtitutionem: hinc ſequentium patet ſenſus.

C. Locupletari. De reg. Iur. 6. L. Debiti. ff. de condict. in debit. L. Iure natura. ff. de Reg. Iur. Cic. off. l. 3. L. cum his. de tranſ.

II. *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura*. Nam *hoc numquàm æquum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem* (inquit Cæſar). *Iure* enim (repetit) *natura æquum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletem. Detrahere enim aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis contrà naturam eſt, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt, aut corpori accidere, aut rebus externis; ſecundùm namquè naturam eſt neminem id agere, vt ex alterius prædetur inſcitia* (ait Cicero). Ergò aliquis non debet ex alieno damno eſſe locuples.

Digitized by Google

CAP. LXIX.

De Paritate Iuris.

Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur.

I. N*Emo dat, quod non habet*: populare verbum eſt, quod cunctis patet, & verum eſt etiam in phyſicis. Nullum enim agens, uel nulla cauſa aliquid dat, ſeu aliquem producit effectum, qui in ipſa cauſa non præexiſtat in virtute eius, ac potentia: hinc dicebat Moyſes obiurgando Hebræos: *Num de petra hac vobis aquam poterimus eÿcere?* (*Num. c. 20.*) In Moralibus autem multò magis locum habet ſuperius effatum: hinc S. Petrus claudo petenti eleemoſynam reſpondit: *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* (*Act. Apoſt. c 3.*) Vndè manifeſti ſunt hi legales Textus: ſcilicèt.

II. *Nemo plus iuris ad alium transferre poteſt, quam ipſe habet;* (*L. nemo plus ff. de reg. iur.*) repetit ſuperiorem Summi Pontificis Regulam Imperator; *Et nemo plus commodi haredi ſuo relinquit, quam ipſe habet*: (*L. nemo plus cōm. ff. de Reg. iur.*) & viciſſim qui recipit, debet cum eodem Imperatore profiteri: *Non debeo melioris conditionis eſſe, quàm auctor meus, à quo ius in me tranſijt*: (*L. In his ff. de reg. iur.*) *Nam abſurdum eſt plus iuris habere eum, cui legatus ſit fundus, quàm haeredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viueret.* (*L. Aliud eſt ff. de reg. iur.*) Igitùr [concludit Innocentius Tertius]: *Regularitèr nullus plus iuris transferre poteſt, quam eum conſtet habere*: hinc etiàm. (*C. nuper de donat. inter virum, & uxorem.*)

III. *Traditio nihil ampliùs transferre debet, vel poteſt ad eum, qui accipit, quam eſt apud eum, qui tradit. Si igitùr quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert, ſi non habuit, ad èum, qui accipit, nihil transfert. Quotiès autèm dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit*: (*L. Tradit. ff. de acqu. iur. domin.*) & ideò; *qui in ius, dominiumue alterius ſuccedit, iure eius vti debet, & quod ipſis, qui contraxerunt, obſtat, & ſucceſſoribus eorum obſtabit*, (*L. qui in ius ff. de reg. iur.*) & è contrà: *Cùm quis in alicuius locum ſucceſſerit, non eſt æquum ei nocere hoc, quod aduerſus eum non nocuit, in cuius locum ſucceſſit.* (*L. qui in ius ff de reg. iur.*) *Plerùmque emptoris eadem cauſa debet eſſe circà petendum, ac defendendum, quæ fuit auctoris.* (*L. Quod ipſis ff. eod.*) Deniquè concludit Pontifex: *Is, qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille vti debet.* (*L. Inuitus. ff. eodem.* *L. c. Is qui de reg. iur 6*)

C A P. LXX.

De Infamia.

Infamibus porta non pateant dignitatum.

I. VIrtus *Diuinum quiddam* eſſe videtur, quod in mentibus hominum æſtimationem ſui, ac opinionem bonam, in lingua
Ibid.p.4.c.27. Famam, in Actibus honorem, & obſequium parit [vt diximus alibi]: Hiſce enim digna eſt virtus, & virtute præditi hiſce paritèr digni conſtituuntur. Fama à fando dicitur, ſcilicèt cùm non ſolùm eſt plurimorum loquela, ac publica vox; ſed centena ora (quæ Famæ attribuuntur) alicuius virtutem prædicant, & Fama filia bonæ opinionis eſſe videtur, quamuis ſæpè non diſtinguantur, & hæc neceſſaria nobis eſt, vt alijs prodeſſe valeamus: ſicut bona Conſcientia nobis ſolis prodeſt. Nam efficaciſſima eſt Ratio, quæ ex honeſti, probique viri ore nobis allegatur. Fama autèm virum probum, Fideque dignum nobis atteſtatur: quamuis autèm Fama virtutis potiſſimum ſit prædicatrix: nihilominùs, & vitia etiam promulgat; quinimò promptior, & facundior eſt in hiſce diſſeminandis; Vndè
Virgil. cecinit Poeta. *Fama malum, quo non aliud velocius vllum*; & in hoc euentu non *Fama*; ſed *Infamia* dicitur, vel *mala Fama*, ex quorum contraria definitione magis eluceſcent.

II. *Exiſtimatio*, quæ eadem cenſetur; ac *Fama*, *eſt dignitatis*
L. Cognitionum.ff. de varijs, & extra. cogn. l.50. *illeſæ ſtatus, legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto noſtro auctoritate legum, aut minuitur, aut conſumitur*: ſic docet Imperator. *Infamia* è contrà *eſt leſa dignitatis ſtatus legibus, ac moribus comprobatus*; ſeu eſt famæ diminutio, ac exiſtimationis detrimentum; patet autèm ex dicta Imperatoris definitione, quod Fama diuiſibilis eſt, & minui poteſt per partes, vel in totum conſumi.

III. Fama [vt dictum eſt] ex bonis moribus oritur. Mores autèm aliqui ſunt naturales, ſeu qui Rationi naturali congruunt; Alij autèm Ciuiles, qui à iure poſitiuo, ac lege ſpecialitèr approbantur; hinc Infamia duplex aſſignatur. Prima eſt *Infamia facti*, cùm facta ipſa à natura, ſeu à naturali lumine, apud graues viros reprobantur. Altera eſt *Infamia Iuris*, cùm Ius irrogat aliquibus hanc notam, ac ignominiam, quæ quandòque à iure irrogatur proptèr deprauatos mo-

Digitized by Google

mores naturales; aliquandò verò ob ſolos mores ciuiles violatos, quæ in hoc caſu in virum idoneum incidere poteſt, vt hiſce declarat Iuſtinianus. *Probrum, & opprobrium idem eſt* (ſeu Infamia) *Probra quædam natura turpia ſunt, quædam ciuilitèr, & quaſi more Ciuitatis, vt puta furtum, adulterium natura turpe eſt. Enimverò tutelæ damnari, hoc non natura probrum eſt, ſed more Ciuitatis. Nec enim natura probrum eſt, quod poteſt etiàm in hominem idoneum incidere.* L. Probrũ. ff. de verb. ſign.

IV. Virtus ergo eſt, proptèr quam aliquis dignus euadit. Ipſa enim eſt primaria dignitas, vel origo dignitatis, & idcircò virtute præditi, & honore digni habentur, & ipſi alijs præficiuntur, vt cæteris proſint, & vt à cæteris honorentur: vndè eorum præfecturæ dicuntur etiam *Dignitates*, & quia dignis conferuntur, & quia digni veneratione cenſentur, & hinc dicuntur etiam *Honores*, ſed & *Onera* appellantur. Nam ſicut magnus eſt honor alijs præeſſe; ſic etiam magnum eſt onus alios ſapientèr regendo ſuſtinere; Vndè *En Atlas ipſe laborat*: fabula veritatem docet. Eſt enim *Onus Angelicis humeris formidandum*. Liquet igitùr quod quod huiuſmodi Dignitates virtutis nitore fulgentibus ſint conferendæ: imò non ſolùm dignis; ſed *dignioribus*: vti ipſemet Deus noſtros ob oculos quotidiè hanc ponit veritatem. Nam duo luminaria magna fecit, ſcilicèt Solem, & Lunam; vt præeſſent diei, ac nocti; vt ſcilicèt intelligeremus, quod præeſſe debeant, qui virtute lucent; vt ipſe Chriſtus aſſeruit, dicens Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundi, luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt*; *qualis* enim *Rector Ciuitatis, tales, & inhabitantes in ea* (inquit Eccleſiaſticus): *& Regis ad exemplum totus componitur Orbis*. Si autèm hæc luminaria obſcurarentur virtutum defectu, & vitiorum exceſſu, non mererentur præeſſe. Hinc patent ſequentes Textus. S. Math. c. 5. Trident. ſeſſ. de ref. c. 1. & ſeſſ. 22. c. 1. de Refor. Eccl. c. 10.

V. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Cui Imperator adſtipulatur, dicens: *Neque famoſus, & notatus, & quos ſcelus; aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cætu ſegregat, dignitatis portæ patebunt*: ſicut etiàm *Infamibus* [ait Pontifex] *actus legitimi interdicti ſunt*. L. 2. neque. C. de dign. C. licet. De Teſtib.

CAP. LXXI.

De Rebus Sacris.

Semèl Deo dicatum, non eſt vlteriùs ad humanos vſus transferendum.

Pſal. 23.
Exod. c. 13.
Inſt. Inſt. De rerum Diuinis §. ſacra.

I. D*Omini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo*: decantat Rex Dauid: Vndè ipſemet Deus profitetur, dicens: *mea ſunt omnia*: nihilominùs aliqua peculiari modo Dei fiunt, & dicantur; ſicut ipſe Deus, etſi Cælum, & terram impleat; attamen in templis manufactis dicitur peculiaritèr adeſſe: *Res* autèm *Sacra ſunt, quæ ritè per Pontifices Deo dicata ſunt* (inquit Iuſtinianus. Conſecratio autèm duplex eſt. Prima eſt ſimplex ritus, quo Res Deo dicatur: vti ſunt ſimplices Benedictiones: Altera eſt, qua Res Deo dicatur, cùm in vnctione Chriſmatis, & hæc antonomaſticè *Conſecratio* nuncupari conſueuit. Conſecrantur verò Deo, vel 1. *Perſonæ*, vt Clerici, ac Religioſi, vel 2. *loca*, templa, ac Altaria. 3. vel *Res*, vt vaſa, veſtes, & cætera ſupellex Eccleſiaſtica. Qui autèm Sacra violat, ſacrilegus eſt. Nam.

C. Quæ multoties. de reg. Iur.
Daniel c. 5.
Mach. c. 4.

II. *Quicquid in ſacratis Deo rebus, & Epiſcopis iniuſtè agitur, pro ſacrilegio reputatur; quià ſacra ſunt, & à quoquàm violari non debent* (inquit Stephanus Papa): pari modo quæ ſemèl ſunt Deo ſacra, non debent ab hominibus vſurpari; ſecùs grauitèr indignatur Deus: vti exemplo Balthaſſar Regis edocemur; Vndè Machabæi lapides Altaris contaminatos à Gentibus: *repoſuerunt in monte domus, in loco apto, quoadvſquè veniret Propheta, qui reſponderet de eis*; patet igitùr quod *ſemèl Deo dicatum non eſt vlteriùs ad vſus humanos conferendum.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXII.

De Numero.

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

I. QVidquid eſt, vel eſt vnum, vel eſt plus quàm vnum. Nomina, Verba, dictiones, vel orationes, quæ vnum ſignificant, dicuntur *numeri ſingularis*: quæ verò ſignificant plus quàm vnum, appellantur *numeri pluralis*: nimirùm, quià plura ſignificant; vt autèm vera ſit locutio numeri pluralis, vnum non ſufficit; ſed vt minimum duo ſunt neceſſaria; Vndè ſic Imperator decernit: *Vbi numerus teſtium non adÿcitur, etiàm duo ſufficient. Pluralis enim locutio duorum numero eſt contenta*: ad hanc rem ſic S. Paulus ſcribit ad Galatas: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius: non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in vno.*

L. *vbi numerus. ff. de Teſtib.* S. P. *Gal. c.* 3.

II. Apud Græcos dictionum triplex eſt numerus. 1. *ſingularis* ſignificans vnum. 2. *Dualis* ſignificans duo. 3. *Pluralis* ſignificans plus quàm duo; apud nos tamèn duo ſunt tantummodò numeri ſupradicti; aduertendum autèm, quod cùm inſigniores viri loquentes dicunt *Nos*, vel ad eos alij loquentes dicunt *Vos*, & ſimilia, non ſignificantur eſſe plures; ſed *Maieſtas* denotatur: niſi fortè dici vellemus, quod cùm Populos repræſentent, pluriumque conſilijs vtantur: ideò ipſi pluralitèr loquuntur, & pluralitèr ad eos loquimur.

CAP.

AXIOMATA RECENTIORVM Elucidantur.

CAP. LXXIII.

Introductio.

Chramuel. Theol. fũdam. n. 789

I. INgenioſiſſimus Caramuel de Theologorum Axiomatibus ſic ad rem noſtram diſſerit: *Præter*(ait) *Bonifacij Pontificis Maximi Regulas, quas expoſui* (*ſunt multa etiam Axiomata, quæ vocantur* Theologica, *quòd ipſis Theologi vtantur, aut etiam interdùm abutantur; video enim ex eiſdem frequentèr Axiomatibus diuerſas, aut etiam aduerſas conſequentias deduci, quæ non poſſent ſine Præmiſſarum abuſu: Sed huius morbi medicina à Dialectica petenda eſt; fruſtrà enim legitimus Axiomatũ vſus ab alia facultate ſperatur. Vt video hæc Theologica Axiomata ſolent ſupponi, non probari; at nos qui loquimur hominibus aure Oculata præditis nil omninò ſupponimus, omnia omninò probamus. Tuũ erit doctiſſimè lector, tuà nos adiuuare cẽſurà, & monere, an etiã nos aliquo Axiomate abutamur, ne ſimiles ei ſimus*(videtur cũ Ariſtotele monere Caramuel) *qui eam, qua vſurus ſit, Regulam prius inflectit.* *Regula enim* (ait Seneca) *non quam formoſa, ſed quàm rectè ſit queritur.* Nam (ait Plutarchus). *Neceſſe eſt primò omnium ipſam Regulam rectam, ac firmam eſſe, atque deindè ea, quibus applicatur, ipſa quoque ſuis ſimilia facere, atque ad rectitudinem.*

Ariſt. rhet. l. 1. c. 1. Sen. ep. 76. Plut. p. 2. Ad princ. inerud.

II. Vndè patet quod ſi in Axiomatum meridie tenebreſcit humana Sapientia, quantò magis in cæteris per ſe incertis noſter caligabit intellectus? Vti Seneca indicat dicens. *Fluctuamus* inquit) *inter varia conſilia, nihil liberè volumus; nihil abſolutè, nihil ſempèr. Stultitia* (inquis) *eſt, cui nihil conſtat, nihil diù placet; ſed quomodò, aut quando nos ab illa reuolemus? Nemo per ſe ſatis valet, at oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat. Nam longè* (ait Plato) *grauius periculum eſt in diſciplinis, quam in cibis emendis. Hæc itaque cum ſenioribus diſcutiamus. Iuniores namque nos ſumus, quam exigat tantæ rei iudicium;* hac de cauſa Ioel Propheta hi-

Sen. ep. 12. Plato l. 17. Protagoras Ioel c. 2.

Digitized by Google

hiſce ad Fideles loquitur: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem Iuſtitiæ.*

CAP. LXXIV:

Opinio Auctore non caret. Probabilis eſt. Tueri quis poteſt.

De Doctore, eiuſque Auctoritate.

I. TAm rara eſt rerum Scientia, quam frequens eſt ſciendi præſumptio: propter primam, cum Magno Philoſopho Socrate ita profeſſus eſt S.Hieronymus. *Hoc tantum ſcio, quod neſcio;* S.Hieron. Præf. Bibl. ad Paul. propter alteram Sapiens ſic exclamat: *O præſumptio nequiſſima, vndè creata eſt?* Eccl.c.37. Rarior autem eſt ſcientia morum, vtpotè, quæ etiam morum probitatem exigat (vt diximus): hinc eſt quod etſi plures ſe iactent conſiliarios, adeò tamen pauci prudenti pollent conſilio, vt dicit, ac monet Sapiens: *Conſiliarius ſit tibi vnus de mille;* quaſi dicat vnus valeat pro mille: nam *ſtultorum* (ait Eccleſiaſtes) Eccl. c.1. *infinitus eſt numerus*, quibus vel ſcientia vel probitas deeſt (vti explicat D.Auguſtinus): cui aſſentire videtur D.Franciſcus Saleſius. Ergò non quilibet Doctor, vel auctor ex mille; ſed vnus ex millibus Introd.p.1. c.4. eſt auſcultandus; quià cùm plures ſe èxiſtiment doctos, exiſtimant ſuam ſententiam eſſe veritatem: Nàm *Via ſtulti recta in oculis eius;* qui autèm *Sapiens eſt, audit conſilium;* & vt cæci cæcos profitentur Prou. c.12. rectâ dirigere viâ. Memores igitùr eſſe debemus, quòd.

II. In Dei Eccleſia ſunt Prophetæ, ſunt & Pſeudoprophetæ: ſunt Apoſtoli, & ſunt Pſeudoapoſtoli. Eſt Chriſtus, ſunt & Pſeudochriſti; S.Matt.c.24 ſunt Doctores, ſunt, & Pſeudodoctores; De quibus hiſce Ezechiel S.P. Cor.2. c.11. Populum Iſrael monet; *Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael erant. Vident vana, & diuinant mendacium:* & D.Paulus Ezech c.13 item monet Timotheum quòd ſunt aliqui: *volentes eſſe legiſdoctores,* S.P.Tim. 1 11. *non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant;* S P.Tim. 2.c.3. & iterùm Timotheum monet de ſimilibus; *Mali homines, & ſeductores proficient in peius: errantes, & in errorem mittentes. Tù verò permane in his, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris* (nota) hic quòd inſuper ſignat Apoſtolus Magiſtri, ac Doctoris qualitatem, quæ in primis eſt ſpectanda; etenim, *Primus diſcendi ardor* (inquit S.Ambroſius) *nobilitas eſt Magiſtri*: non qualiſ- S. Amb. de Virg.l.2.

liſcumque Doctor indiſtinctè eſt audiendus; ſed Doctor literis, & moribus nobilis eſt conſulendus, nè in Pſeudodoctores incidamus, à quibus nos cauere admonuit ipſemet Chriſtus, cùm dixit; *Attendite à falſis Prophetis. Attendite* quidèm: quià *Eum, qui à deceptione tutus viuere, debet ſummoperè à ſimilitudine cauere oportet. Nàm*
Plato l.15. Sophiſta. *cani ſimilis eſt lupus ferus manſuetiſſimo* (inquit Plato). Ergò etſi opinio non caret Auctore, ſæpè tamèn Auctor caret Fide; quià Doctoris nomine decoratur; ſed doctrinæ caret dote; & nihilominùs
Prou. c.12. ſibi ſapiens videtur (vt diximus cum Salomone), vel ſi doctus eſt, deeſt illi probitas, quæ duo ad moralium rerum danda conſilia exiguntur; (vti dicemus ex ipſo quoquè Caramuele). *Ferè* enim
Par.3.c.20. 21. (*vt breui abſoluam*) *præcipuam mores faciunt fidem*; [inquit Ariſto-
Ariſt. rhet. l.1.c.2. teles) quam ſic commentari videtur Seneca; *Ex ijs, qui ſunt, eligamus non eos, qui magna verba celeritate præcipiant, & commu-*
Sen. ep. 52. *nes locos voluunt, & in priuato circulantur; ſed eos, qui iuſta docent, qui cùm dixerint, quid faciendum ſit, probant faciendo; qui docent, quid vitandum ſit, nec vmquàm in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur; eum elige adiutorem, quem magis admireris, quàm cùm audieris*; quis, qualiſqe adiutor oporteat eſſe, & innuimus ſuprà, & iterùm dicemus. Adiutor ergò, ſeu Doctor talis ſit, ne ei improperetur; *Medice cura teipſum*. Omnia hæc per-
S. Iſidor. ſent. l.3.c. 37. & 41. ſtringit, & approbat S. Iſidorus Hiſpalenſis ſic; *qui benè docet, & malè viuit, videtur bonum malo coniungere, lucem tenebris commiſcere, veritatem mendacio mutare. Porrò multi ſunt* (inquit idem Sanctus), *qui non ex conſulto ædificandi, ſed ex tumore ſuperbiendi, docent; nec vt proſint, ſapientes erunt; ſed vt Sapientes videantur, docere ſtudent.*

De Opinione Probabili.

III. Sepoſitis Fidei articulis, pauciſque alijs, plurima ſunt incerta, ſeu plurimorum latet Veritas, nèc patet falſitas. Neutra namque demonſtrantur; Vndè Incertum eſt medium intèr verum, ac falſum quoad noſtram cognitionem. Medium autèm participat de ambobus extremis; Sic incertum ex parte videtur verum, & ex alia parte videtur falſum, adeò vt ſit probabile vtrimque, nimirùm ſimilitudinem aliquam vtriuſque gerit, & cùm vnicuique ſuum inſit ingenium, quod intellectum, & affectum in alterutram partem magis inclinat; hinc fit vt *In quibus certitudo non eſt, in his diuerſis agimur opinionibus* [inquit Ariſtoteles] & cùm quælibet opinio veriſi-
Ariſt. rhet. l.1.c.2. militudine nitatur; *Omnis opinio probabilis eſt*: *Tueri quis poteſt.*

Nàm

Nam Incertæ rei non demonſtratur nec veritas,nec falſitas: ſi nō demonſtratur falſitas,ergò non eſt improbabilis,ergò tueri eā quis poteſt,quia vbi nulla affertur demonſtratio,nullum eſt argumentū inſolubile ; eò magis, quò *nihil tam incredibile* (inquit Cicero) *quod dicendo non fiat probabile*. Cum autem plura videantur, nec ſint, quæ videntur.Propterea. Cic.Parad.

IV. Dominus monet; *Eſtote boni Trapezitæ*. *Omnia* ſiquidem *probate* (inquit Sanctus Paulus) *quod bonum eſt tenete*. Ergò articulus iſte areſcit : vndè eximius ille ſocietatis Ieſu Prepoſitus Generalis P. Mutius Vitelleſchi *Epiſtola* 2. *Circulari*, eumdem tamquam vitis aridæ palmitem ex Societate proiecit dicens. *Nonnullorum ex ſocietate ſententiæ in rebus præſertim ad mores ſpectantibus plus nimio liberæ non modo periculum eſt, ne ipſam euertant ; ſed ne Eccleſiæ Dei vniuerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant* [Superiores] *vt, qui docent, ſcribuntue, minimè hac regula, & norma in delectu ſententiarum vtantur : Tueri quis poteſt. Probabilis eſt. Auctore non caret : verum ad eas ſententias accedant, quæ grauium, maioriſque nominis Doctorum ſuffragijs ſunt frequentatæ ; quæ bonis moribus conducunt magis*. Hactenus vir ſenſatiſſimus, qui vnus ex mille optimus eſt Conſiliarius : Non ergò cuicumque Doctori, vel qualicumque Probabilitati eſt acquieſcendum, ſed *videte ne quis vos decipiat*, & videte *quomodò cautè ambuletis* (admonet Diuus Paulus) *non quaſi inſipientes ; ſed vt ſapientes*. Cautionis vero eſt declinare à malis, quæ ſub ſpecie boni ſe offerunt agenti ; ſicut autèm malus poteſt eſſe Doctor, ſic & Doctrina mala tradi poteſt. Ergò omnia probanda ſunt, & quod bonum eſt tenendum, & quidem *Rem ipſam diligentèr examina* (ait Plato) Nam & ſcitote, quod. S.P. Theſſ. 1.c.5. S.P.Coloſſ. c.2. S.P. Epheſ. c.5. Plato l 18. Euthydem.

V. *Veritas angulos non amat* [vt inquit Sanctus Hieronymus] *Anguloſæ verò ſunt opinionum viæ, flexuoſæ humani ingenij ſemitæ*, ac cum *pluribus excuſationum anfr actibus*, *ſemita* autem *iuſti* (inquit Iſaias) *recta eſt, & rectus callis iuſti ad ambulandum*. *Quis ſapiens* [ait Oſeas Propheta] *& intelliget iſta? Intelligens & ſciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis ; preuaricatores verò corruent in eis*, ſed aliquos tædio afficiunt huiuſmodi Iuſtorum viæ, & ideò planiores excogitant. At *væ* (ſubdit Eccleſiaſticus) *qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient, cum inſpicere cœperit Dominus? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius, & qui diligunt illum, conſeruabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita ſunt ei, & qui diligunt eum, replebuntur lege ipſius* (nota). *Qui timen Dominum* S Hieron. ep.13 l.2. Ruff. Iſa.c.26. Oſea c.14. Eccl.c.2.

præparabunt corda ſua , & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius, dicentes. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus domini (nota) *& non in manus hominum* (nota etiam). Explicare ſuperiora verba mihi videtur Tridentina Synodus *in multis offendimus omnes, vnuſquiſque ſicut miſericordiam, & bonitatem; ità ſeueritatem, & iudicium* (nota) *ante oculos habere debet, neque ſeipſum aliquis, etiam ſi nihil ſibi conſcius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano* (nota) *iudicio examinanda, & iudicanda eſt: ſed Dei* [nota] *qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo: qui reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.* Non ergò ex hominum opinione iudicandi ſunt homines; ſed ex Dei iudicio in veritate. *Nemo credit. Nemo credit. Nemo credit* (exclamauit raptus in extaſim quidam Sanctus) *quam diſtrictum ſit Dei iudicium, qui ſcrutabitur Hieruſalem in lucernis,* & Iuſtitias iudicabit cum poteſtate, & Maieſtate Magna. Attendamus ergò, & animaduertamus.

Trid. ſeſſ. 6. c. 16.

CAP. LXXV.

Qui ſequitur opinionem probabilem, prudentèr agit.

I. *MVndum tradidit Deus diſputationi* [prędicat Eccleſiaſtes]: quia emergente ignorantia cum peccato occumbit Sapientiæ lux, & tamquam in tenebris omnia penè ſunt incerta, quia omnium ferè latet veritas, nec tamèn innoteſcit falſitas: vndè cum veritas, nec falſitas clarè appareat, fit, vt omnia partim vero, partim falſo ſint ſimilia, ſintque ex falſo, & vero mixta ferè cuncta: ſicuti cum dies non affulget, nec nox, tunc mundum obumbrat diluculum, mixtum ex die, ac nocte; ità vt potuerunt Euangeliſtæ veracitèr ſcribere, quod mulieres adierunt Chriſti Domini ſepulcrum, *cùm adhùc tenebræ eſſent*; & alter *orto iàm Sole*. Etenim nec perfectè euanuerat nox, nec plenè aduenerat dies; ſed erant claritas obſcurata, & obſcuritas clarificata: nimirùm lux dubia, quæ *crepuſculum* dictitatur à *crepero*, ideſt *dubio*; [vt Calepinus ait] Ad hanc rem ſic philoſophatur Plato (in Dialogo quinto de Republica) *Intèr cognitionem, quæ enti tribuitur, & ignorantiam, quæ non enti datur, media eſt opinio. An non ſupradiximus, ſi quid*

Eccleſ. c. 3.

ap-

Digitized by Google

appareret tale, vt ſimùl eſſet, & non eſſet, illud intèr omnè ens, & omninò non ens, eſſe ponendum? nequè ſcientiam ad illud, nequè ignoratiam pertinere, ſed quid medium intèr ignorantiam, & ſcientiam, & medium iſtorum opinionem vocamus. Illud itaquè reſtat, vt arbitror, inueniendum quod vtriuſque ſit particeps, ipſius eſſe, ſcilicèt & non eſſe, neutrumque illorum ſincerè dici debeat: vt ſi nobis pateat opinabile quiddam meritò nuncupemus, extremis quidèm extrema, medijs autèm media tribuentes.

II. Opinabile autèm quod eſt medium intèr euidens *eſſe*, cuius eſt ſcientia, & intèr *non eſſe*, cuius eſt ignorantia, apparet aliquandò tale, non quia Rationes firmæ ſint; ſed quià talitèr eſt diſpoſitus intellectus, qui ſic opinatur; ſicut ægro placet, vel diſplicet cibus pro ſui palati diſpoſitione. Si vniuerſa penè ſunt dubia, ac opinabilia: vniuerſa quoquè ex conſequenti ſunt vtrimque *Probabilia*: quià ſcilicèt, & veri, & falſi admixtione conſtant, quoad noſtram cognitionem: nec euidentèr vera, nec euidentèr falſa. Ergò cùm omnia penè ſint Probabilia, omnia quoquè licent ex Recentiorum ſententia, cùm ſufficiat Probabilem ſequi opinionem. Prætereà.

II. Veritas, ſeu ſapientia, cognitio veritatis eſt quidam Sol, qui apparendo intellectui per euidentem Rationum demonſtrationem affert diem: ſin autèm minùs claræ Rationes appareant, minùs videt & Intellectus. Minora autèm lumina ſunt Rationes probabiles, quæ veluti diluculò ex die, ac nocte admixtæ rei veritatem patefaciunt. Ergò lumen eſt probabilitas: *Omne* enim, *quod manifeſtatur lumen eſt* (inquit S. Paulus). Sed Probabilitas rem aliqualitèr manifèſtat. Ergò aliquale lumen eſt. Probabilior autèm magis manifeſtat, maiuſque lumen eſt, quàm Probabilitas: ſed maius lumen offuſcat minus (vt diximus cum S. Hieronymo;) S. Ioanne Damaſceno, & D. Thoma, & experientia patet: Ergò Probabilior Probabilem offuſcat. Ergò vbi apparet Probabilior, euaneſcit Probabilis. Ergò ſi non vult ambulare in tenebris, ſequi debet Probabilioris lumen. Vlteriùs. Par. 3. c. 6. 7. 8. 9.

IV. Similitudo eſt cauſa amoris (vt vulgò dicitur) ex Regula autèm Proportionum, ac trium, quæ & *Regula Aurea* dicitur, ſic differendum videtur; Si vnus ſimilitudinis gradus vnum amoris gradum generat; duo gradus ſimilitudinis duos gradus amoris parient; ſic etiàm philoſophandum videtur de Probabilitate ſectanda. Si vnus gradus (liceat ità loqui) Probabilitatis, quià eſt *Veriſimilitudo*, nobis excitat & amorem veri, & obligationem ſequendi idem; [ſine enim Probabilitate non licet operari] duo gradus Probabilitatis (vti cenſetur Probabilior) magis gignent, & amorem, & obligationem veritatis excitabunt: hoc ſiquidèm differendi genus con-

firmari videtur Talentorum parabola: Nàm qui duo accepit Talenta, ſatisfecit alia duo ſuperlucrando; qui quinque Talenta accepit, alia quinque ſuperlucratus eſt. Ergò qui vnum accepit talentum, cui arridet Probabilis tantùm, non debet abſcondere, illud ſequi negligendo: qui verò duo Probabilioris, alia itèm duo comparare tenetur: *Cùm enim* [inquit S.Gregorius Papa] *augentur dona, Rationes etiàm creſcunt donorum*. Qui lumen, vt duo recepit, videre itèm, vt duo debet, & videndo ſequi: huic ratiocinationi fauere videtur, & hæc; Paucioribus, quàm duobus teſtibus, omni exceptione maioribus, In re graui, non eſt credendum; nàm *in ore duorum, vel trium Teſtium ſtabit omne verbum*; & ecce ratio, ſeu congruentia quod minus, quàm duo Auctores non faciunt opinionem ab auctoritate, Probabilem: Verùm ſi plures quàm duo, vel tres compareant, cæteris paribus, plus deferendum eſt pluribus, quàm duobus: ſic apparenti Probabiliori, vt quatuor, deferendum eſt, relicta probabili, vt duo, ità videtur ſentire, & Plato dùm profitetur: *Ego* (ait) *is ſum, non modò nunc; ſed & ſempèr, qui meorum nulli paream, præterquàm Rationi, quæ ratiocinanti mihi optima* (nota) *videatur*. Nàm *graue periculum* [inquit idem] *fore putandum eſt, ſi quis neglexerit animam. Si enim mors totius diſſolutio eſſet, nimirùm Improbi lucrarentur; nunc autèm cùm anima immortalis appareat, nulla ſupereſt malorum declinatio, nulla ſalus, niſi vt optima, & prudentiſſima* (nota) *fiat*.

S.Gregor. hom.9.in Euang.

Plato l.28. Crito.

Idem l. 29. Phæd.prope ſinem.

Sap.c.3.

V. Superiora confirmare videtur Sapiens dicens, quod Gentiles, qui Solem, ac Lunam Deos putauerunt, habuerunt aliquam errandi probabilitatem, & ideò *in his minor eſt querela, & hi enim fortaſſe errant; Deum quærentes, & volentes inuenire, & perſuaſum habent; quoniam bona ſunt, quæ videntur*. Nihilominus, *nec his debet ignoſci*: quia Probabilior erat Ratio colendi Creatorem, præ Creatura. *A magnitudine enim ſpeciei, & Creaturæ cognoſcibilitèr poterit Creator horum videri. Si enim tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculum: quomodo huius Dominum non faciliùs* (nota) *inuenerunt, quorum ſi ſpecie delectati Deos putauerunt: ſciant quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt* [nota] *ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit*. Ergò inexcuſabiles fuerunt Gentes Idololatræ: quia de his, quæ videntur, bona nõ potuerunt intelligere, quis eſſet artifex. Cùm tamèn Probabilior, ſeu veriſimilior erat ratio, quod Creator, & Creatura colendus erat. Ergò cùm apparet probabilior, dimittenda Probabilis.

VI. Si probabilitas ſufficit. Ergò obuia eſt prudentiæ via, & in promptu, quià obuia eſt Probabilitas. Nihil enim penè eſt certum, nihil itèm penè eſt improbabile (vt diximus). Cùm tamèn *in multo tem-*

tempore ſit prudentia : vti dicunt Iob, & Ariſtoteles ; ſi obuia eſt prudentiæ ſemita, quæ virtutum omnium ità eſt moderatrix ; vt ſine prudentia nulla ſit virtus ; obuia indè fiet virtutis via ; nàm virtus eſt ſequi prudentiæ Regulas : ſed hæ ſunt obuiæ. Ergò obuia eſt virtus; ſed non ſolùm obuia ; ſed & facilis. Nàm Probabile Recentiorum eſt benignum, & onus leue. Ergò omnia obuia, omnia facilia ; Vndè dicunt Recentiores ſe facere aſpera in vias planas, atquè quamplures eorum ſententijs ſaluari animas ; ſi hæc ità ſe habent. Ergò ſuperflua eſt diligentia in quærenda veritate, cùm obuia ſit Probabilitas, quæ ſufficit? Ergò ſuperuacanea vigilantia, ſi vbique occurrit Probabilitas, & ſecum Prudentia. Ergò vana eſt contentio, ac conatus ſeruandæ legis, ſi nullo labore exercetur virtus, cùm hæc probabilitatem comitatur, quæ vbiquè ſe offert, & latam exhibet ſalutis viam : vti Recentiores iactant ; ſed hiſce Ratiocinationibus Sacræ Scripturæ aduerſantur ; quæ diligentiam, vigilantiam, contentionem grauitèr commendant: vt alibi diximus. Ergò ſi falſum conſequens, falſum, & antecedens, vndè ſequitur. *Iob.c.12.* *Ariſt.eth. l.6.c.8.* *Part.1.c. 18.*

VII. In medium proſilit Caramuel, & ſic diſputat. *A controuerſia* (inquit) *illa, qua inquiris. An eligenda ſit probabilior ſententia? facili me expedio negotio : vtor enim hoc cornuto dilemmate : cui nemo, quem audiui, ſatisfacere potuit, ſic diſcurro (Aut ſufficit ſequi opinionem minùs probabilem ; aut debemus neceſſariò ſequi probabiliorem ; ſi primum, ſi ſecundum dicas, cogeris dicere, ſufficere ſequi minus probabilem. Ergò Minorem probo, aut potiùs euidentèr demonſtro, Nàm ſi primum dicas, habeo intentum ; id enim, quod intendo, concedis, ſi dicas ſecundum, ſic arguo. Sequi teneor probabiliorem opinionem. Ergò ex duobus opinionibus, quarum altera docet* ſufficere ſequi minus probabilem, *& altera* hoc non ſufficere ; ſed debere nos ſequi probabiliorem ; *tenebor probabiliorem, at illa quæ docet* ſufficere ſequi minus probabilem [*ſi non eſt moralitèr euidens, & certa, quod puto*] *eſt certior probabilior* (*& non ſolùm communior, ſed vnica ab omnibus Theologis hodiè recepta*) *Tenemur igitùr illam ſequi, nèc ſequi contrariam poterimus.* *Caram. Theol.fūd. p.1.n.170.*

VIII. Validiſſimo Caramueli argumento ſic reſponderi poſſe videtur : primùm per te (Caramuel) communis opinio eſt hodiè recepta, quod Probabilis eſt ſequenda : Nàm (ais) ſi probabilior eſt ſectanda, Probabilem ſequi debemus (ais), quià hæc communis eſt Doctorum (vt dictum eſt) : vbi notandum, quod Caramuel Doctorum numero ſe munit ; ſed numerus non ſufficit ad iuſtificandam actionem, nèc ad roborandam opinionem : vt ex Imperatoria, Pontificia, ac Sanctorum Patrum auctoritate oſtendimus. Nàm non numerandi ſunt Doctores ; ſed ponderandi, quantum ponderis Do- *Par.3.c.22*

ctrinæ, ac virtutis habeant, non quantum nominis; vti etiàm nos docuit ſuprà Caramuel, & nos indicauimus cum ipſo, & prius quod, aut Probabilior ſit ſequenda, oſtendimus, grauiſſimè etiàm ex legibus, Philoſophis, ac Sacris Canonibus. Ergò hæc ſcilicèt Probabilior, non Probabilis eſt eligenda; iuxtà ipſum quoque Caramuelem. Secundo Probabilitas ex ipſo quoque Caramuele duplex eſt. 1. *Intrinſeca*, & *Rationalis*, quæ eſt potior. 2. *Extrinſeca*, & *Authentica* inferioris ponderis. Caramuel autem nititur hac extrinſeca Doctorum. Nos autèm cum Probabilitate intrinſeca indicauimus, quod Probabilior ſit amplectenda. Ergò huic potiori cedere debet fundamentum Caramuelis. Probabilitatis autèm Intrinſecæ libet hanc vnam repetere Rationem, ſcilicèt, nemo tenetur ſequi Probabilem, quia eſt *Veriſimilis*. Nam cum apertam non habet Veritatem, Veriſimilitudinem ſequi debet: ſed Probabilior eſt Veriſimilior. Ergò Probabiliorem ſequi tenetur: hæc Ratiocinatio innititur huic Ariſtotelis dicto: *ſimpliciter ad ſimpliciter, magis ad magis*, & etiam Regulæ Proportionum, ac Trium, cuius ſolidam ſolutionem meum non aſſequitur tenue ingenium.

IX. Demùm hæc argumentatio Caramuelis eſt quidem inſolubilis, non proptèr rationum euidentiam; ſed proptèr contradictionis implicantiam. Nam Intellectus noſter tantæ eſt virtutis, vt cognoſcat res, & cognoſcat ſe cognoſcere res, & millies ſuprà ſeipſum, ſuaſque reflectit operationes, quæ fiunt obiectum, cum ſint actus, & eò procedit, vt faciat entia rationis, quæ ſolum eſſe habent *obiectiuè*, & ſunt entia chimerica, & impoſſibilia, cuiuſmodi ſunt vnio contradictoriorum, adeo, vt intellectus faciat impoſſibilia in ſua intentione, quæ ex omni naturæ ordine, ac regula recedunt. Vndè de ſimilibus non poſſumus iuxtà conſuetas Regulas iudicare, vel diſſerere; ſed cum à communi ordine exeant, à communi loquendi, vel ratiocinandi vſu ſunt reijciendæ. Huiuſmodi ſunt Propoſitiones quædam reflexæ ſuprà ſeipſas, quæ & ſeipſas deſtruunt, & ideò *Inſolubiles* dicuntur, qualis eſt hæc; *omnis propoſitio eſt falſa*. Si omnis eſt falſa; ergò hæc eſt vera, ſi iſta eſt vera; ergo non omnis propoſitio eſt falſa. Sic *Probabilior eſt ſequenda*, ſed Probabilior eſt, quod non ſit ſequenda Probabilior. Ergo Probabilior eſt ſequenda, & non eſt ſequenda, & ecce contradictionis implicantia. *Omnis homo mendax*, dixit Dauid. Ergò ſi eſt vera, Dauid mentitus eſt, ſi mentitus eſt. Ergò non fuit vera; quia etiàm ipſe fuit mendax in hac ipſa propoſitione. Item cælum tegit omnia Corpora. Ergò tegit ſeipſum; Ergò tegit omnia, ac non tegit: caput præeſt toti corpori; ſed in toto corpore extat etiam Caput. Ergò præeſt Caput Capiti, & ſic præeſt, & non præeſt, quia nemo præeſt, & eodem tem-

Digitized by Google

tempore, eodemque reſpectu ſubeſt, ſic etiam Papa præeſt toti Eccleſiæ; ſed ipſe eſt in vniuerſali Eccleſia. Ergò præeſt etiam ſibi, & non præeſt; quia etiam ſubeſt. Hæ omnes ſolui facilè videntur, ſi intelliguntur cum *ſuppoſitione accommoda*, hoc eſt vno excepto Papa, vel Capite, vel Cælo, vel Dauid. Inſupèr poſſunt reijci tamquam Cauilatoriæ, ac inutiles quæſtiones quæ non faciunt ad Rem moralem. Huiuſmodi enim argumentandi ratio non eſt Moraliſtarum; vt dicit etiam Seneca; ſed potius Sophiſtarum; *Qui autem ſophiſticè loquitur, odibilis eſt*. Sophiſta enim verbis eſt Præſtigiator, & Sapientiæ imitator, cum tamèn verè non ſit ſapiens; vti Plato docet. *Sen. ep. 102. & 111. Eccl. c. 37. Plat. l. 15. Sophiſta.*

X. Similis eſt alia eiuſdem Caramuelis de numero Auctorum, vt fiat probabilis opinio. Nam ſi requirantur quatuor [vt dicunt] vnus ſufficit, quia plures, quam quatuor aſſerunt, quod vnus ſufficit. Vbi notandum quod *In ore* ſaltèm *duorum, vel trium ſtabit omne verbum*, qui ſint omni exceptione maiores, qui deponant de certa ſcientia, ac immediatè ipſi ſciant veritatem, adeout ſi Teſtis ſingularis haberet pro ſe plures alios Teſtes, nihilominùs ipſe eſt ſingularis, quantumuis ſit omni exceptione maior propter aliorum teſtimonium, nec ideò rem plenè probaret, ſic niſi ſaltèm duo Auctores immediatè ipſi, & ex profeſſo veritatem ipſam ſe cognouiſſe teſtentur, etſi plures vnius efferant dictum, non ideò probat, ac probabilis fiet preciſè opinio, vti confirmare videtur Propoſitio 27. ab Alexandro VII. damnata. Nam rem ipſam teſtari oportet, de qua vnus tantum deponeret teſtimonium, cum cæteri teſtentur de Fide, ac idoneitate Teſtis ſingularis. *Caram. n. 265.*

XI. Modernorum pace. Ipſi aliquatenùs videntur ſimiles eſſe antiquis. Gentiles enim quamcumque Diuinitatis ſpeciem, ſiuè in Luna, ſiuè in Stellis, vel in Sole colebant. Non ſinè aliqua Probabilitate (vt ipſemet Sapiens innuit). Imò etiàm *Simulacra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum*, quæ ipſi figurabant & aſſimilabant imagini hominis, perlinientes rubrica, & rubicunda, faciebant fuco colorantes ea, quorum vnumquodque non poterat eis prodeſſe. Imago enim erat, & opus illi adiutorium: ſic iſti Moderni noua arte fingunt opinionum Idola, eaque varijs rationum coloribus aſſimilant veritati; *Dij noſtri opera manuum noſtrarum* [apud Oſeam profiteri videntur]; Verùm vana eſt huiuſmodi imago veri, de qua Ephraim admonere Oſeas videtur [dicens] *Ephraim: vt quid mihi vltrà Idola*? Idola hæc opinionis ſunt, quæ à Recentioribus coluntur: Vndè dicebat Propheta Samuel, quod ſibi fidere, alijſque nolle acquieſcere, genus erat idololatriæ; E contrà Antiprobabiliſtæ (vt dicuntur à Modernis) non apparentibus; *Sap. c. 13. Oſea. c. 15. Oſea c. 14. Reg. 1. c. 15.*

ſed

ſed veris moti argumentis veritatem ipſam colunt; vndè ſibi vindi-
Sap.c.15. care queunt : *non in errorem induxit nos hominum artis excogitatio; nèc vmbra picturæ, labor ſine fructu, effigies ſculpta per varios colores, cuius aſpectus incenſato dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem ſinè anima*: vti Modernis Probabiliſtis contingere videtur. Anima namquè probabilitatis ratio eſt, quæ non puræ hominum opinioni; ſed vel naturali lumini, vel Sacris Scripturis: vel Sanctis Patribus, vel Summorum Pontificum decretis, vel Regum ſanctionibus innititur: mortua autèm eſt Probabilitatis imago, cùm nulla horum animatur ratione; ſed fulcitur tantùm hoc fundamento; *Ipſe dixit*; quod in ſuperioris quidèm ore fundamentum eſt perfectæ obedientiæ; In ſimplicis autèm Doctoris voce fundamentum eſt minus prudentis operationis.

XII. Timeo, nè Amor proprius, Magiſter errorum, vtpotè diſcipulus Diaboli, qui ab initio in veritate non ſtetit, Recentiores fallat, ſicut fefellit ipſe Sathanas transfiguratus in Angelum lucis, Regem quemdam dormientem, oſtendens ei Regiam gemmis, auroquè renitentem ſibi paratam; quam nihilominùs incautè præeli-
Eccl.c.3. gens, ipſe Rex contrà Sancti Vlfrani monita Regiam Paradiſi amiſit iuxtà illud dictum; *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes. Somniare nonnè, id eſt* [ait Plato]
Plat.l.31. Dial.5.de Repub. *quandò ſiuè dormiens quis, ſeu vigilans, quod alicui ſimile eſt, non ſimile; ſed ipſum eſſe cenſet, cuius eſt ſimile.*

CAP. LXXVI.

Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

I. FOlia huius *Indicis* ſcrupulis omnia plena; (inquit Recentior) viam planam faciunt aſperam; Anguſtant latam ſalutis viam, quam Recentiorum Benignitas, ac ſtudioſum ingenium dilatant, & imponunt humeris hominum obligationum onera importabilia, & plura ſtatuunt proximo offendicula in via Æternitatis, contrà ipſiuſ-
Iſa.c.57. met Dei mandatum, per os Iſaiæ ſic præcipientis *Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via Populi mei.*
Iſa.c.62. *Tranſite* (repetit) *tranſite per portas, præparate viam Populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate ſignum ad Populos.* Cum igitur voluntas ſit Dei, quod auferantur offendicula, & planum fiat iter: Væ huius *Indicis* plantatori, qui vias difficiles facit, ac offendicula viatoribus ponit. Nam *qui foueam fodit, incidit in eam, &*
Eccl.c.7. *qui*

qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum aliјs ponit, peribit in illo. Tot autem ſunt in hiſce folijs laquei, [vt cum D. Antonio exclamare compellar: *Heu mihi quot laquei?* Vt hiſce quærelis plenè ſatisfiat: ita ego differendum cenſeo.

II. O doloſa humani ingenij ſtatera, & iniquum pondus! In Politicis ſi dies, noctesque conterantur pro vno honoris Puncto vindicando; ſi comitia, ſi conſilia multiplicentur hyeme frigido, æſtate percalida, omnia iuſtè, ac prudentèr fieri prædicant: nèc ſcrupulos appellant apices ambitionis. In bello pro ampliandis pedum finibus, vel tuendis, quot ſuſpiciones, quot conſultationes, quot excubiæ, quot exploratores, quot vigiles, quot cuſtodes, quot Caſtra, quot labores, quot pericula, quot pugnæ, quot neces, quot excidia. In commercijs quot curæ, quot cautelæ, quot clauſulæ, quot conſulta, quot labores, quot contemptus, quot expenſæ, quot pericula ſuſcipiuntur; vt modicum breuiquè duraturum comparetur lucrum. In mulieribus, quot adinuentiones excogitantur; imò Mundus mulieribus eiſdem paratur, ac plures horas ſua ante ſpeculum torquent Capita, in frigore, & nuditate ſe affligunt; integris noctibus choreas protrahunt; vt vanitati vacent, & ſatisfaciant millenæ, ac indiſpenſabili ſæculi conſuetudini, nèc audet quis ſcrupulos hæc vanitatis Deliramenta appellare, quinimò Rationabile obſequium Conuenientiæ, Ciuilitatis iactant, & cauet omnis aſſerere cuiuſmodi eſſe nimium ſæculi obſequium; cùm tamèn ſæpè periclitatur etiàm corporis ſalus. At ſi dimidium horæ pro anima, vel in Conſcientiæ diſcuſſione, vel in nouiſſimorum meditatione ſit inſumendum, mox nimiùm prædicatur, & ſcrupuloſum Conſilium, ac indiſcretus Conſiliarius. In Eccleſiaſticis quot ſtudia, quot artes, quot curæ, vt proficiant ad altiora, & omnia hæc iure fieri vniuerſus proclamat orbis. *Pro Anima* verò: *Pro Aeternitate: Pro Deo Optimo Maximo*; quodcumque ſtudium ſcrupulus dictitatur, & omne *Modicum* dicitur *Nimium*; Proh Sæculi noſtri dementia, & infelix tempeſtas: Aquilæ, & cæci: Aquilæ pro ſæculi rebus: cæci pro Paradiſi gloria; Vndè iuſtiſſimè conqueritur Chriſtus, quod *Prudentiores ſunt Filij huius ſæculi Filijs lucis* (cùm tamèn dicat Deo Dauid); *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, & ideò *Beatus vir*, qui timet Dominum, *in mandatis eius volet nimis*. At modò inuertitur Sanctiſſimus Ordo; Mundus vult nimis; Deo parùm, ac ferè nihil datur, ac defertur. Sed opponunt Recentiores Chriſti dictum; ſcilicèt: *Iugum meum ſuaue eſt*: quibus ſic reſpondetur, iuxtà iàm dicta. S.Luc.c.16 Par.1.c.19

III. Iugum eſt quidèm incohantibus, ſuaue proficientibus, Iugum Senſibus, ſuaue Spiritui, Iugum Tepidis, ſuaue volentibus, Iugum ſi ea, quæ dimittuntur, penſantur, Suaue, ſi ea, quæ pro-

Sen. ep. 50. mittuntur, conſiderantur. Non pigeat, & hic ex Seneca quid Rationis lumen oſtendat, agnoſcere. *Virtus* (ait) *ſecundùm naturā eſt: Vitia inimica & infeſta ſunt: Sed quemadmodum virtutes receptæ exire non poſſunt, faciliſque eorum tutela eſt: ità initium ad illas eundi arduum* [nota] *quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ eſt formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens* (nota) *vt incipiat, deindè non eſt acerba medicina: protinus enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt. Philoſophia pariter, & ſalutaris, & dulcis eſt:* permittat etiam ſemel Lector Senecam allegare, qui eò magis me vrget, quò ſolo Rationis lumine hæc præſtanda docet: dicit igitur: Porrò *non iſta difficilia* Sen. ep. 61 *ſunt natura; ſed nos fluidi, & enerues. Magno animo* (nota) *de rebus magnis iudicandum eſt: alioquin videbitur illorum vitium eſſe, quod noſtrum eſt. Sic quædam rectiſſima, cum in aquam demiſſa ſunt, ſpeciem curui, perfractique viſentibus reddunt, non tantùm quid videas, ſed quemadmodùm, refert. Animus noſter ad vera proſpicienda caligat. Sapiens ſtat rectus ſub quolibet pondere.* Sed.

S. Ephr. de varijs tormentis inferni circa finem. IV. De hac re audiamus Sanctum Ephrem Syrum ſic loquentem: *Contendite intrare per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam. Per hanc fratres ambulemus viam, & vitam æternam hæreditate poſſideamus. Qui enim hanc ingreditur, procul dubio æternæ vitæ poſſeſſor euadet. Cum hæc ipſa via ſit vita, & licet pauci ſint, qui inueniant illam, nos tamen Cariſſimi non fruſtramur eam. Nullus noſtrum extra hanc ambulet, ne ad perditionem accedat. Hanc beatam inſequamur viam, quam cuncti ambularunt, quicumque deſiderarunt* Chriſtum. *Huius quidem ingreſſus cum tribulatione, atque preſſura iuncti ſunt; ſed requies beata. Huius ingreſſus auſteri, ac tetrici; at retributio gaudium. Huius ingreſſus anguſti ſunt, verū diuerſorium latum, atq; amplum. Huius via inceſſus, ieiuniū, oratio compūctio. Hi anguſtæ portæ, & ſtrictæ viæ ſunt greſſus, atque inceſſus, quæ fœliciſſimam ſibi vendicat retributionem, ipſum regnum cœlorum, cuius non erit finis vmquam. Lata autem eſt porta, & ſpatioſa via, quæ deducit ad perditionem. Cuius greſſus ſunt, pro præſenti quidem læti, ac hillares; ſed illic triſtes, hic dulces, at ibi felle amariores. Hic leues, iſti hic graues, & dolore pleni.* S. S. Hier. ep. 20 l. 2. quoque Hieronymus fusè, & grauitèr eadem ſe ſentire ſcribit ad Celantiam. *Aſperam nobis & inſuauem virtutum viam nimia facit vitiorum conſuetudo, quæ ſi in partem alteram transferatur, in-* Prou. c. 24. *uenietur, ſicut Scriptura dicit: Semita iuſtitiæ leuis. Vna certè Res quæritur magnitudo, & generoſitas animi, quam non ætas, non inopia, non diuitiæ, non aliquid aliud, ne ad virtutem peruenias,*

Digitized by Google

coercebit [ſubdit Sanctus Cryſoſtomus]. Vide ergò ex Sanctiſſimi Ephrem, & D.Hieronymi verbis, quomodò Iugum Domini intelligendum ſit eſſe ſuaue, & via Paradiſi plana. Quod ſequenti diſcurſu magis patebit. S. Cryſ. in Math. c. 12. hom. 44.

V. Deus omnia diſpoſuit in *pondere, numero, & menſura*, qui propterea fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura. Cum autem Deus Iugum hominibus imponat; Iugum iſtud erit cum pondere, numero, & menſura. Ponderat namque ſpiritus Deus; numerat auxilia gratiæ, & metitur hominum vires. Hinc Iugum euadit ſuaue; quemadmodum verò ponderat Iugum, ne viribus ſit impar: ſic metitur ſuauitatem, ne immodica ſit, Iugoque inimica. Pondus namque ineſt cunctis, nihilque ſine pondere reperitur: vndè igitur ſuauitatem ſine pondere, numero, & menſura, Chriſti Iugo attribuunt Recentiores? Nam paſſim, & vbique reſpondent, & iactant quod *Iugum Dei ſuaue eſt?* & Iugum adeò minuunt, vt ſine menſura fiat ſuauitas, & ſine pondere Iugum. Nam Iugum totum ſpumeſcit in ſuauitatem, ac euaneſcit: Iugum eſt; ſed ſuaue: ſuaue eſt; ſed Iugum eſt: ſiquidem ſuauis eſt Chriſti grauitas, & grauis ſuauitas; nam omnia *fortitèr, & ſuauitèr* diſponit: ſuauitas autem ſine grauitate non eſt Dei. Vndè Iob dicit, quod *Sapientia non inuenitur in terra ſuauitèr viuentium*. Si ergò *mel inueniſti, comede, quod ſufficit, ne fortè ſatiatus, euomas illud*. Si in lege ſua offert Deus aliquid mellis, caueas ne nimia dulcedine expleri ſtudeas; ne ex corde euomas deindè legem. *Ne quid nimis*: nec nimium pondus; nec nimia ſuauitas; ſed ſicut *Dulcis, & rectus Dominus* (vt canit Dauid) ſic ſuauis eſt, ac recta lex, nec ſit ſine grauitate ſuauitas; nec ſine ſuauitate grauitas. *Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia, & veritas*; canit idem: vti nupèr cum Eccleſiaſtico, ac Tridentina Synodo innuimus. Sap. c. 11. Iob c. 28. Sap. c. 8. Iob c. 28. Prou. c. 25. Pſal. 24.

VI. Iugum Dei ſuaue etiam eſt, ob alias cauſas; tum proptèr vnctionem Spiritus Sancti: tum proptèr Chriſti, Sanctorumque exempla, tum proptèr æternæ vitæ ſpem. *Momentaneum enim hoc, & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis* [ait Sanctus Paulus). Vndè S.Franciſcus Aſſiſas, ſic ſuos hortabatur Fratres. *Voluptas breuis; Pæna perpetua*: *Modica paſſio. Gloria infinita. Magna promiſimus, ſed maiora promiſſa ſunt nobis*, ſed de hoc egimus alias. S. P. Cor. 2. c. 4. Par. 1. c. 19.

VII. Animaduertendum Chariſſimi eſt igitùr, quod non hominibus ex molli hominum opinione, ſed iuſto Iudici Deo in Veritate eſt ratio reddenda, & quod vbi ceciderit lignum, ibi remanebit in æternum. In æternum! O Æternitas! Deus bone huius mihi infunde viuenti magnam cogitationem, nè mortuus deſcendam in æter- Eccl. c. 11.

S.Franc. Sal.ep.21. l.2. nam combuſtionem, & Sanctum imiter Franciſcum Saleſium, qui ſic profitetur. *Ego neſcio; Ego tamèn viam Sanctorum, ac ſimplicium, qui nos præceſſerunt, diligo*; qui via Regia Euangelicæ doctrinæ, non per diuerticula tot opinionum ambulauerunt. Nàm *ſimplicitas* (non ſubtilitas) *iuſtorum diriget eos* (inquit Sapiens). Prou. c.11. Hæc noſtra doctrina à Ieremia Propheta hiſce confirmatur; Ier.c.6. S.Hier.ep. 19.l.2. *State ſupèr vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea*; cui ſic alludit S.Hieronymus ad Furiam ſcribens: *Poſt Scripturas Sanctas, Doctorum hominum tractatus lege eorum duntaxàt, quorum fides nota eſt. Non neceſſe habes aurum in luto quærere; Sta iuxtà Ieremiam in vijs pluribus, vt ad illam viam* (nota), *quæ ad Patriam ducit, peruenias*. Ergò intèr plures, bona eſt eligenda. Ergò melior; *antiquorum* (ſcilicèt) *Sapientiorum* (exponit Liranus). Cùm Sanctis fidei lumine illuſtratis Plat.l.31. Dial.1.de Repub. liceat adiungere Platonem Rationis naturalis lumine merè præditum: *Valdè deluſor ſenilibus ſermonibus. Videtur enim mihi audire ab his oportere, qui viam aliquam iam perfecerint, quæ & nobis fortaſsè peragenda erit, quàm aſpera, & difficilis, vel quàm facilis ſit, & peruia*.

VIII. Superiorem doctrinam ſic Recentior obiurgat: Heroicum Magnæ Thereſiæ Votum fuit agendi quidquid melius, illi occurriſſet pro Dei honore; ſed qui aſſerit nos ad Probabiliorem teneri, ad ſimile votum nos obligare contendit; Verùm ipſemet Deus ad conſilia perfectionis nos inuitat; ſed non compellit; nèc D.Thereſia adeò celebranda foret, ſi vouiſſet communem implere obligationem, nèc cæteri tuta conſcientia viuerent, niſi cum eadem Sancta ſimilitèr profiterentur; ſed hoc eſt falſum. Ergò & id, vndè ſequitur. Hæc obiurgatio facilè ſic refellitur. *Probabilius*, & *meliùs* D.Th. 1.2. q.19.ar.5. diuerſa ſunt; ſicut *Veritas*, & *Bonitas*, ſeu honeſtas actionis [vt ex D.Thoma]. Veritas enim obiectum eſt intellectus. Bonitas voluntatis. Ergò diſcernuntur, ſicuti Intellectus, & Voluntas diſtinguuntur, & pòteſt quis obligari ad *Probabilius*, & non ad *melius*; Exemplo Res patefiet. Meliùs eſt præbere alteràm maxillam percutienti, vt monuit ipſe Chriſtus, & tamèn Probabilius eſt nos non teneri ad hoc, niſi in præparatione animi. Meliùs eſt non litigare; vti cum Chriſto etiàm monuit D.Paulus; Probabiliùs nihilominùs eſt, nos non teneri abſtinere à lite; Meliora erant, ac de meliori bono Decreta Concilij Prouincialis, & nihilominùs reiecta fuerunt à Gherardo Epiſcopo Cameracenſe ſapientèr tamquàm minùs probaBar. 1034. n.4. bilia; vti refert Baronius. Ergò *Probabilius*, & *Melius* diſtinguuntur, & ſeparari poſſunt. Ergò Moderna Ingenia non exonerant nos hoc pondere, quod ab Antiquis iactant grauari Fideles. Probabiliùs

Digitized by Google

lius verò quod ſequendum dicimus , illud eſt , quod quærenti dili-
gentèr veritatem , occurrit .

IX |Non abs re arbitror eſſe auream hanc Platonis ſubdere ſenten- *Plat. l. 34. de legibus Dial. 3.*
tiam ; nimirùm *non eſt precandum , conandumque , vt voluntatem*
noſtram cuncta ſequantur , ſed vt prudentiam noſtram voluntas ,
reſpiciendumque , non ad vnam tantùm virtutem , ſed omnes ; ma-
ximè verò ad primam , quæ & cæterarum omnium Dux eſt ? Hæc
verò prudentia eſt , & intellectus , & opinio vna cum amore , &
cupiditate iſta ſequente . Non voluntatem ratio ; ſed Rationem vo-
luntas ſequi debet . Nàm *Homini ſuum bonum* [inquit Seneca] *Sen. ep. 76.*
Ratio eſt : ſi hanc perficit : laudabilis eſt , & *finem naturæ ſuæ attigit*
hæc Ratio perfecta Virtus vocatur , eademque Honeſtum eſt . Hæc
antecedit animalia, Deos ſequitur .

CAP. LXXVII.

Fæliciora ſunt in opinando Moderna Ingenia , quàm antiqua.

Car. Theo. fund. p. 1. Ded. vt ad Dian. p. 2. n. 52. Dian.

I. FÆlicitas hominis non eſt in corpore ſimile iumentis : ſed in
animo ſimili Angelicis intelligentijs . Non eſt ergò fælicitas
corporis voluptas ; ſed animi virtus . *Summum bonum* (ait Seneca) *Sen. ep. 74.*
in animo conſtituamus . Obſoleſcit , ſi ab optima noſtri parte ad peſ-
ſima tranſit , & transfertur ad ſenſus , qui agiliores ſunt animali-
bus mutis . Non eſt ſumma fælicitas noſtra in carne ponenda . Bona
illa ſunt vera , quæ ratio dat : Virtus ad explendam beatam vitam *Sen. ep. 95.*
ſola ſatis efficax . Voluptas ab omni parte quæritur . Nullum intrà
ſe manet vitium . Virtus autèm vitia edomat , & vitioſas volupta-
tes debellat , non fouet . *Id agere debemus* (repetit Seneca) *vt irri-* *Sen. ep. 51.*
tamenta vitiorum , quàm longiſſimè profugiamus . Indurandus eſt
animus , & à blandimentis voluptatum procùl abſtrahendus . Vim
Annibalis hyberna ſoluerunt : & indomitum illum niuibus , atquè
Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ . Armis vicit , Vi-
tijs victus eſt . Nobis quoquè militandum eſt : & quidèm genere mi-
litiæ , quo numquàm quies , numquàm otium datur . Debellandæ
ſunt in primis voluptates , quæ [vt vides] *ſæua quoquè ad ſe inge-*
nia rapuerunt . Si quis ſibi propoſuerit , quantum operis aggreſſus
ſit , ſciet nihil delicatè , nihil mollitèr eſſe faciendum . Effæminat
animos amænitas nimia , nèc dubiè aliquid ad corrumpendum vigo-

rem

Digitized by Google

rem poteſt regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero vngula eſt. In molli, paluſtrique paſculo ſaginata citò ſubteruntur. Et fortior miles ex confragoſo venit. Segnis eſt Vrbanus, & verna. Nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. In primo deficit puluere, ille vnctus; & nitidus. Seuerior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magis conatibus reddit.

S. Aug. de Ciu. Dei l. 2. c. 20. II. D. Auguſtinus Romanæ Reipublicæ ruinam deſcribens, hanc ex inopia virtutum, & copia vitiorum proceſſiſſe, ex ipſiſmet Romanis Sapientibus, ac Hiſtoricis affirmat: *Venite, fruamur bonis*: videbantur ſe mutuò adhortari; vna floreat voluptas. *Populi plaudant non conſultoribus vtilitatum ſuarum; ſed voluptatum largitoribus. Extruantur ampliſſimæ, atquè ornatiſſimæ Domus, vbi opipara conuiuia frequententur; vbicuique libuerit, & potuerit die noctuque, ludatur, bibatur, vomatur, defluatur*, &c. *Ille ſit publicus inimicus, cui hæc fælicitas diſplicet*. Non ſic vſuueniebat Reipublicæ primordijs: ſed virtutes regnabant, & virtutibus freta imperabat Reſpublica: Hinc ex Ennio Romanos admonebat Cice-

S. Aug. de Ciu. Dei l. 2. c. 21. ro, dicens: *Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque, quem quidèm ille verſum inquit, vel breuitate, vel veritate tamquam ex oraculo mihi quodam eſſe effatus videtur. Nàm nequè viri niſi ità morata Ciuitas fuiſſet, neque mores, niſi hi viri præfuiſſent, aut fundari, aut tamdiù tenere potuiſſent tantam, & tam iuſte, lateque temperantem Rempublicam. Itaque ante noſtram mèmoriam* (aiebat Cicero) *& mos ipſe patrius præſtantes adhibebat, & veterum morem, ac maiorum inſtituta retinebant excellentes viri. Noſtra vero ætas, cum Rempublicam ſicut picturam excepiſset egregiam; ſed euaneſcentem vetuſtate, non modò eam coloribus ijſdem, quibus fuerat renouare neglexit; ſed ne id quidem curauit, vt formam ſaltem eius, & extrema tamquam lineamenta ſeruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit Rem ſtare Romanam, quos ita obliuione obſoletos videmus, vt non modò non colant, ſed etiam ignorentur, Nam de viris quid dicam? Mores enim ipſi interierunt virorum pecunia, cuius tanti mali non modò reddenda ratio nobis; ſed etiam tamquam reis capitis quodammodo dicenda cauſa eſt. Noſtris enim vitijs, non caſu aliquo Rempublicam verbo retinemus, reipſa vero iampridem amiſimus*. Hæc Cicero fatebatur.

III. Proindè qualis eſſet illo temporè Ciuitas, & anteà qualis fuiſſet, videamus in ipſa ſententia Catonis. *Nolite* [inquit] *exiſti-*

S. Aug. de Ciu. Dei l. 5. c. 12. *mare maiores noſtros armis Rempublicam ex parua magnam feciſſe. Si ità eſſet multò pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe Socio-*

rum

rum, atque Ciuium, prætereà armorum, & equorum maior copia nobis, quam illis eſt. Sed alia ſuere, quæ illos viros magnos ſecerunt, quæ nobis nulla ſunt. Domi induſtria: foris iuſtum imperium animus in conſulendo liber, neque libidine, neque delicto obnoxius. *Pro his nos habemus luxuriam, atque auaritiam, publicè ageſtatem; priuatim opulentiam, laudamus diuitias, ſequimur inertiam: inter bonos, & malos diſcrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Neque mirum vbi vos ſeparatim ſibi quiſque conſilia capitis, vbi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ ſeruitis. Eò ſit vt impetus fiat in vacuam Rempublicam.* Vndè ex quæſita corporum fælicitate infælicitas Romanæ Reipublicæ prodiuit. Iſa.c.3.

IV. Eadem penè Regno Iudæ paraſſe lapſum dicit Iſaias ſic. *Dabo pueros principes eorũ, & effaminati dominabuntur eis. Ruit Hieruſalẽ, & Iudas cõcidit, mulieres dominatæ ſunt eis. Populus meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipãt. Stat ad iudicandum Dominus, & ſtat ad iudicandos Populos. Dominus ad iudicium veniet cum Senibus Populi ſui, & Principibus eius. Vos enim depaſti eſtis vineam, & rapinam pauperis in domo veſtra. Quarè atteritis Populum meum, & facies pauperum commolitis dicit Dominus Deus exercituum? & dixit Dominus: Pro eo, quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant. Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra. Et erit pro ſuaui odore fætor, & pro Zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoquè viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mærebunt, atquè lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit.* Diuus quoquè Paulus vniuerſi finem Timotheo prædicens, ait: *Hoc ſcito,* D.P. Tim. 2.c.3. *quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſinè affectione, ſinè pace, criminatores, incontinentes, immites, ſinè benignitate, proditores, proterui, timidi, & voluptatum amatores, magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidèm pietatis, virtutem autèm eius abnegantes, & hos deuita.* Vtinàm ſub oculos noſtros non poneret D. Paulus tempus Eſdra l.4. c.5. noſtrum, ſicuti etiàm prædictum eſſe videtur ab Eſdra.

V. An

V. An fortè dicet aliquis non inualeſcunt vitia, cùm probabilem opinionem ſequitur homo. *Erratis* (reſpondet Seneca) *numquàm bona fide vitia manſueſcunt*: quod in pueris patet, qui cùm ignari ſint boni, ac mali; ſi tamen tempeſtiuè non corrigantur de incipientibus vitijs, cùm indè adoleſcunt, difficilè emendantur (vt alibi dictum eſt). Nàm humani cordis appetitus ſuaptè natura proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua, & eadem obſtetricante, ac fouente natura, ferè adoleſcunt, vt in cęteris animantibus; quamobrèm niſi domentur ab homine, dominabuntur homini, & comparabitur iterùm homo iumentis inſipientibus, & ſimiles fiet illis: Vndè verendum erit, nè Deus iterùm mundum grauibus caſtiget flagellis: vt vexatio det intellectum: ſicut Fidelibus ſub Decio Imperatore contingit, & prædicabat ijſdem diebus S. Cyprianus Martyr (vti ſic Baronius refert.)

Sen. ep. 85.

Baron. an. 253. n. 8. 9.

VI. *Sed antequam agamus de ſingulis, qualiſnam eſſet his temporibus Eccleſiæ ſtatus, quæue præceſſerit cauſa, vt Deus tàm immanem perſecutionem in Eccleſiam ſæuire permiſerit; quid in primis de ea re S. Cyprianus, qui præſens hæc omnia exploratiſſima habuit, memoriæ commendarit, adducamus in medium. Ipſe igitùr in commentario, quem ſcripſit de Lapſis hæc habet de huius temporis Chriſtianæ diſciplinæ vigore planè eneruato, atquè corrupto: Si* (inquit) *cladis cauſa cognoſcitur, & medela vulneris inuenitur. Dominus probari familiam ſuam voluit, & quia traditam nobis diuinitùs diſciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, & penè dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit. Cumque nos peccatis noſtris amplius pati mereremur, clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, vt hoc quod omne quod geſtum eſt, exploratio potius, quam perſecutio videretur. Studebant augendo patrimonio ſinguli; & obliti quid credentes, aut ſub Apoſtolis ante feciſſent, aut ſempèr facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio deuota, non in Miniſtris fides integra; non in operibus Miſericordia, non in moribus diſciplina. Corrupta barba in viris, in fæminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circumueniendis fratribus ſubdolæ voluntates. Iungere cum infidelibus vinculum Matrimonij, proſtituere Gentilibus membra Chriſti: non iurare tantùm temerè; ſed adhuc etiam peiurare. Præpoſitos ſuperbo tumore contemnere, venenato ſibi ore maledicere, odijs pertinacitèr inuicem diſſidere.*

VII. *Epiſcopi plurimi* (*quos & hortamento eſſe oportet cæteris & exemplo*) *diuina procuratione contempta, procuratores rerum*

ſa-

Digitized by Google

ſæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubuenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis fraudibus rapere, vſuris multiplicantibus fœnus augere] *quid non perpeti tales pro peccatis eiuſmodi mereremur? Cum iampridem præmonuerit, ac dixerit cenſura diuina, ſi dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint; ſi iuſtificationes meas profanauerint, & præcepta mea non obſeruauerint: viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Prænunciata ſunt iſta nobis, & antè prædicta: ſed nos datæ legis, & obſeruationis immemores, id egimus per noſtra peccata, vt dum Domini mandata contempſimus, ad correctionem delicti, & probationem fidei remedijs ſeuerioribus veniremus.* Hæc Cyprianus tam magnæ iræ Dei cauſam aperiens. Diuo Cypriano conſonat S. Ambroſius ſic ſcribens. *Periculoſa igitur & pacis otia. In pace plures perſecutiones eſſe cæperunt. Nullus erat tempore perſecutionis adulator* [nota] *qui callida mentem adulatione tentaret. Non vacabat animo corporis delectatione diſſolui, & huiuſmodi quæ ſecundis rebus excitari ſolent, admittere paſſiones.* *S. Ambr. in pſal. 118. ſer. 11.*

VIII. Superiora mala ex modernorum opinationibus oriri facilè patebit, non ità tamen, vt ipſi hæc intendant; ſed quia reipſa ipſorum ſententiæ ad huiuſmodi tendant (ſaltem ex hominum prauitate) qui melioribus etiam bonis abutuntur ad vitioſam libertatem, & nimiam laxitatem; itaut mores noſtri, noſtraque tempora valdè ſint ſimilia, ac maximoperè affinia Fidelium moribus, ac temporibus Decianæ perſecutionis: vt aduertenti patet, & hoc eſt quod dolebat Sanctiſſimus Alexander Septimus, nec non Sanctiſſimus Innocentius Vndecimus, & quod metuebat P. Mutius Vitelleſchi ex liberioribus Recentiorum Sententijs (vt diximus). Nam ex opinionum benignitate, & indulgentia Doctorum, laxantur naturæ noſtræ appetitus, & hoc ideò eliguntur) & relaxatione appetituum, oritur vitium. Vitium autem ruina eſt hominis, & generis humani; ſicut è contrà virtus Parens eſt omnis boni. Hinc Apoſtolus ſcribit ad Romanos. Ergò *fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus: ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* An autem reuera tot malorum genera eruperint in Chriſtiana Republica; nimis experientia magiſtra docemur, nimis etiam patet ex condemnatis propoſitionibus, & earum examine, & ex alijs, quæ impoſterùm præſcribentur; fauent enim eos prauos animi affectus, qui à Diuo Paulo prædicantur, & ex quibus Regnorum excidia profecta eſſe, deſcribuntur; vt ſuprà. *Tolle ergò hoc vitium de Clero, ne velint* *S. P. Rom. c. 8.* *Par. 4.*

Digitized by Google

S.Criſoſt. in c.23. Mat. n.44. *hominibus placere, & ſine labore omnia vitia reſecantur*; ità profitetur S.Ioannes Criſoſtomus.

IX. Vndè liquet quod moderna ingenia feliciora ſunt in opinando pro corporis fęlicitate, quæ infęlix eſt, ac infenſa animabus, & Reipublicæ Chriſtianæ. Nam Chriſtiana Reſpublica moribus antiquis Sanctorum cæpit, & iiſdem eſt conſeruanda (vt innuit Sanctus Cyprianus), qui labore plurimo (vt deſcribit Sànctus Paulus) Deo ſeruierunt, & cæteri eamdem debent imitari viuendi formam. S.P. Cor.2. c.11. *Itaque* [inquit Diuus Paulus] *fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in opere Domini ſempèr, ſcientes. quod labor veſter non eſt inanis in Domino*. S.P.1 c.15. Nam etiam monuit, & Cato quod *virtutem poſuere Dij ſudore parandam*. Virtus fęlicitatem, Virtutem vis, ac labor parit; nam *Arcum intenſio, animum remiſſio frangit*, & Diuus Hieronymus repetit, *qui edere vult nucleum, frangat nucem*. S.Hier.ep. 14 ad Paulin.l.2. Et ad Euſtochium diſertè ſic ſcribit. Ad Euſt. ep.17.l.2. *Nonne melius eſt breui tempore dimicare, ferre vallum, arma ſumere, laſſeſcere ſub lorica, & poſtea gaudere victorem, quam impatientia vnius horæ ſeruire perpetuò? Nihil amantibus durum eſt. Nullus difficilis cupienti labor. Amemus Chriſtum, eiuſque ſempèr quæramus amplexus, & facilè videbitur omne difficile. Breuia putabimus vniuerſa, quæ longa ſunt. Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Niſi vim feceris, cœlorum regno non capies.*

Plat.l.11. Hippias. X. Superiori Recentiorum iactationi ſatis fuiſſet hoc Platonis oppoſuiſſe dictum. *Priſcos homines præferre ſempèr Recentioribus conſueui:* Eccl.c.39. imò ſatis, ſuperque fuiſſet obijciſſe hanc Eccleſiaſtici ſententiam. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens.* At mordax Recentiori videbor: ſed *Apud Deum* [pro me Sanctus Hieronymus reſpondet) S.Hier. l.1. ep.35 ad Euſtoch. *nihil tantum ſuaue placet, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis*. Nam *Ita ſe natura habet, vt amara ſit veritas; blanda vitia exiſtimantur* [inquit idem]: S.Hier. l.1 ep.16 ad Bonatum. Quamobrem ne mihi veraci indignetur: *nam veritati iraſci nefas eſt* (ſubdit ipſe Plato. Plato l.31. Dia.5.de Rep. Profiteor tamen nullius mores, ſed morum doctrinam morderi velle: ſicut ſexcenties profeſſus ſum: nec contentionis, ſed veritatis zelo hoc præſto: *nequaquam* enim (repeto cum Platone) Plato de ſummo bono l. 10. Philabus. *iſtud contendere debemus: vt quæ ipſe pono, aut quæ tu, vincant; ſed ei, quod veriſſimum eſt* (nota) *faueamus*. Veritate autem, odij parente, compellor mordere: quia timeo Ezechielis ore indictum, *væ*, ſcilicet: *væ, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.*

S.Hier. l.2. ep.20. XI. *Ponamus ergò* (concludit Sanctus Hieronymus ad Celantiam)

Digitized by Google

tiam) *iam rationem vitæ noſtræ : & per quam potiſſimùm gradiamur viam, conſcientia teſte diſcamus*. *Omne enim quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de anguſta via eſt, ſi cùm primis anguſtum iter, & ſubtilem quamdam ſemitam inuenimus, ad vitam tendimus. Si verò multorum comitamur viam, ſecundùm Domini ſententiam imus ad mortem*. Ex hoc meus horreſcit animus nè de hac Recentiorum fœlici (vt dicunt) via adimpleatur illud Salomonis. *Eſt via* (ait), *quæ videtur homini iuſta : nouiſſima autèm eius deducunt ad mortem*; vel illud Eccleſiaſtici dicentis : *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*. Auertat Dominus tantum malum. Prou. c. 14. Eccl. c. 21.

CAP. LXXVIII.

Bona Fides excuſat,

I. TRes ſunt in hoc mortali mentis humanæ itinere veluti ſtationes, ac ſtatus, in quibus rationabilitèr ſiſtere poteſt. Prima ſtatio eſt euidens rei cognitio, quæ cùm ſit euidentèr rei, ſeu obiecto conformis, dicitur *Veritas primaria*, & *intrinſeca*; quam primò Intellectus appetit, & totis viribus quærit : *Omnis* enim *homo natura ſcire deſiderat*; hoc eſt, euidentèr rem cognoſcere. *Secunda ſtatio* eſt *Probabilior rei cognitio*; cùm ſcilicèt deeſt euidens; ſed ſuccedit cognitio rei ex validioribus Rationibus, quæ moralitèr haberi poſſint, & huiuſmodi cognitio dicitur *Veritas ſecundaria*, & *extrinſeca*, & *Bona Fides*, ſeu *Veritas putata*; quià ſincerè, & ex corde, ac rationabilitèr quis hanc putat eſſe veritatem, & pro tali reputatur etiàm à Sapientibus; Vndè dicit Imperator, quod *Bona Fides pro veritate accipitur*. *Tertia ſtatio* eſt *Diuina Reuelatio*, cùm deſunt naturales Rationes; ſed *auctoritas Diuina* loquitur : huic enim ſtare, & acquieſcere debet omnis homo, ob infallibilem loquentis ſapientiam, ac veracitatem; hæc Platonis etiàm eſt doctrina (vt innuimus ſuprà) & huic accedit S. Bernardus. In hiſce tribus ſiſtere rationabilitèr poteſt homo; ſed Recentiores quamplures alias indicant, nimirùm, quot ſunt *Probabilitates*, tot ſunt tutæ ſtationes, & vbiquè, per ipſos, ſecurè ſtamus. At contraria oſtendimus, & ſic iterùm diſſerimus. L. Bona fides. ff. de reg. iur. Plat. l. 29. Phedo. S. Berd. 5. c. 3. de conſider. Par. 3.

II. Sol oriens ex noctis tenebris (vt noſtro loquamur more) procedit ad diluculum : ex diluculo ad auroram, ex aurora ad perfectum diem procedit. *Omne* enim *Totum habet pricipium, medium*,

Digitized by Google

Plato l. 9. Parmen. *& finem* (inquit cum Ariſtotele Diſcipulo Magiſter Plato) medium verò *æquo interuallo ab extremis vndiquè diſtat , non enim alitèr eſſet medium* : ſic & nos in Veritatis cognitione creſcere oportet , ex ignorantiæ tenebris ad primum cognitionis diluculum , ex diluculo procedendum ad clariorem lucem ; vt perfectam rei cognitionem tamquàm in meridie, aſſequi nobis contingat ; ſic enim nos monet in Epheſijs S.Paulus . *Eratis aliquandò tenebræ , nunc autèm lux in Domino , vt Filij lucis ambulate . Fructus enim lucis eſt in omni bonitate , & Iuſtitia , & veritate* (nota) *in omni veritate* : *Et nemo vos ſeducat inanibus verbis* . Ergò procedendum in cognitionis lumine , vt Sol in die : ſiquidèm : *ambulate dum lucem habetis* (inquit Chriſtus)ambulamus autèm cognoſcendo, & amando : Vndè S.Petrus ait ; *Creſcite in cognitione Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti* ; nec eſſet prudens , qui diluculi luce contentus foret, maioremque reſpueret . Ergò minùs prudens eſt etiàm , qui Probabiliorem relinquit : quod ſic etiàm patet.

S.P. Epheſ. c.5.

S.Pet. 2.c.1

III. *Omnis cura* pro animæ ſalute eſt afferenda : vti idem D.Petrus ſcribit , & *ſatagendum eſſe* . At non adhibet omnem curam , nec agit ſatis , qui cùm poſſit ſe meliùs certificare de veritate, omittit hoc agere . Non eſt enim omnis cura , vbi altera rationabilis deeſt ſolicitudo ; hinc accedit iterùm Plato , ſic dicens : *Non eſt diuinius aliquid , quo de quis conſulere queat , quàm de inſtitutione ſui , atquè ſuorum* ; & in hoc opera danda , pro vt res tanti momenti exigit . *Nàm graue* [repetit alibi] *periculum fore putandum eſt , ſi quis neglexerit animam ; etenim cùm anima immortalis appareat , nulla ſupereſt malorum declinatio , nulla ſalus , niſi , vt optima , & prudentiſſima fiat* ; quibus Platonis verbis dant Pondus hæc Eccleſiaſtici,ſi ponderentur, verba : *Sapientiam omnium* (nota) non vnius , vel paucorum *antiquorum* [nota & hoc] *exquiret* (pondera diligentèr) *exquiret Sapiens* [non nomine tenus], *& in Prophetis vacabit* (nota) , *occulta Prouerbiorum exquiret* (non tantùm perfunctoriè quæret) , *& in abſconditis parabolarum conuerſabitur* (nota) non per tranſennam aſpicit . Quàm vera huiuſmodi ponderatio, quantique ponderis hiſce comprobat S. Ambroſius . *Quantò excelſior virtus eſt ſapientia, tantò magis enitendum eſſe* [nota] *arbitror nobis ; vt aſſequi eam poſſimus . Itaquè nè quid contrà naturam , nè quid ineptè , atquè indecorum ſentiamus : duo hæc , ideſt & tempus , & diligentiam* (nota) *ad conſiderationem rerum , examinandi gratia , conferre debemus*. Porrò *ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia , & recedere à malo intelligentia* : ſubdit Iob : nèc Bonam prætexere , ac prætendere licet ; quià .

Plat. l. 3. Theag.

Plat. l. 29. Phædo.

Eccl. c. 39.

S. Amb. of l. 1. c. 26.

Iob. c. 28.

IV. Bo-

IV. Bona Fides eſt, non ſolùm, cùm quis ſincerè putat rem ità ſe habere; ſed etiàm cùm hæc exiſtimatio eſt inculpabilis, nèc habet rationabile fundamentum opinandi contrarium; vel ſi habet principium dubitandi, diligentèr rem examinat, & nihilominùs perſuaſus manet, hoc peragi prudentèr poſſe; nàm ſi diligentiæ inueſtigandi ipſe deſit, deerit, & ipſi bona Fides rectè operandi. Eſſet enim error, indirectè ſaltèm volitus: vt ex ſequentibus S. Iſidori verbis confirmari liquet. *Neſcire enim ſimplicitèr ad ignorantiam pertinet: noluiſſe verò ſcire ad contumacem ſuperbiam. Voluntatem quippè proprij Domini velle neſcire, quid aliud eſt, quam velle Dominum ſuperbiendo contemnere? Nemo igitùr de ignorantia ſe excuſet, quià Deus non ſolùm eos iudicat, qui à cognitione ſua reuertuntur; ſed etiàm qui neſcierunt, teſtantè eodem Domino per Prophetam: Diſperdam* [*inquit*] *homines à facie terræ, & eos, qui auertuntur poſt tergum Domini, & qui non quæſierunt Dominum, nèc inueſtigauerunt eum. Et Pſalmus: effunde* (*inquit*) *iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.* Hinc: *non eſt Paſtori excuſatio, ſi lupus oues comedit, & Paſtor neſcit*; (inquit S. Gregorius Magnus, & cum eo Gregorius IX.) quinimò Deus ipſe minatur per Oſeam: *Quià tu ſcientiam repuliſti, repellam te, nè ſacerdotio fungaris mihi.* Nàm *qui ignorat, ignorabitur* (ait S. Paulus.)

[*S. Iſidor. ſent. l. 2. c. 17. n. 6.*]

[*C. quăuis. de reg. iur.*]

[*Oſea c. 4.*]

[*S. P. Cor. 1. c. 14.*]

V. Perſtringit omnia S. Iſidorus ſic. *Nihil Sapientia melius, nihil prudentia dulcius, nihil ſapientia ſuauius; nihil ſtultitia peius, nihil inſipientia deterius, nihil ignauia turpius. Ignorantia mater errorum eſt, ignorantia vitiorum nutrix, peccatum magis per ignorantiam præualet. Ignorans enim, quid ſit culpa dignum, non ſentit ignorantia, nèc quandò delinquit, agnoſcit. Inſipiens aſſiduè peccat, indoctus facilè decipitur, ſtultus in vitia citò delabitur. Prudens verò citò deprehendit, celeriùs errores agnoſcit. Noxia non vitamus, niſi per ſapientiæ inſidias. Scientia enim à malis abſtinet, Sapiens omnia prudentèr examinat. Intèr bonum, & malum Sapiens intelligendo diudicat. Summum bonum eſt ſcire quid caueas, ſumma miſeria neſcire quò tendas. Dilige igitùr ſapientiam & manifeſtabitur tibi, accede ad illam, & appropinquabit tibi, aſſiduus eſto illi, & inſtruet te.*

[*S. Iſidor. ſynonima. c. de ſap. & ignor.*]

VI. Reſponderet fortaſsè Recentior. Bona Fides eſt quotieſcumque adeſt ratio probabilis: ſed nobis hæc adeſt, non teneri ad ampliùs. Ergò bona fide operamus, & probabili ignorantia nitimur, quæ nos excuſat. Verùm huic replicari poteſt. Tua eſt *petitio principij*, & probabilitatem, tua, tuorumque probabilitate tueris, nèc aliundè tuam probabilitatem confirmas, niſi quià prudentiæ tuæ niteris, & quod menti tuæ inſedit, Rectum per ſemetipſum vis eſſe:

[*Vide ſup. c. 18.*]

[*Vide inf. p. 3. c. 10. 31. 32. 33.*]

eſſe : nos autèm Sanctorum dictis noſtram fulcimus doctrinam, qui indiſtinctè loquuntur de ignorantia procedente ex debitæ diligentiæ omiſſione; quod etiam ex verbis Eccleſiaſticis, & Platonis patet: revera autem, qui probabiliorem viam negligit, aliquam diligentiam omittit, quæ à Recentioribus dicitur non deberi, à cæteris verò deberi aſſeritur. Quis Iudex? Deus? Si Deus pro nobis pronunciet, vos Capite pericliṫamini. Si pro vobis decernat, parum lucri conſequemini; ſed verendum eſt valdè ne contra vos definiatur (vt ex ſæpè repetitis innoteſcere poteſt) quis *enim cognouit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius eius fuit*? Quinimò in hoc iam ſenſus Dei nobis innoteſcit, monens vnumquemque ad exemplum mulieris fortis, quæ *conſiderauit ſemitas Domus ſuæ. Semitas* [ait & exponit Sanctus Hieronymus] *Domus ſuæ conſiderat: quia cunctas ſuæ conſcientiæ cogitationes ſubtilitèr* (nota) *inueſtigat*. Item *ſemitæ domus illius præcepta iuſtitiæ, quibus ad æternæ vitæ manſionem peruenitur: quas profectò ſemitas anima bene conſiderat: cum & diligentèr* [nota] *quibus actibus ad ſuperna peruenire debeat, inſpicit: & quæ agenda didicit, ſedula exercere non deſinit*. En liquet diligentiam requiri in quærenda veritate, & ſeduliorem in exequenda; *nec poteſt eis eſſe excuſatio condemnationis, ignorantia veritatis, quibus fuit inueniendi facultas, ſi fuiſſet quærendi voluntas* (inquit Sanctus Ioannes Cryſoſtomus). Eamdem profitebatur ſententiam S. Antoninus ſic. Tertiò *error conſcientiæ cauſatur ex nimia, vel inordinata ſui beneuolentia. Ex eo enim quod aliquis nimis ſeipſum diligit, inclinat, & præcipitat conſcientiam ad illud, quo d appetit, & ſic eam à ſua rectitudine facit declinare*. Vnde Seneca. *Perit omne iudicium, cum res tranſierit in affectum. Talis conſcientia diligentis nimis ſeipſum eſt nimis larga, & ideò cauenda, quia facit præſumptuoſum dicens malum eſſe bonum; ſaluat damnandum*. Vndè clareſcit, quod non omnis, quæ pingitur Bona Fides, eſt huiuſmodi; ac quod Probabilitas aliqua falsò iuſtificat, & verè damnat ex dictis. Eſt enim aliqua *Bona Fides* Amoris proprij *Faſcinum*, ac proprij Iudicij hallucinatio. Quanàm igitùr mentis tranquillitate poteſt quis incertam obire ſententiam, cùm in ipſius manu ſit fauorabilem ſibi parare? Ad quod hortari nos videtur Dauid dicens: *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis* (nota). Nàm *qui timet Dominum, nihil* [nota] *negligit*. Debemus enim fatagere, vt Deo viciſſim reſpondere poſſimus: *quid eſt quod debui vltrà facere, & non feci*? Fieri autèm poteſt, vt tibi dicatur: debueras ſequi probabiliorem, & noluiſti. Ergò defeciſti: quæſo *fatagite: vt certam veſtram vocationem faciatis* (inquit S. Petrus:) nèc tanto obnoxij pe-

Prou.c. 31.

S. Hier. in d. caput.

S. Io. Cryſ. in c. 23. Mat ho. 44

S. Antonin. ſumm: p. 1. tit. 3. c. 10.

Pſal. 111.

Eccl. c. 27. Iſa. c. 5. Vid. ſup. diſt. 1. Incr. 5.

periculo viuatis: nèc vos faſcinet proprius amor, qui tranſuertit ſenſum Intellectus; vt malum dicat bonum.

CAP. LXXIX.

Omnes Opiniones probabiles ſecundùm ſe ſunt æquè tutæ.

Car. Theol. fund. p. 1. n. 265.

I. OMnis via, quæ videtur bona, non eſt bona; patet omnibus hæc veritas: Nàm, ſi omnis via eſſet bona, ad quid admonitio Ieremiæ dicentis; *State ſupèr vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* *Ier. c. 6.* Prætereà ſi omnis via eſt bona; quomodò ergò aliqua deducit ad mortem? Nàm *eſt via* [inquit Salomon], *quæ videtur homini iuſta: nouiſſima eius deducit ad mortem*; *Prou. c. 14.* ſi via videtur iuſta; ergò eſt probabilis; ſi probabilis non deducit ad mortem: Sin autèm aliqua deducit ad interitum. Ergò etſi videatur bona, ac iuſta, non eſt eiuſmodi: Opinio verò probabilis eſt veluti via, quæ videtur recta. Ergò poteſt nihilominùs non eſſe ſecura: Nàm ex Salomone eſt via, quæ videtur homini iuſta, & talis non eſt: ſi autem videatur bona, ac probabilis, & ducit ad interitum. Ergò non omnes opiniones probabiles ſecundùm ſe ſunt æquè tutæ. Ergò confiteamur inueniri viam, quæ videatur bona, & opinio, quæ videatur probabilis, & nihilominùs nos eam tutò non ſequi; ſed via bona eſt, via Regia veterum Chriſtianorum, quæ ambulantem in ea perducit ad Regnum Cælorum. Vndè ergò Recentiores proclamant quod: *Omnis opinio probabilis eſt via bona, ac tuta?*

II. *Cogitaui vias meas* (canamus cum Dauid) *& conuerti pedes meos in teſtimonia tua*, vbi ſic diſſerit S. Ambroſius: *Diuiduus ſenſus, aut quià vias ſuperiores meas cogitaui plenas lapſus, atquè peccati, & ideò vt remiſſionem peccatorum poſſim mereri, morum conuerſione, ſtudioque virtutum auerti pedes meos in teſtimonia tua, vt non iàm meis greſſibus, quibus antè ſum lapſus, ſed teſtimoniorum tuorum itineribus ambularem, quo tuorum ſemitæ mandatorum me errare non ſinerent, nèc veſtigium in deuia, & tortuoſa deflecterem. Frequentèr enim ignorantes iter, ſi ſtrata viarum ſequantur, perueniunt, quò deſiderant peruenire, & carent erroris anfractu. Sin autèm vſurpent ſcire, quod neſciunt, & putent aliqua ſequenda compendia à publici tractus itinere recedentes, erroris labyrinthos frequentèr incurrunt; vt eos de itinere deflexiſſe pæniteat;* *S. Amb. in pſal. 118. ſerm. 8.*

& ideò

Digitized by Google

& ideò poſt multa laborum diſpendia ad iter, quod reliquerant, redire contendunt. Hic ergo ſenſus vnus eſt. Alius autem ità. Cogitaui vias meas, non ſuperiores, ſed futuros, vt ante meos actus cogitationibus præuenirem, ne inconſulta operatione progreſſus aliquid in ipſis actionibus offenſionis inciderem, vt ſi agere aliquid velim, antè cogitem, vtrum agendum ſit illud, quod deſidero, aut quo agendum modo, ſimilitèr ſi alloquendum, vtrum alloqui debeam deindè publicè, an ſecretò loqui, præſentibus aliquibus, aut nullis: ſicut illud eſt, vt ſi velis fratrem corripere, primò ſolus corripias ſecundò præſentibus duobus, aut tribus teſtibus; tertiò ſi non audierit, coram Eccleſia. Itaque ſi prætermiſſo ordine velis coram Eccleſia fratrem increpare, quem antè monere debueras, erratum ipſe cognoſcis.

III. Omnia igitur cum cogitatione facito, vt non te pæniteat aperti oris tui. An verò ſi uiam ingreſſus, cum ueneris ad computum aliquod (ità enim appellatur plurimarum uelut quidam concurſus uiarum) ſi neſcias, quod iter ingredi debeas, ſtas tamen, & cogitas ipſe tecum utrum primam, an ſecundam, an tertiam, an quartam, uel certè qnintam, ſi ità eſt, uiam eligas, quam ſequaris, nec putas prius adoriendum iter, quam animo definieris, & pleniore mentis intentione decideris. Stas igitur cogitans, quæ ſit via, quæ in Ciuitatem ducat, ad quam tibi putas eſſe pergendum. Quanto igitur magis animo debes, ac mente conſiſtere, qui ad Regnum Cæleſte contendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illò ducit, non omnis via illo dirigit ad Hieruſalem illam, quæ in cælo eſt. Sunt viæ, quæ malos exitus habent, quas Diaboli tentamenta triuerunt, & ideò exitus earum exitus mortis ſunt. Hæ nempè ſunt viæ, de quibus legiſti in Prouerbijs; quia ſunt viæ, quæ videntur viro rectæ eſſe; vltima autem earum aſpiciunt in profundum inferni. Eſt autem via anguſtior illa, quæ ducit ad Dei regnum. Volens ergò eam ingredi viam, quæ ad Deum ducit, non circumſpicies, non tecum ipſe tractabis, non conſiderabis, ne facilè capiaris effectu. ſi via latitudine prouocatus ingrediaris iter, quod ad Inferna deducat? Cogita ergò antè, atque perpende quid facias. Concludit idem Doctor. Interrogemus has vias, vt dicatur nobis. State in vijs legis, & interrogate ſemitas æternas, & videte, quæ via melior [nota] & ambulate in eà. Ne quando cum Pſalte flere cogamur dicentes Deo. Declinaſti [permiſſiuè ſcilicèt] ſemitas noſtras à via tua: & deindè ſequitur declinationis pæna; quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis: cooperuit nos vmbra mortis. Ergò cum eodem Propheta, ne plangere cogamur, hoc ſatagamus, vt cantemus ſempèr. Pes meus ſtetit in via recta.

S Amb in pſal. 118. ſerm. 5.

Pſal. 43.

Pſal. 25.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXX.

Opiniones benigniores, etiamſi minùs probabiles per accidens ſunt ſecuriores.

Car. Theo. Fundam. p.1.n. 265.

I. Animal ſuis agitur appetitibus, qui quotidiè creſcunt cum eius corpore. Sunt enim & ipſi corporei; adeò autem creſcunt, vt equus indomitus euadat præceps [vt loquitur Sapiens]. Cum enim Rationis ſint expertia, rationis moderatione ſuos minimè reprimunt appetitus: ſed hi exleges feruntur in quodlibet obuium, ac delectabile. Homo Animal etiam eſt, etſi rationabile, & ſpirituale; *ſed non priùs* (ait S.Paulus) *quod eſt ſpirituale; ſed quod animale. Deindè quod ſpirituale.* Ergò priùs viuit (ante rationis vſum), vt animal, & animalis portio videtur fortior; & vera eſt etiam hìc Iuris Regula, *qui prior eſt tempore, potior eſt iure.* Ergò qui Animales appetitus Rationis fræno non retinet, nimium inualeſcent, & euadent indomiti, ac effrenati: vti in puero patet, de quo ſic loquitur Eccleſiaſticus. *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadet præceps*; Niſi tempeſtiuè ſubigantur concupiſcentiæ, parua ſæpè ſcintilla magnum excitabit incendium. *Vnuſquiſque enim tentatur à concupiſcentia ſua*, quæ animalis eſt, ac naturalis; *Concupiſcentia autèm cum conceperit, parit peccatum* (inquit Sanctus Iacobus). Igitur *poſt Concupiſcentias tuas non eas* [ait Eccleſiaſticus] *& à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*: hinc monet Dauid: *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*: quia niſi Rationis fræno cohibeantur animales concupiſcentiæ, facient, vt homines ſint veluti bruta, quæ aguntur, potiùs quam agant, ac veluti bos laſciuiens properabit ad macellum.

S.P.Cor. 1. c.15. — *C.qui prior de reg.iur. 6.* — *Eccl.c.30.* — *S.Iac.c.1.* — *Eccl.c.18.* — *Pſal.31.*

II. Opiniones benigniores ſunt eæ, quæ minus appetitibus refragantur, & quæ loquuntur placentia ſenſibus (ideò enim plauſibiles ſiunt, & vniuerſi ferè hac de cauſa eas collaudant). Ergò fauent concupiſcentijs; ſed concupiſcentiæ afferunt homini diſcrimen peccati (vt ex dictis patet). Ergò non ſunt ſecuriores; imò periculoſiores, etiamſi remoueant legis obligationem [vt Recentiores aiunt]. Nam ſi hac ipſa legis obſeruantia appetitus non domentur, veluti in beluis vigebunt, & ſic homines deindè præcipitabunt: nec fallamini, dicentes, quod cum creuerint, & ad graue malum vos vrgebunt,

eas tunc ſubiugabitis rationi : quià *qui fidelis eſt in minimo* (ait S. Lucas) *& in maiori fidelis eſt, & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt*. Vndè Propheta monet. Qui paruulo non reſiſtit, quomodò adulto repugnabit?

S.Luc.c.16.

III. *Bonum eſt viro, ſi portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*: profitetur Ieremias, & *Beatus homo, qui tenebit, & allidet paruulos ad petram* (canendo monet etiàm Dauid) ſicut etiàm *qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella*: hac de cauſa Deus *flagellat omnem filium, quem recipit*; nèc enim ægroto, vt obediat, dandum eſt illi poculum, quod nocet. Lubrica res eſt indulgere ſenſibus. *Sunt* enim *proni ſenſus hominis in malum ab adoleſcentia ſua*: monuit ipſe Deus, quibus, ſi addatur tentationis impulſus, facilè corruent, & ideò.

Ier.lam c.3. Pſal.136. Gen.c.8.

IV. Caueant nè dicatur cum Ieremia: Idcircò *Via eorum erit quaſi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea*: & ne plangant deindè cum eodem Propheta, dicentes: *Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum; appropinquauit finis noſter*. Laxantes conſcientiam benignis opinionibus, lubricauerunt pedes affectuum noſtrorum ad lapſum. Nàm.

Ierem.c.23. Ier. lam.4.

V. Viæ tutæ ad vitam, ſunt viæ duræ: Vndè Dauid canebat: *Proptèr verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras: quomodò dicit vias duras; dùm in Euangelio dicitur*: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue? (ait S.Hieronymus). *Suaue eſt volentibus; durum eſt nolentibus; quamuis dura videantur eſſe ad Sanctos proptèr corporalem conditionem, tamèn ſuaue eſt: quia habent ſpem vitæ æternæ; vel alitèr; Proptèr verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras; ac ſi dicat; Timens futura ſupplicia, quæ legis tranſgreſſoribus comminatus eſt, duris me laboribus exercui, & ſubieci corpus animæ poteſtati*. Sic exponit S.Hieronymus. Sed opiniones benigniores non ſunt viæ duræ; ſed molles; quià ſecus non tàm diligerentur. Ergò non ſunt viæ tutæ. Prætereà.

Pſal.16.

VI. Crux mortificationis eſt ſcala Paradiſi; ſicut Apoſtolus ait: *Si compatimur, & glorificabimur* (inquit S.Leo Papa) *Certa, atque ſecura eſt expectatio promiſſæ Beatitudinis; vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis. Apoſtolus enim prædicat, dicens*. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur: *& ideò numquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi numquàm deſit obſeruantia pietatis. Dominus enim in exhortationibus ſuis dicit*; qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus: *nèc dubitare debemus hanc vocem, non ſolùm ad diſcipulos Chriſti; ſed ad cunctos Fideles, totamque Eccleſiam pertinere, quæ ſalutare ſuum, in his, qui aderant, vniuerſalitèr audiebat*; hactenus S.Leo Papa.

2.P.Tim. 2.c.3. S.Leo ſer.9. de quad.

Ipſa

Digitized by Google

Ipſa enim legis obſeruatio Crux eſt [inquit Ioannes Caſſianus cum D.Auguſtino] . Ergò qui per benigniores opiniones ambulat , quæ hominum ingenio, ac ſenſibus obſecundant , à ſecura aberrat via , quæ crucem, & perſecutionem paſſionum habet: hanc & Plato agnouit veritatem . *Per alias duas vias* (ait) *ex terra aſcendentes animas puluere, ſqualore , macieque confectas, & tamquam longa peregrinatione fatigatas viderat* . Ergò via Cæli cum duritie eſt , & obſeruantia Diuinæ legis cum Cruce eſt : ſed benigniores opiniones diſſimiles ſunt . Ergò non ſunt tutæ . Vlterius. Plat. l.31. Dial.10. de Rep.

VII. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli* (inquit Salomon) *& hoc notandum* [exponit Sanctus Hieronymus] *quod dicantur verba ſapientium pungere : non palpare : nec molli manu attrectare laſciuiam , ſed errantibus &* (vt ſupra diximus) *tardis pænitentiæ dolorem , & vulnus infigere . Si cuius igitur Sermo non pungit ; ſed oblectationi eſt audientibus* (nota) *iſte non eſt ſermo Sapientis : verba quippe Sapientium , vt ſtimuli* . D.Hieronymi ſententiam explicat Diuus Ambroſius , & egregiè hoc Caput abſoluit proferens hanc tanto Doctore dignam ſententiam ? *Nihil laxum , nihil molle , virum Chriſti militem decet* . Eccl. c 12. S.Hier. in d.c. 12. S. Amb. in Pſa .38.

CAP. LXXXI.

De Improbabilitate.

Improbabilis eſt , quæ euidentèr demonſtratur falſa. Car. Theo. Fun. l.p.1. n.265.p.2. n.12.& nn. 43.46.

I. SVmma Recentiorum Sapientia eſt , quod *qui ſequitur opinionem probabilem prudentèr operatur* . Duplex autèm eſt Probabilitas (vti diximus) 1. *A Ratione* , quæ dicitur *Intrinſeca, & Rationalis* . 2. *Ab auctoritate* , quæ *extrinſeca , & autentica* nuncupatur. *Sed quid requiritur , vt ſententia* probabilis ſit à Ratione : *Vt non ſit euidentèr falſa , & nihilominùs ſit graui fundamento ſuffulta* . Quælibet autèm opinio probabilis ſufficit , vt prudentèr operemur , hoc eſt , quæ non ſit Improbabilis : Nàm *Probabilitas etiàm minor excuſat coràm Deo . Illam verò quam video non poſſe ſinè contradictione defendi , liberè vocabo Improbabilem* ; hactenùs Recentior . Ergò ſi oppoſitum non demonſtratur euidentèr falſum , altera pars obtinebit aliquod Probabilitatis genus , vel gra- Car. Theo. Fund. p.1. n.265.

Digitized by Google

dum : & hinc quod non demonſtratur falſum, habet probabilitatis colorem, & Probabile eſt. Ad quorum intelligentiam obſeruandum eſt, quod.

II. Aliquid in Moralibus apud Fideles demonſtatur euidentèr falſum. 1. vel *lumine Rationis* naturalis: vti ſunt prima præcepta naturæ, ac Prima Principia operabilium: *Bonum faciendum: malum fugiendum. Alteri ne facias, quod tibi fieri nolis*; & eiuſmodi. 2. *lumine Fidei* ſupernaturali, cuiuſmodi ſunt *Articuli Fidei*, & *præcepta charitatis Dei*. 3. *Determinatione Superiorum*; cuiuſmodi ſunt, quæ apertè Legislatores præcipiunt. Tria hæc, cùm clarè demonſtrant rem eſſe faciendam, vel fugiendam conſtituunt contrariam opinionem *Improbabilem*, ſi nimirùm Primis Principijs, vel *Rationi* naturali, vel *Fidei*, vel claris *Superiorum* conſtitutionibus aduerſantur: ex quibus Principijs Vniuerſalibus quamplures deriuantur concluſiones. Sed.

III. Circà ea, quæ ex Primis Principijs deducuntur, plurima oboritur diſputatio: nèc enim vti Principia clareſcunt; ſed veluti Sol obuolutus nubibus obſcurè videntur, vti apertè probant ſectæ contrariæ Philoſophorum in rebus, quę naturali lumine cognoſcibilia ſunt: Nàm iſta in genere, ac in vniuerſali quidèm patent; ſcilicèt *Bonum eſt faciendum; malum autèm fugiendum*; at in particulari, & in praxi, quià plures contingunt circumſtántię indiuiduales, quę variè afficiunt actum ſingularem, indè fit, vt quod ſpeculatiuè eſt clarum, præcticè ſit dubium, vel etiàm ex paſſionis perturbatione nobis obſcuratur (vt inquit S.Antoninus), & indè cùm clarè in indiuiduo non pateat eſſe malum, fit, vt nèc ſit euidentèr falſum, & improbabile, eò magis, quo ſingularium non poteſt haberi demonſtratio, & ſcientia; quià ſunt innumera, & quià variantur in ſuis ſingularibus conditionibus; ac etiàm corrumpuntur; quinimò mens quoquè in aliquibus Principijs quandòque ità obumbratur, vt vix aliqua primà principia hodiè ſint indubitata. In his autèm accidentibus, quæ ex Articulis Fidei inferùntur, multa eſt etiàm controuerſia Theologorum, ſicut teſtantur Scholæ præſertim Thomiſtica, & Scotiſtica. In his demùm, quæ ſpectant ad decreta, ſeu declarationes Superiorum, tanta eſt interpretandi libertas, vt leges, ſiuè Pontificiæ, ſiuè Imperatoriæ, non ſolùm obſcurentur, ſed vnà euaneſcunt; roburque amittant. Hæc omnia Experientia Magiſtra docemur. Quamobrèm.

S. Anton. p. 1. t. 3. c. 9. 10.

IV. Si Recentiores docent, quod omnis opinio probabilis excuſat coràm Deo. Probabilis eſt, quæ *Improbabilis* non eſt. Improbabilis verò non eſt, niſi quæ apertè Primis Principijs, Rationi naturali, vel demonſtrationi ex ipſis conflatæ diſſentit; vel Articulis Fi-

dei

Digitized by Google

dei diſſonat; vel claris Superiorum conſtitutionibus refragatur; ſe-quitur quod huiuſmodi tàm aperta Dogmata, cùm ſint pauca, pauca itèm ſunt *Improbabilia*, quæ ſi redigantur ad ſuos Titulos, & Capita mirabilis fiet Theologiæ modernæ abbreuiatio, & Theologicus curſus breui abſoluetur. imò quilibet, qui *granum ſalis* habet, ſeu *prudentiale iudicium*, & *naturale iudicatorium* Theologus euadet: Cùm enim Fidei principia vnuſquiſque Fidelium calleat, & Rationis naturalis lumine polleat, facilè poterit errores Fidei, & morum naturalium vitare; cætera autèm, cùm non ſint Improbabilia, (vtpotè quæ non demonſtrentur euidentèr falſa) poterit quilibet cenſere licita, iuxtà Modernæ Theologiæ Dogmata; quod ità eſſe fateri cogetur omnis Caſiſta, qui Recentiorum libros perlegit. Etenim pro vtraque parte probabilitas adduci conſueuit. Ergò vtramque amplecti licebit. Vale igitùr. Dicamus ſtudijs litterarum, & tantummodò caueat etiàm Fidelis Sutor nè Articulis Fidei, neque primis præceptis naturæ, ac Charitatis diſcordet; Cæterùm & ipſe Theologus erit, & hinc Theologiæ (quæ legitima Sacræ Scripturæ debet eſſe propago) querela, quam S. Hieronimus edidit, fit præconium Theologiæ Recentiorum: *Quod Medicorum eſt, promittunt Medici* [querebatur Sanctus] *Tractant Fabrilia Fabri. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant, ſcribimus indocti, doctique poemata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſopbiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequàm diſcant.* Cùm ergò Recentiorum ingenio, ac ſtudio facilis ſit, & obuia cuilibet, vel indocto Theologia moralis. Ergò valeant Magiſtri; quià quiſque eſt Doctor: Valeant Conſiliarij, quià omnia licent: abſcedant Duces, quià vna vbique eſt Probabilitatis via: Vndè repetèret ad rem noſtram Plato; *Nullis Ducibus opus eſſet; quippè cùm vnica via aberrare poſſit nemo*: ſibi vſurpare videntur Recentiores, quod Iſaias de alia, ſic prophetat, via: *Erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur, non tranſibit per eam pollutus* (quià qui ſequitur opinionem probabilem non peccat), & *hæc erit vobis directa via* (dicunt cæteris) *ità vt ſtulti non errent per eam*: Hæc omnia ex Recentiorum placitis deduci videntur; ſed falſum conſequens: Ergò & antecedens: Verùm ad maiorem huius elucidationem dicendum eſt, quod.

S. Hier. ad Paul. in Prolog. Bib.

Plat. l. 29. Phæd.

Iſa. c. 35.

V. Improbabilitas duplex aſſignari cenſetur. 1. *Improbabilitas poſitiua*, cùm ſcilicèt aliqua propoſitio poſitiuè reprobatur, vel *à lumine naturali* euidentèr, vel *à lumine Fidei* manifeſtè, vel à Superiorum aperta declaratione. 2. *Improbabilitas negatiua* dici poteſt, cùm nimirùm non ſolùm illi deeſt aperta contradictio luminis vtriuſque, tàm naturalis, quàm ſupernaturalis, & declarationis

Superiorum, verùm etiàm, cùm illi deſunt firmæ Rationes, quæ illam veriſimilem reddant; ſed nèc diſſimilis penitùs verò, nèc veri ſimilis ſatis apparet; hoc eſt, nèc euidentèr eſt falſa, nèc certò eſt Probabilis: ſed veluti color in obſcuro, qui diſcerni certò nequit, cuius generis ſit. At ad prudentèr operandum non ſufficit, quod non ſit Improbabilis poſitiuè; nèc ſatis eſt, quod qualitercumquè probabilis ſit; vti diſertè Summus Pontifex Innocentius Vndecimus hanc damnando Propoſitionem decernit: *Generatim* (inquit) *dùm* [*Inno.XI. prop.3.*] *Probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confiſi aliquid agimus, ſempèr prudenter agimus*; ſed requiritur vt opinio ſit *certè Probabilis*, & firmis fulciatur rationibus, veluti domus fundata ſupra firmam petram: [*Eccl c.37.*] ita enim apertè monet Eccleſiaſticus. *Ante omnia opera verbum verax præcedate, & antè omnem actum conſilium ſtabile* [*Eccl.c.5.*] (nota) cui ſubdit Eccleſiaſtes. *Ne temerè quid loquaris.* Nam [*S.Aug. de Gen.ad lit. Imperf.c.1. Tom.3.*] *temeritas aſſerenda incerta, dubiæque opinionis, difficilè ſacrilegij crimen euitat.* Docet S. Auguſtinus; etenim: *qui citò credit, leuis eſt corde* (ait Sapiens) hinc Prudens non ſe mouet; ſed immobilis [*Eccl.c.19.*] perſtat, niſi ipſum ratio firma moueat: vndè Salomon dicit: *Innocens credit omni verbo: aſtutus conſiderat greſſus ſuos. Hanc Innocentiam* [*Prou.c.14. S.Io.ep.1.c.4.*] *vetuit* (exponit S. Hieronymus) *& hanc habere docuit aſtutiam Ioannes, cum ait. Cariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Ergò non ſufficit abeſſe motiua, quæ nos retrahant tamquam à malo, ſed debent adeſſe prudentia Motiua, quæ nos alliciant tamquam ad bonum. *Motiua* verò vel ſunt à *Ratione*, & pariunt Probabilitatem Rationalem, vel ſunt *ab Authoritate*, & generant Probabilitatem Authenticam: hinc modus procedendi in hac re innoteſcit nimirum. 1. ſi demonſtratur Improbabilis, nihil ſupereſt, niſi fuga ab illa. Si non demonſtratur Improbabilis. 2. videndum an ſit à Ratione *Probabilis*. Hæc [*S. Aug. de lib.arb.l.1. c.6.*] enim præcedere debet, cum *Ratio ſit anima legis*, vt inquit Sanctus Auguſtinus: & cum eo Legiſtæ, ac Plutarchus: *lex omnium* [ait] [*Plut.p.2. ad Princ. inerud.*] *Rex mortalium, atque immortalium eſt viua in corde Ratio. Id enim Diuinum eſt.* Si Ratio non apparet, tunc. 3. confugiendum ad Motiua ab Auctoritate, & ad Doctorum Fidem. Hi enim cum ſint perſpicatiori intellectu præditi, Rationes perſpicient, & cum [*D.Tho.1. p.q.1.ar.6. ad 3.*] ſint ſani palati; guſtu eorum (vt ita dicam) ex honeſti ſapore ſibi grato actiones dijudicabunt: vti D. Thomas cum Ariſtotele docet. [*Ariſt.eth. l.10.c.5.*] Quatuor autem Authores communiter requiruntur, vt ſit ab Authoritate Probabilis ſententia. Sed de his P.3.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXXII.

Antiquiſſima, ac Vniuerſaliſſima eſt opinionum Probabilitas.

I. DE opinionum Probabilitate Recentiores ſic ratiocinari videntur. Antiquiſſima eſt. Imò ab æterno, & in æternum permanet Veritas. Nam ipſa Veritas Deus *antiquus dierum* eſt, vel Dei eſt: ſicut autem Deus Pater Filium genuit, qui eſt conſubſtantialis *Imago bonitatis* illius, ac *figura ſubſtantiæ* illius: ſic etiam in vniuerſo adeſt Imago, ſimulacrum, & vmbra veritatis, quæ *Veriſimilitudo* nuncupatur, ac *Probabilitas*, & ipſa quoque antiquiſſima eſt. Nam & ſi Deus Creatos Intellectus tam Angelicum in ſe ipſis, quam humanum in Adamo vera rerum naturalium ſcientia illuſtrauerit; nihilominùs rerum ſupernaturalium notitia ad libitum, & ſuis opportunis temporibus eos donare conſtituit, ſicuti Hiſtoria Angeli contendentis pro liberatione populi Hebræi, & alterius pro incolatu eiuſdem in Perſide à Propheta Daniele relata teſtatur, vti notant Diuus Thomas, & Sanctus Franciſcus Saleſius. Inde ſequitur, quod non omnium ſupernaturalium rerum euidentem habuerint, ſed aliquarum probabilem tantum opinionem. Ergo Antiquiſſima eſt Probabilitas, cum fuerit etiam in Angelis. Vlterius innoteſcit, quod Probabilitas opinionum antiquiſſima ſit, hoc diſcurſu. *S. Th. 1. p. q. 57. ar. 3. 4. S. Sales. l. 2. ep. 3.*

II. Scientia, ac Sapientia eſt veritatis cognitio certa, & euidens: hæc autem rara eſt Auis, ac veluti Phenix in toto terrarum orbe, ſicuti diuerſæ Philoſophorum ſectæ teſtimonium perhibent. Phiſici omnia ſciri poſſe profitebantur, & *omnia ſciri* dicentes, cum tamen quamplura lateant, ſe neſcire patefaciebant. *Arceſiles ignorantiæ Magiſter affirmabat nihil ſciri poſſe*; cum nihilominùs aliqua ſciantur. Sic Lactantius refert. Academici autem *omnia nec ſciri, nec neſciri*, ſed incerta eſſe ambigua, ac problematica, quos omnes redarguens Lactantius Firmianus, veri ſcientia carere demonſtrat: Vndè liquet, quod in pluribus certa, ac manifeſta veritatis deeſt cognitio, & cum manifeſta deſit notitia, ſolum probabilis ſupereſt opinio, & indè ſæpè ſapientia videtur ſtultitia, & ſtultitia ſapientia; nam in obſcuro facilè fallitur viſus. Ergo antiquiſſima eſt Probabilitas. Verùm. *Lactant. de Falſa ſap. lib. 3. c. 4.*

III. Duplex eſt *veriſimilitudo*, ſeu Probabilitas I. vti cum Lactan-

ſtantio innuimus]. Prima eſt *Probabilitas vera*, ſeu veriſimilitudo firmis freta rationibus: ſicut opinio Angelorum in illa Perſica concertatione. Vterque enim opinabatur ſuam ſententiam placere Deo. Altera eſt *Pſeudoprobabilitas*, ac veriſimilitudo leuibus innixa argumentis, cuiuſmodi fuit Luciferi opinio, qua inflatus in corde ſuo dixit; *ſimilis ero Altiſſimo, & in veritate non ſtetit*; ſed ex hac opinione ab initio peccat (vt reuelat Iſaias, & cum eo docet Sanctus Ioannes, & Sanctus Thomas) & eiuſmodi fuit etiam Probabilitas propoſita Euæ à Serpente, quod fierent; *ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*, ſi Arboris ſcientiæ boni, & mali poma guſtarent; vndè liquet, quod duplex eſt probabilitas, & quod vtraque ſit antiquiſſima, vniuerſaliſſima vbique gentium, experientia Teſte, ac Sapiente.

Iſa.c.14. S.Ioan.c.8. & ep.1.c.3. S.Tho.1.p. q.63.ar.3. Sap.c.13. 14.

Lact. de vero cultu l.6.c.7.

IV. *Iam illi omnes* [inquit Lactantius], *qui per aliorum confeſſam ſtultitiam Sapientes exiſtimantur, ſpecie virtutis inducti, vmbras, & imagines apprehendunt nihil verum: quod eà ſit ratione; quoniam via illa mendax, quæ fert ad occaſum, multos tramites habet proptèr ſtudiorum, & diſciplinarum varietatem, quæ ſunt in vitam hominis diſſimiles, atque diuerſa. Nam ſicut via Sapientia habet aliquid ſimile ſtultitiæ, quod libro præcedente monſtrauimus. Ita hæc, cum ſit tota ſtultitiæ habet aliquid ſimile ſapientiæ, quod arripiunt ij, qui ſtultitiam publicam intelligunt, & vt habet vitia manifeſta, ſic habet aliquid quod ſimile virtuti eſſe videatur: vt habet apertum ſcelus, ſic Imaginem quamdam, ſpeciemque iuſtitiæ. Quomodò enim præcurſor eius viæ, cuiuſuis & poteſtas omnis in fallendo eſt, vniuerſos in fraudem poſſet inducere, niſi veriſimilia hominibus oſtentaret.* (Nota ad rem noſtram quod Sathanas oſtentando Veriſimilia fallit). *Itaque illam perditionis, ac mortis viam multiplicem oſtendit, vel quod multa ſunt genera vitæ* (nota) *vel quod Dij multi, qui coluntur. Huius dux præuaricator, ac ſubdolus, vt videatur eſſe diſcrimen aliquod falſi, & veri, mali, ac boni, alia ducit luxurioſos, alia eos, qui frugi appellantur, alia imperitos, alia doctos, alia inertes, alia ſtrenuos, alia ſtultos, alia philoſophos, & eos quidem non vno tramite. Illos enim qui, aut voluptates, aut diuitias non refugiunt, ab hac publica, & celebri via medici ſegregat, eos autem, qui aut virtutem ſequi volunt; aut contemptum rerum profitentur, per confragoſa quædam præcipitia trahit, ſed tamen illa omnia itinera, quæ ſpeciem bonorum oſtentant* (nota) *non ſunt aliæ viæ* (nota). *Sed diuerticula, & ſemitæ, quæ videntur quidem ab illa communi perditionis dextrouerſùm ſeparari, ad eadem tamen & ad unum omnes exitum ſub ipſo fine referuntur* [nota]. *Ibi enim dux ille coniungit omnes, ubi opus fuerat bono*

nos à malis, fortes ab inertibus, ſapientes à ſtultis ſeparari, in quo ille vniuerſos (quia ſinè vllo diſcrimine ſtulti fuerant) vno mucrone iugulat, & præcipitat in mortem. Ex quibus Lactantij verbis animaduertere licet antiquam eſſe rerum aliquarum ignorantiam, ac earumdem probabilem tantum opinionem, & indè facilè homines à Dæmone decipi potuiſſe falſa probabilitate.

V. Lactantio robur addit Propheta Iob hiſce differens. *Sapientia verò, vbi inuenitur? Et quis eſt locus intelligentiæ? neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter Viuentium. Abyſſus dicit, non eſt in me, & mare loquitur, non eſt mecum. Excelſa, & eminentia non memorabuntur comparatione eius: trahitur autem Sapientia de occultis. Vndè ergò Sapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium; volucres cæli latet. Perditio, & Mors dixerunt: Auribus noſtris audiuimus famam eius. Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locum eius. Ipſe enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ ſub cælo ſunt, reſpicit.* Iob conſonat Propheta Baruc. *Diſce, vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul, vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus, vbi ſit lumen oculorum, & pax. Quis inuenit locum eius? & quis intrauit in theſauros eius?* Ergò cum vix in terris inueniatur Sapientia, ac certa, & euidens rerum cognitio, & cognitio tamen rerum aliqua habeatur. Hinc ſequitur quod ſi non eſt clara veritatis cognitio, ſit cognitio veriſimilis. Nam verum eſt cognitionis obiectum, vel in ſe, vel in ſua vmbra, ac Imagine, hoc eſt Veriſimilitudine, ac Probabilitate: Ergò antiquiſſima eſt opinionum Probabilitas. Sed & antiquiſſimus quoque eſt error.

Iob.c.28.

Baruc c.13

VI. Antiquiſſima ergò, ac vniuerſaliſſima eſt opinionum Probabilitas: ſed vtraque, & vera, & falſa: Caueamus ergò nè Probabilitatis nomen aliquem decipiat, ſi tamèn aliquandò deceptus eſt, curet, vt dicat cum Iſaia: *Vetus error abijt*: quem, vt agnoſcamus cum Dauid Dominum deprecemur: *Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me, & deduc me in via æterna. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua ſemita* (exponit S. Hieronymus hic) *minor, quam via. Per ſemitam intelligitur arcta, & anguſta via, quæ ducit ad vitam.* Ergò non lata, & ſpatioſa opinionum laxarum eſt intelligenda. Nèc ſatis ſit quacumque dirigi opinione: ſed in veritate dirigi oportet.

Iſa c.26.

Pſal.138.

Pſal.24.

CAP. LXXXIII.

Magis, & minùs, non variant, vel mutant ſpeciem.

I. DVo ſunt Genera Entium. 1. *Genus naturæ*. 2. *Genus moris*: ſic duo ſpecierum diſcrimina. 1. *ſpecies phyſica*, & 2. *ſpecies moralis*; ſpecies phyſica, quæ conſtituitur ex genere communi phyſico, & ex differentia contrahente, ac reſtringente genus, & quę conſtituit ſpeciem, ac facit differre aliqua notabilitèr, ac phyſicè intèr ſe; *ſpecies moralis*, quæ in genere moris, ſeu in communi prudentum ſenſu, ac iudicio cenſetur notabilitèr differre (vti docent Cardinalis Pallauicinus, & Caramuel) V. G. Furtum & rapina phyſicè poſſunt eſſe eiuſdem rei contrectatio: quià tamèn Fur accipit clàm; Raptor verò palàm, in genere moris differunt ſpecie; ſic etiàm patientia, ac fortitudo ſunt tolerantia malorum; Verùm quia aliqua mala ſunt alijs maiora; ideò perpeſſio minorum nominatur Patientia; perpeſſio autèm maiorum Fortitudo; vti docet Diuus Thomas; Nàm

Pallauic. hiſt. Conc. Trid. l. 12. c. 14. Idem Car. l. 8. c 12. Car. Theo. fund p. 2. Epiſt. 11. S. Tho. 1. 2. q. 66 ar. 4 ad 2. & 2. 2. q. 136. ar. 2. S. Tho 2. 2. q. 157. ar. 1

II. Virtus diſtinguitur ab alia, cùm ad bonum peculiare ordinat hominem, peculiaritèr verò ordinatur homo ſecundùm rectam rationem, cùm in eiuſmodi ordine inuenitur ſpecialis ratio: occurrit autèm ſpecialis ratio, vbi eſt ſpecialis ratio difficultatis, vel boni, & ibi eſt etiàm ſpecialis virtus: vti docet idem S. Doctor. Vndè patet, quod ſpecies moralis attenditur ſecundùm prudentum æſtimationem in diſcrimine boni moralis, vel difficultatis: & hinc etiàm liquet, quod peccata differunt ſpecie, cùm virtuti aduerſantur, & cenſentur notabilitèr differre. Ergò

III. Magis, & minùs non variant ſpeciem, ſi ſunt in eodem genere quidèm, vel *naturæ*, vel *moris*, ſed *magis*, & *minùs* in Genere naturæ mutant ſpeciem in Genere moris: quià prudentum iudicio in moralibus differre notabilitèr cenſetur; ex citatis Auctoribus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXXIV.

Error circà accidens, ſeu qualitatem non vitiat actum, vel contractum.

I. DEus dignè eſt glorificandus, qui fecit cælos in intellectu: & cætera eodem modo. *Omnia* enim *per ipſum* (ſcilicèt Verbum) facta ſunt: non intellectu ſpeculatiuo, ſed practico, ſeu cum omnipotente voluntate; cùm autèm ſit omnipotens cum voluntate intellectus Dei, *Entia*, quæ facit, *Realia* facit. *Ipſe* enim *dixit*, & facta ſunt, quæ, & eſſentiam realem, & accidentia realia habent. Homo verò ad Imaginem Dei factus, Deum ipſum imitari contendit. Nàm intellectu vt Deus plurima condere meditatur; ſed cùm non pari paſſu currant Intellectus hominis, & potentia eius; hinc non *Entia Realia* facit; ſed *Entia Rationis*, ac intellectualia, quæ in ſola mentis cogitatione, ac intellectus operatione habent *eſſe*, quod intentionale etiàm vocatur. Hæc autèm inſtar *Entium Realium* ſuam quoquè habent eſſentiam, & ſua etiàm recipiunt accidentia. Huiuſmodi ſunt *Morales actus*, ac *Ciuiles*, & Iura, quæ ex Actibus moralibus procedunt: vt docere videtur Theophilus. Pſal.131. S.Ioan.c.1. Theophil. Inſt.l.2. tit.2.de rebus corpor. & incorp.

II. *Eſſentia Actus moralis* deſumitur ab obiecto, ſeu Fine, à quo mouetur voluntas ad volendum, vel nolendum: Nàm *Actus morales* (inquit D. Thomas) *recipiunt ſpeciem ſecundùm id, quod intenditur: non autèm ab eo, quod eſt pratèr intentionem, cùm ſit per accidens. Actus* (inquit idem) *ſpeciem, & nomen accipit à per ſe obiecto, non per accidens. In his verò, quæ ſunt proptèr finem Per ſe dicitur aliquid, quod eſt Intentum; Per accidens autèm quod eſt pratèr intentionem*; hinc dicit Caramuel: *Corrumpitur obiectum, qua tale, quandò incipit non eſſe, qua tale: quia ſuum eſſe eſt obÿci, eſt eligi, eſt amari: eſſe deſinit in eſſe obiectiuo, cùm primùm deſinit obÿci, & amari: Ergò accidens obiecti, ideſt, quod ſiuè cognoſceretur, ſiuè non, adhùc intenderetur, aut eligeretur obiectum, quod ſi aliqua circumſtantia ſit, qua ſublata obiectum non diligeretur iàm illa pertinet ad intrinſecam rationem obiecti, qua talis non debet vocari qualitas*. Ergò obiectum volitum, quod voluntatem mouet, dat ſpeciem Actui Voluntatis. Ergò dat illi eſſentiam. Species enim prædicatur in quod [iuxtà dialecticæ, ac Porphirij phraſes] ſed. D.Tho.2.2 q.64.ar.7. Idem 2.2. q.59.a.2.

III. Cùm plerumquè, quod eſt obiectum voluntatis, eamque mouet, & quod ipſa cupit, ac intendit, tamquàm finem ſibi bonum, ac gratum, ſit Accidens Phyſicum. V.G. Dulcedinem vini, vel ſanitatem corporis, & his ſimilia: indè prouenit, quod accidens Phyſicum quandòque ſit de eſſentia Actus moralis, & è contrà; eſſentia, ſeu ſubſtantia Phyſica ſit accidens morale; ſicuti enim Deus intelligendo, ac volendo conſtituit hoc eſſe rei, ſeu eſſentiam, & eſſentialia illi; aliud verò ſtatuit accidens eſſe; ſic homo intelligendo vnum, ac volendo principalitèr, & per ſe, facit, vt illud ſit in moralibus, ac ciuilibus *eſſentiale* actui, & intendendo aliud concomitantèr, ac accidentalitèr, facit, quod illud ſit accidens, & hinc patet, quod error in re per ſe, ac principalitèr intenta, ſit error circà ſubſtantiam, non qualitatem, ſitque error ſubſtantiàlis; è contrà error in re concomitantèr intenta, ſit error in qualitate accidentali; ſic philoſophandum etiàm ex Caramuele videtur. *Hæc dixi* [ait Caramuel] *iterùm, iterùmque, & vtinàm intelligantur ab omnibus, ſi centiès dicantur: Nàm reperio intolerabilia præiudicia etiàm in hominibus, qui volunt dici eruditi, & eximij*; hanc doctrinam confirmat Imperator; ſcilicèt: *ſi dictum, promiſſumue fuerit, & dictum eſt hoc abeſſe, & non abeſt.*

Car. Theo. fund.n. 907.

Car. Theo. fund.n. 907. L.1. labeo §.1 ff de Edilitio Edicto l.21 tit.1.& l.4 ob qua §.4 ff. eodem.

IV. Habent moralia quidèm Analogiam cum Phyſicis; ſed non eamdem omninò rationem; habent ſimilitudinem aliquam, non identitatem; Ens morale habet etiàm ſua prædicamenta, quæ non ſunt eadem cum Phyſicis; Nàm ſubſtantiale in moralibus eſt obiectum à voluntate intentum (vt diximus) quod ipſam mouet voluntatem, & propterea vocatur *obiectum*; *quià obijcitur* voluntati. *Motiuum, quià* eam *mouet*; Finis, quià in ea finit, & quieſcit motus voluntatis, & *Intentio*; quià in idem intendit, & tendit Voluntas, & *oculus* in Euangelio. Ergò, vt agnoſcatur ſubſtantia actus moralis, perſpiciendum eſt ipſius voluntatis *obiectum*, quod ſiuè phyſicè ſit ſubſtantia, ſiuè accidens moralitèr erit ſempèr ſubſtantia; adeò vt V.G. ſi quis eligeret ſponſam, eo quod ſe ſe diuitem, vel nobilem iactet, & hoc ſponſi foret obiectum, quod ipſius voluntatem moueret ad conſenſum, ſi re ipſa deindè mulier mentita fuiſſet, iàm deeſſet conſenſus, qui in ſuppoſitione penderet *ab obiecto* diuitiarum, vel nobilitatis, quo deficiente, iàm deficit ſubſtantia actus moralis, & hinc nulla forent ſponſalia; ità Caramuel in loco citato cum doctrina D. Thomæ.

V. Ex præcedenti doctrina intelligi, ac explicari poterit Gratiani decretum de varijs erroribus differens; qui videtur præſumere, quod conſenſus non pendeat ab accidente, & qualitate phyſica rei,

Grat. can. 29.q.1.c. quod.

vti

vti ordinariè vſuuenire conſueuit: Verùm ſi contrahens, vel Agens intendat per ſe illam rei qualitatem, iàm qualitas euadit ſubſtantia in moralibus.

CAP. LXXXV.

De eſſentia Ieiunij eſt vnica comeſtio non pinguium.

I. *Caro concupiſcit aduerſùs ſpiritum, & ſpiritus aduerſùs carnem. Hæc enim ſibi inuicèm aduerſantur; vt non quæcumque vultis, illa faciatis* (monet S.Paulus). *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*: Vt autèm in hoc ſpiritus, & corporis conflictu ſuperetur hoc, & vincat ille; Corpori ſubtrahenda ſunt moderatè alimenta, ac victualia per Ieiunium, & hoc eſt immediatus, ac proximus præcepti Ieiunij finis, qui ad vlteriora tendit (vt dicetur). Nàm ſi ſubtrahitur moderatè cibus, carnis imminuuntur vires; ſi hæ decreſcunt, augetur robur ſpiritus, vt ſpiritui ſubdatur corpus, & vt ſpiritus ſubdatur Deo, Diuinæque magis vacet contemplationi.

[*S.P.Galat. c.5.* — *Sap. c.9.*]

II. Subtrahitur verò alimentum, *quoad numerum comeſtionis*, ſi hæc vnica ſit: *quoad qualitatem*, ſi abſtineatur à carneis: quoad *tempus*, ſi differatur ad veſperam, vel circà, ſeu nonam comeſtio (vt dicit D.Thomas cum Concilio Cabilonenſe, & innuimus). adeò vt *eſſentia Ieiunij* videatur eſſe *moderata ſubtractio alimentorum, quoad quantitatem, qualitatem, & tempus*: quod

[*S.Tho.2.2. q.147.ar.6.*]

III. *Vnica* debeat eſſe in die Ieiunij *comeſtio*, & hoc probat *communis conſuetudo Populi Chriſtiani* [inquit S.Thomas]. *Abſtinentia* à carne etiàm requiritur in omnibus ieiunijs. In quadrageſimalibus autèm vniuerſalitèr interdicuntur etiàm oua, lacticinia, (inquit S.Doctor iuxtà S.Gregorij Magni reſponſum ad S.Auguſtinum Anglorum Epiſcopum apud Gratianum, ac iuxtà Decretalem Innocentij Tertij ad Bracharenſem Archiepiſcopum) extrà quadrageſimam verò ab ouis, ac lacticinijs; *Vnaquæque Prouincia abundet in ſuo*: docet cum S.Hieronimo S.Thomas. *Hora* deniquè circà meridiem determinatur à Concilio Cabilonenſe, ſic; *Solent plures, qui ſe ieiunare putant, in quadrageſima, mox vt ſignum audierint, ad horam nonam comedere; qui nullatenus ieiunare credendi ſunt, ſi antè manducauerint, quàm veſpertinum celebretur* offi-

[*S.Tho. 2.2. q.147.ar.6.* — *Ibid. ar.8.* — *Grat. diſt. 4.c. deniq; Decret. Innoc.l.3. tit.46. c.1. De obſeru. Ieiun.* — *S.Tho.ib. ar.8.ad 3.* — *Grat.diſt.1 de conſecr. c.Solent.*]

officium . *Concurrendum eſt enim ad Miſſas , & auditis Miſſarum ſolemnibus , & veſpertinis officijs , & largitis eleemoſinis , ad cibum accedendum eſt , ſi verò aliquis neceſſitate conſtrictus fuerit , vt ad Miſſam venire non valeat , æſtimata veſpertina bora , completa oratione ſua , ieiunium ſoluet* .

IV. Hoc Cabilonenſis Concilij Decretum citat idem Angelicus Doctor . Hæc docuit Clerum ſuum in Epiſtola Circulari Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, cuius ſunt carmina , quæ in proceſſione Dominicæ Palmarum cantantur ; ſcilicèt : *Gloria*, *laus* ,
Bar. ann. 835.n.22. 23. &c. vti refert Baronius .

CAP. LXXXVI.

Eccleſia non obligat cum magno incommodo .

Sap.c.11. I. SAncta Mater Eccleſia eſt Sponſa Dei , qui *omnia diſponit in pondere* , *numero* , *& menſura* , *attingens à fine vſquè ad finem fortitèr* , *& diſponens omnia ſuauitèr* ; ſuaue Dei regimen imitatur Eccleſia , omniaque ſapientèr , ac ſuauitèr gubernat , nèc imponit fidelibus onera grauia , & importabilia ; ſicuti quondam
Num. c.4. & Leu.c. 27. Phariſæorum ſecta : ſed iuxtà ipſius Dei præceptum ad Aaron, eiuſque Filios dicentis ; *diuident* , *quid portare quis debeat* , locò , tem-
C.erit autē diſt.4. pore , Perſonis conuenientia iubet , eaque præcipit , quæ ſunt viribus noſtris poſſibilia . Nàm Summus Pontifex cum D.Iſidoro , in-
C.nemo poteſt.De reg. Iur.6. tèr cæteras legis conditiones profitetur velle , quod ſit *poſſibilis* . *Nemo* enim *poteſt ad impoſſibile obligari* [repetit idem Pontifex .]

II. Impoſſibilitas autem , vel eſt *Naturalis* , ac phyſica , cùm naturales vires deſunt , vel *Moralis* , cum in communi æſtimatione prudentum illud præſtari nèquit , ſine graui incommodo vel ſalutis corporis , vel notabili rerum detrimento , vel magna famæ , ac no-
L incondemnat. ff. de Reg.Iur. & l.nepos de verb.ſignif. minis læſione . Vndè ita Imperator decernit . *In condemnatione perſonarum* , *quæ in id* , *quod facere poſſunt* , *damnantur* , *non totum quod babent*, *extorquendum eſt* : *ſed & ipſarum ratio babenda eſt*, *ne egeant* . Impoſſibilitati iungenda videtur *Neceſſitas* . Nam ſicut impoſſibile eſt neceſſarium non eſſe ; ſic neceſſarium eſt impoſſibile non eſſe . Neceſſarium enim eſt impoſſibile alitèr ſe habere . Cum ergo quemquam neceſſitas vrget , iam non eſt liber . Libertas namque eſt potentia ad vtrumque , & ad faciendum , & non faciendum . Secus Actus nec eſſet liber, nec pæna vel præmio dignus. Ergo & *Impoſſibilitas* , & *Neceſſitas* excuſant homines:*Neceſſitas* alia *extrema*,

trema, cum quis extremum vitæ diſcrimen: *Grauis*, cum ſtatus ſui imminutionem, vel aliud notabile incommodum, obiret. Ex hiſce patent ſequentes Textus Summi Pontificis.

III. *Cum quæſieris* (inquit Innocentius Tertius) *quæ ſit illis pænitentia iniungenda, qui diebus quadrageſimalibus tempore, quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi proptèr inopiam annonæ periret, carnes comedere ſunt coacti: reſpondemus, quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis & cum illis effundas, ne ipſis aliquatenùs imputetur: quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, vbi culpa minimè reperitur. Item de illis, qui proptèr debilitatem in Sabbato carnes ſumunt, quod in partibus tuis nullatenùs fieri conſueuit, cum hoc ab alijs moleſtè feratur, & oriatur indè illis occaſio detrahendi: reſpondemus, quod ſupèr hoc conſuetudinem tuæ regionis facias obſeruari: ſit tamèn, quod debilibus & infirmis, propter hoc periculum non emergat. Præterea de illis, qui in Quadrageſima, vel in alijs ieiunijs ſolemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium, indulgeri reſpondemus, quod cum non ſubiaceat legi neceſſitas fidelium infirmorum, cum vrgens neceſſitas exigit, ſupportare potes, & debes, vt maius periculum in eis euitetur.* Cui Beda addit. *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. Nam & Sabbatum cuſtodiri præceptum eſt: Maccabæi tamen ſine culpa ſua in Sabbato pugnabant: ſic & hodie ſi quis ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.*

Innoc. III. c. 2. conſiliũ de obſeru. Ieiunij.

C. Quod nõ De reg. iur.

IV. Superiora repetit Sanctus Thomas ſic: *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, ſtatuta communia proponuntur ſecundùm quod multitudini conueniunt. Et ideò Legiſlator in eis ſtatuendis attendit id, quod communitèr habetur, & in pluribus accidit. Si quid autem ex ſpeciali cauſa in aliquo inueniatur, quod obſeruantiæ ſtatuti repugnet, non intendit talem Legiſlator ad ſtatuti obſeruantiam obligare: in quo tamen eſt diſcretio adhibenda. Nam ſi cauſa ſit euidens, per ſeipſum, licitè poteſt homo ſtatuti obſeruantiam præterire, præſertim conſuetudine interueniente, vel ſi non poſſet de facili recurſus ad ſuperiorem haberi. Si verò cauſa ſit dubia, debet aliquis ad ſuperiorem recurrere, qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi. Et hoc eſt obſeruandum in ieiunijs ab Eccleſia inſtitutis, ad quæ omnes communitèr obligantur, niſi in eis fuerit aliquod ſpeciale impedimentum. Ad primum ergò dicendum, quod præcepta Dei ſunt præcepta iuris naturalis, quæ ſecundum ſe ſunt de neceſſitate ſalutis. Sed ſtatuta Eccleſiæ ſunt de his, quæ non per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed ſolum ex inſtitutione Eccleſiæ. Et ideò poſſunt eſſe aliqua impedimenta, proptèr quæ aliqui ad obſeruanda*

D.Tho. 2.2 q.147 ar.4

uanda

uanda ieiunia huiuſmodi non tenentur. Ad ſecundum dicendum, quod in pueris maximè eſt euidens cauſa non ieiunandi: tum proptèr debilitatem naturæ, ex qua prouenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo ſimul aſſumpto: tum etiam, quia indigent multo nutrimento proptèr neceſſitatem augmenti, quod fit de reſiduo alimenti. Et ideò quamdiù ſunt in ſtatu augmenti, quod eſt [vt in pluribus] vſque ad finem tertij ſeptennij, non tenentur ad Eccleſiaſtica ieiunia obſeruanda. Conueniens tamen eſt, vt etiam in hoc tempore ſe ad ieiunandum exerceant plus, vel minus, ſecundum modum ſuæ ætatis; quandoque tamen magna tribulatione imminente in ſignum pænitentiæ arctioris etiam pueris ieiunia indicuntur: ſicut etiam de iumentis legitur Ionæ 3. Homines, & iumenta non guſtent quidquam, nèc aquam bibant. Ad tertium dicendum, quod circà Peregrinos, & operarios diſtinguendum videtur: quià ſi peregrinatio, & operis labor cōmodo differri poſſit, aut diminui abſq; detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſeruationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt proptèr hoc Eccleſiæ ieiunia prætermittenda. Si autèm immineat neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel etiàm multùm laborandi, vel proptèr conſeruationem vitæ corporalis, vel proptèr aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem, & ſimul cum hoc non poſſint Eccleſiæ ieiunia obſeruari, non obligatur homo ad ieiunandum: quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis ieiunia, vt per hoc impediret alias pias, & magis neceſſarias cauſas. Videtur tamen in talibus recurrendum eſſe ad ſuperioris diſpenſationem, niſi fortè vbi eſt ita conſuetum: quia ex hoc ipſo quod Prælati diſſimulant, videntur annuere. Ad quartum dicendum eſt, quod pauperes, qui poſſunt ſufficientèr habere quod eis ſufficiat ad vnam comeſtionem, non excuſantur propter paupertatem à ieiunijs Eccleſiæ, à quibus tamen excuſari videntur illi, qui fruſtratim eleemoſinas mendicant, qui non poſſunt ſimul habere, quod eis ad victum ſufficiat.

V. Animaduertendum verò, quod incommodum debet eiuſmodi cenſeri Prudentum iudicio, non alicuius opinionis mollitie, quæ ſæpè *fingit laborem in præcepto*; & cum *nolle in cauſa ſit, non poſſe prætenditur* (inquit etiam Seneca); hinc exclamat Sanctus Ioannes Cryſoſtomus. *Magna vis eſt voluntatis, quæ nos efficit poſſe quod volumus, & non poſſe illa, quæ nolumus.*

Sen. ep. 116

S. Cryſoſt. ſerm. de Zacheo.

CAP.

CAP. LXXXVII.

Opus non modus præcipitur.

I. **M***Odus* eſt duplex 1. *intrinſecus*, & *eſſentialis*. 2. & *extrinſecus*, & *accidentalis*: ſicuti duplex eſt *forma*. 1. *eſſentialis*, & 2. *accidentalis*. Qui autem præcipit aliquod opus ſimul, & ſemel præcipit intrinſeca, ac eſſentialia illi; ſecus vellet contradictoria, monſtrum, ac chimeram. V. G. ſi hominem vellet abſque Anima rationali. Accidentia autem, cum non neceſſariò inſint; ſed poſſint adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, niſi diſertè præcipiantur, non intelliguntur eſſe præcepta. *Vide inf. p. 45. 14. n. 4.*

II. Modus igitur extrinſecus, & accidentalis non præcipitur, cum præcipitur opus. Præcipitur tamen modus intrinſecus, ac eſſentialis: cuiuſmodi ſunt (vt inquit Sanctus Thomas cum Ariſtotele) in Actu humano, qui legibus dirigitur à Legislatore. 1. *Cognitio*. 2. *Voluntas*. 3. *& Voluntas recti*, *ac Virtutis*, Nam *Actus humanus eſt*, *qui à voluntate deliberata procedit*: hinc dicit Sapiens: *qui cuſtodierint iuſta, iuſtè iuſtificabuntur*: vndè Sanctus Auguſtinus; imò Summus Pontifex Diui Auguſtini verbis hanc proponit Iuris Canonici Regulam in Decretalibus; *qui ex timore* (ſcilicèt excludente quidem actum peccati proptèr pænæ metum, non affectum peccandi) *facit præceptum*, *alitèr quam debeat*, *facit*, *& ideò iam non facit*. *S. Tho. 1. 2. q. 100. ar. 9* *Sap. c. 6.* *C. qui ex. de reg. iur.*

Digitized by Google

CAP. LXXXVIII.

Liquida non frangunt Ieiunium, ſeu Potus non frangit.

I. **L**Iquida alia ſunt *potabilia*. Alia *ſorbilia*: ſed meliùs *alia* dicuntur ex genere ſuo ordinata ad ſedandam ſitim. *Alia* non; ſed potiùs ad *expellendam famem*. *Liquidum* ſignificat (iuxtà Calepinum in dicto V.) Aquam, quæ primus eſt potus ad ſitim tollendam: ſicut panis ad famem, vti Eccleſiaſticus innuit dicens. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem*. Aqua igitur, & aquæ ſimilia ad ſitim ſedandam non frangunt ſiquidem Ieiunium: quæ verò ex natura ſua ad ſitim explendam non ſunt inſtituta, ieiunium frangere videntur. Nam.

Eccl. 8, 19.

II. *Sitis eſt appetitus frigidi, & humidi* (inquit Ariſtoteles) ſicut *fames eſt appetitus calidi, & ſicci*. Sunt enim ambæ ægritudines quædam (vt docet S. Auguſtinus) quæ contrarijs curantur. Vndè elucet, quod Potus, qui ordinatur ad extinguendam ſitim, debet eſſe frigidùs, & humidus, & ex conſequenti parui nutrimenti: hinc die ieiunij *non intendit Eccleſia* (inquit Sanctus Thomas) *interdicere abſtinentiam potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quàm ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat, & ideò licet pluries ieiunantibus bibere. Si autèm quis immoderatè potu vtatur, poteſt peccare, & meritum ieiunij perdere: ſicuti etiam ſi immoderatè cibum in vna comeſtione aſſumat*. Ergò patet quod liquida ad ſedandam ſitim inſtituta, moderatè aſſumpta non frangunt ieiunium; nèc ieiunij meritum perdunt: ſi verò non ſit ſuaptè natura ad expellendam ſitim ordinata, ſed nutrient, fraus legi ieiunij fieret, & lex ieiunij non obſeruaretur, Eſſet enim in ſubſtantia cibus, quamuis modus foret inſtar potus. Nàm *in fraudem legis facit, qui ſaluis verbis legis ſententiam eius circumuenit*; hoc eſt, qui phariſaicè verba ſeruat; ſed contrà legem facit, quæ etſi diſertis verbis non ſe explicauerit, tamèn eius mens, ac voluntas apparet.

Et Poblemat. ſect. 27 18.

S. Tho. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2.

L. Contra legem ff. de legibus.

Digitized by Google

C A P. LXXXIX.

In dubio melior eſt conditio poſsidentis: eſt Regula Iuris præcipuè Ciuilis, ex qua hæc alia decantatur.

In dubio Legis, ac Præcepti melior conditio poſſidentis ſuam libertatem.

I. VErba, ac propoſitiones conceptum ſermonem, enunciant: *Voces enim ſunt notæ earum, quæ ſunt in anima, paſſionum* [vt fatentur Philoſophi], ac iuxta ſubiectam materiam ſunt intelligenda: nèc inopinatum ſenſum effantur. *Nam actus agentium rationabilium non ſe extendunt vltra eorum intentionem*; vti L. omnia ff. de reg. iur. commune axioma cum Caramuele profitetur: Intentio autèm, ac Voluntas non poteſt eſſe earum rerum, quæ ignorantur, nèc cogitantur. Nam *Omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt* (ait Imperator): ſed Conditores huiuſmodi regulæ, cum eſſent Ethnici, conſcientiæ ignari, nihil de interno conſcientiæ foro meditati ſunt; ſed de foro tantùm externo iudiciali, ac contentioſo ſibi noto decreuerunt: Cùm præſertim adhuc plures Theologi doceant Principum leges in Conſcientiæ foro non militare. Ergò pro Conſcientiæ foro Regula hęc non eſſet adducenda; etiàm ſi Summi Pontifices eamdem ſibi vindicauerint: quia iuxtà ſenſum Priorum pro foro externo eamdem accipiunt.

II. Præterea Superiores ſunt Dei Miniſtri. *Per me Reges regnant, & legum Conditores iuſta decernunt*: hinc Sapiens dicit: Prou. c. 8. *Cùm eſſetis Miniſtri illius*: & S. Paulus ait de Principe: *Miniſter eſt* Sap. c. 6. *Dei*; & iterum ipſe Paulus aſſerit: *Pro Chriſto legatione fungimur*. S. P. Rom. c. 3. Ergò non Superiores ipſi: ſed Deus per eorum ora iubet. Nàm *qui* S. P. Cor. 2. c. 5. *per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*; ſed Deus eſt prior in poſſeſſione iubendi; cùm Deus ſit Cauſa libertatis. Nàm cauſa eſt prior effectu. Ergò prior libertate, & omnis creatura iure confiteri poteſt cum Sapientia. *Dominus in initio viarum ſuarum poſſedit me*. Ergò Deus eſt poſſeſſor *antiquus dierum*, ac Prior; *qui autèm* Qui prior de reg. iur. 6. *Prior eſt tempore, Potior eſt iure*. Hinc canit Dauid: *Domini eſt* Pſal. 23.

terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Ergò Superiores, tamquam Dei Miniſtri, ac Delegati, Priores ſunt in poſſeſſione, ſeu quaſi poſſeſſione præcipiendi; Prædicta igitùr Regula, vel pro Iuſtitiæ materia, ac intèr pares conſtituta, eſt, nèc ad obedientiam eſt extendenda, vel ſi extenditur, Superiores poſſident prius, ac potius imperandi Ius.

CAP. XC.

Axiomata diuerſa breuitèr elucidata.

I. B*Ona diſtinctio habet vim commentarij*: Diſtinctio interpunctionis multas quæſtiones de medio tollit: ſed multò magis diſtinctio circumſtantiarum res explanat: Vndè Summus Pontifex cum D. Auguſtino monet: *Diſtinguite tempora, & concordat Scriptura*: Vndè etiàm prodiuit: *Diſtingue tempora, & concordabis Iura*.

Can. 2. q. 1. C. ſi peccauerit.

II. *Serui iure humano ſunt nulli: non autèm iure naturali; ſeruitus non eſt ſecundùm, nequè contrà, ſed pratèr naturam*; hanc explicant ſequentes Iuris Regulæ; *ſeruitutem mortalitati comparamus*. Sanè, *quod attinet ad Ius ciuile, ſerui pro nullis habentur; non tamèn, & iure naturali; quià quod ad Ius naturale attinet omnes homines æquales ſunt*.

L. ſeruitutem ff. de Reg. Iur. L. Quod attinet. ff. de reg. iur.

III. *Omnis exceptio debet eſſe de contentis in regula*, & *exceptio firmat Regulam in contrarium*. Excipere videtur eſſe vnum ex pluribus capere: puta *omnis homo mendax*, pratèr Paulum; quæ *exceptio* dicitur & *excluſio*; quo ad rem eædem; ſed in modo diuerſæ; Vt igitùr fiat exceptio debet præſuponi aliquod *Totum*, cuius, ſi vna eximatur Pars, dicitur *excipi*, ac *excludi* à reliquo: puta omnes Apoſtoli ſunt ſalui (en totum Collectiuum) pratèr Iudam (en exceptio, ac excluſio:) adeò vt, quod excipitur debet eſſe aliquid Totius, ſecùs non exciperetur, ſed aliundè acciperetur. Cùm verò ſit exceptio partis de Toto, vel vnius ex pluribus; quod prædicatur *de excepto*, negatur *de Toto*, ex quo eximitur, & cùm negatur de eodem, affirmatur de alio: *Natura enim Termini Reſtrictiui hoc habet, quod ſic excludit ab ipſo extranea, quod cuncta ad ipſum pertinentia*, concludit ſic Clemens.

C. Exiui Clem de Verb. ſign.

IV. *Ignorantia inuincibilis excuſat; Vincibilis verò non excuſat*: Vidè ſuprà in cap. 38.

V. *Vbi*

V. *Vbi iura ſunt paria, & inconditionata, ſi alter non ſatisfacit nèc alter tenebitur*. Vide ſuprà cap. 17.

VI. *Iniquum petimus interdùm, vt iuſtum aſſequamur*. Nàm etſi petat vnus, non idcircò alter ſtatim ſoluit; ſed locus eſt oblationi, & conuentioni iuſtæ.

VII. *Vltroneæ merces, & pecuniæ vileſcunt, rogatæ, & extortæ valoreſcunt*. Imperator declarat quod *Pratia rerum non ex affectu, nèc vtilitate ſingulorum, ſed communitèr fungantur* [vel fingantur], & S. Auguſtinus dicit, quod: *Pratium rerum venalium conſideratur ſecundùm quod res in vſum hominis veniunt*, & cum eo D. Thomas 2.2.q.77.art.2.ad 3. Vſus autèm rei nunc augetur, nunc minuitur: hinc *Pratium cuiuſque rei pro tempore eſt*: (inquit Seneca). De Beneficijs lib. 6.c.15. Vndè Axioma hoc clareſcit: Quo enim maior eſt Rerum inopia, & copia mercatorum, eo pluris Res valent, & è contrà minoris æſtimantur: Cùm autèm vltroneæ offeruntur, ſignum eſt eſſe Rerum copiam, & inopiam Mercatorum: Vndè vileſcunt. L. Pretia. ff. ad leg. Aquil.

VIII. *Alleganti ſuam turpitudinem in alterius præiudicium non eſt credendum*; Ità decernit Innocentius Tertius in Decretalibus. *De Donationibus* in Capitulo; *intèr Delectos*, & *Imperator in Codice de Tranſactionibus*, in lege, quæ incipit; *Tranſactione*, & Capitulo Venietis: *De Teſtibus*. In foro exteriori militat ſaltèm de Fide plena; in foro autèm interiori, cùm ipſe idem ſit Reus, & Teſtis, ei creditur, & in foro externo, cùm de animæ ſalute agitur: veluti ſi aliquis ſe duxiſſe conſanguineam, allegaret, audiendus eſſet.

IX. *Melior eſt conditio poſſidentis*; Vide ſuprà cap. 23.

X. *Summa eſt Ratio, quæ pro Religione eſt*. *Ratio à Deo nobis data*; Deum eſſe omnium Principium indicat, eique cultum exhibendum, ac reddendum eſſe, quæ Dei ſunt, indicit.

XI. *Neceſſitas facit licitum, quod Iure humano illicitum eſt*. Vide ſuprà cap. 13.

XII. *Non agit doloſè, qui ſuo vtitur iure*. Vide ſuprà cap. 20.

XIII. *Vbi nèc leges, nèc Iura diſtinguunt, nèc nos diſtinguere debemus*. Vide ſuprà cap. 1. n. 2.

XIV. *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona*; Ex Doctore Gentium deſumitur; Aliud eſt facere; Aliud permittere; Aliud facere, aliud vti facto. Facere non licet; vti facto licet; ſicuti Deus mala non permitteret, niſi ex malis bona facere poſſet. Vide p. 3. cap. 15. n. 10. S. P. Rom. c. 3.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XCI.

Axiomatum continuatio.

I. QVi è duobus ſibi propoſitis alterum admittit, alterum negare videtur, & è contrà. Exemplum habemus in Chriſto Ieſu, cui cum obieciſſent Iudæi duo, nimirùm, quod Dęmonium haberet, & Samaritanus eſſet, reſpondit ſe Dęmonium non habere, & Samaritanum ſe eſſe, negando primùm, confeſſus eſt: *Duo quippè ei illata fuerant, vnum negauit, aliud tacendo conſenſit* (inquit S. Gregorius Papa.)

S. Greg. ho. 18. in Eu.

II. *Vnus Teſtis* [cùm agitur de damno tertij] *nullus Teſtis. Vox vnius, Vox nullius*. hinc Teſtes ſingulares ſufficientèr non probant; reſcripſit Innocentius Tertius in Capitulo: *Cùm dilectus: De electione*. *Nunc* (ait Imperator) *manifeſtè ſancimus, vt vnius omninò Teſtis reſponſio non videatur, etiamſi præclara Curiæ honore præfulgeat*. Cui conſentit Alexander Tertius, ità reſcribens: *Nulla eſt cauſa, quæ vnius teſtimonio, quamuis legitimo, terminetur*: & Innocentius Tertius conſonat, dicens: *Nè vnius Iudicis quantæcumque fuerit auctoritatis, verbo credatur in cauſis. Salua in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate*.

L. 9 Iuris iurandi. in cord. de Teſtib. Alex. III. Cap. Licet vniuerſ. de Teſt. & atteſtation. Innoc. III. in Cap. Cũ a nobis de Teſt & atteſtat.

III. *Conſuetudo peccandi contrà legem Dei non præſcribit*. Hanc explicat, & confirmat Gregorius Nonus: *ſic*: *Cùm tantò ſint grauiora peccata, quantò diutiùs infælicem animam detinent alligatam; nemo ſanæ mentis intelligit, naturali iuri, cuius tranſgreſſio periculum ſalutis indicit* (quacumque conſuetudine), *quæ dicenda eſt veriùs in hac parte corruptela, poſſe aliquatenùs derogare*.

C. Cum tãto. De Conſuetudine.

IV. *Non frangit votum, qui in melius commutat*; disertè hoc Gregorius Papa decernit dicens: *Propoſitum, aut promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat*. In Capitulo: *Peruenit*: *De Iure iurando*.

V. *Præcepta non poſſunt in melius commutari à Subdito*. *Melior enim eſt obedientia, quàm victima*; & ideò reprehenſus fuit Rex Saul; quia Iuſſus expectare, properauit tamèn Deo ſacrificium offerre (vti narrat liber primus Regum): *Velut enim Dominus, vt obediatur voci eius*, non holocauſta ex hominis arbitrio: ſic de cæteris Superioribus Dei Miniſtris.

Reg. 1. c. 15.

VI. *Meretur priuilegium amittere, qui illo abutitur*: apertè ſic ſancit Innocentius Tertius in Capitulo *Tuorum*. *De Priuilegijs*.

VII. *Agen-*

VII. *Agentes, & conſentientes pari pæna puniuntur.* Eſt Alexandri Tertij in Capitulo. *Quià quæſitum.* De Officio, & Poteſt. Iud. Deleg. cum D. Paulo Rom. c. 3.

VIII. *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam:* Vndè dicunt Sancti Mathæus c. 25. & Lucas c. 19. *Habenti dabitur.*

IX. *Actus intellectualium Agentium non operantur moralitèr vltrà eorum voluntatem.* Homo enim, vt homo deliberata voluntate agit: *Actus* enim *humani ex voluntate deliberata procedunt.* Ergò vltrà voluntatem, ſeu intentionem, ſi aliquid fiat, non eſt humanum, cùm non ſit voluntarium. Ergò homo, vt homo tunc non operatur.

X. *In omni dubio debet Iudex ſecundùm allegata, & probata iudicare:* Nàm Iudex perſona publica eſt, & ſecundùm publicam notitiam Actorum iudicare debèt, *non ſecundùm id* (ait S. Thomas) *quod ipſe nouit, tamquàm priuata perſona, ſed ſecundùm id, quod ſibi innoteſcit tamquàm perſona publica:* ſecùs magnus aperietur aditus ad quamcumque iniuriam ſub Iuris, ac Iuſtitiæ nomine: Vndè (inquit idem Doctor) deberet etiàm condemnare ſecundùm allegàta innocentem, ſi nulla alia eſt via eum ſaluandi. Superiorem confirmat Gratianus.

S. Tho. 2. 2. q 67. ar. 2.

S. Tho. 2. 2. q. 64 ar. 6. ad 3.

Gratian. c. iudicet cau. 3. q. 7.

XI. *Actus humani, nèc peiores, nèc meliores ciuilitèr ſunt, quàm probantur.* Lux patefacit omnia in mundo hoc magno: ſic Probatio lux eſt, quæ in mundo ciuili cuncta demonſtrat, quæ ſi lumine non patefierent, quaſi omninò non eſſent: hinc dicebat S. Bernardus: *quod probari non poteſt, mihi infectum eſt.*

S. Bern. De Præcept. c. 18.

XII. *Quod multotiès fit, videtur deliberatione plena fieri.* Continuatio enim iudicat animi meditationem: hinc dicit Imperator: *Quicquid calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non priùs ratum eſt, quàm ſi perſeuerantia apparuerit iudicium animi fuiſſe.* Imò malum, quod ſæpè fit, contemptum oſtendit; vti docet S. Franciſcus Saleſius.

L. quicquid ff. de reg. iur.

S. Sales Trat. 1.

XIII. *Bonum eſt ex integra cauſa, malum verò ex quocumque defectu:* Deſumptum eſt Axioma hoc ex S. Dyoniſio Areopagita; *Vidit* Deus cuncta, quæ fecerat, *& erant valdè bona:* ſed omnia, quæ Deus fecit, *diſpoſuit in pondere, numero, & menſura.* Ergò bono inſunt pondus, numerus, ac menſura: ſi verò vel pondus, vel numerus, vel menſura deſit, iàm non erit bonum; hinc ſcripſit Sanctus Iacobus: *Quicumque totam legem ſeruauerit; offendat autèm in vno, factus eſt omnium reus:* & Daniel de Rege Perſarum Baltaſſar; *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minùs habens:* & S. Ioannes in Apocalypſi refert dictum fuiſſe Angelo Sardis: *Non inueni opera tua plena coràm Deo meo.* Bonum etenim eſt plenitudo eſſendi, cùm

S. Dyon. de Diuin. nomin. c. 4. §. 31.

Geneſ. c. 1.

Vid. Arbor p. 2. Flo 9.

Sap. c. 11.

S Iacob c. 2.

Dan. c. 5.

Apoc. c. 3.

res

res plenè eſt, ſeu habet omnia requiſita, iuxtà exigentiam ſuæ naturæ, cui ſi deſit aliquid, iàm non eſt plena, & ideò deeſt illi Bonitas. *Bonitas* autèm vna poteſt dici *eſſentialis*, cùm ſcilicèt requiſita eſſentialia habentur; Alia *Bonitas accidentalis*, cùm inſunt accidentia, quæ rem ipſam perficiunt, & hæc ſuſcipit magis, & minùs, & proptèr hanc aliquid dicitur *Bonum*, aliud *melius*, poſtremùm *optimum*.

CAP. XCII.

Pſal. 24. Pſal. 144. DEus punit infrà condignum, & præmia dat ſuprà condignum. *Vniuerſæ viæ Domini Miſericordia, & Veritas* (pſalit Dauid): ſed *miſerationes eius ſuper omnia opera eius*; opus enim miſericordiæ excellit opus iuſtitiæ: *ſuper exaltat* enim *miſericordia iudicium* (inquit S. Iacobus). S. Iacob.

II. *Cauſa Cauſæ, eſt cauſa cauſati*; *Per ſe*, non autem cauſa per accidens, cui arridet Axioma Canonicum: *qui occaſionem* [ſcilicèt] *cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur*. C. ſi culpa. De Iniur. & damn.

III. *Per quas cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſoluitur*. Vide ſupra cap. 3.

IV, *Maior eſt orbis vrbe*. Vide ſup. cap. 46. 47.

V. *Leges talibus decent verbis concipi, & pronunciari, qualibus à ſubditis intelligi queant*. Vide ſup. cap. 4.

VI. De occultis non iudicat Eccleſia. Vide ſup. cap. 60.

VII. *Eiuſdem eſt legem authentice interpretari, cuius eſt condere*. Vide ſup. p. 1. cap. 16. *Vndè Ius prodijt, interpretatio quoque procedat*. C. Inter alia. De ſent. exc.

VIII: *Turpis eſt omninò pars ſuo vniuerſo non congruens*: eſt Sancti Auguſtini in libro 3. Confeſſ. cap. 8. relatum à Diuo Thoma 2. 2. q. 169. art. 1. Pars namque eſt proptèr totum, cui propterea debet confirmari, ſi tamen totum rectè ſe habeat; vt ſupponitur.

L. Fere in ff. de reg. iur. IX. *In Iudicijs habenda eſt ratio ætatis, & ſexus*. Videtur ſonare cum Imperatore. *Ferè in omnibus pænalibus iudicijs, & ætati, & imprudentiæ ſuccurritur*.

X. *In æquiuocis ille ſenſus admitti debet, qui ſit aptus*. Nam, *qui ambiguè loquitur, id loquitur, quod ex ijs, quæ ſignificantur, ſenſit* (inquit Imperator). Prudens verò præſumitur ſentire quod res vel actus valeat, potius quam pereat: hinc *quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum accipienda eſt, quæ rei* L. Nepos ff. de ver. ſig.

ge-

Digitized by Google

gerendæ aptior eſt. Ita ſancit Iuſtinianus in l. Quoties. ff. de Reg. Iur.

XI. *Eiuſdem eſt ligare, & ſoluere*: vide ſupra cap. 31. & *A non ſuo Iudice ligari nullus valet, vel abſolui*: (inquit Alexander Tertius). *Alex. III. C quod autem de Pænit & remiſſ.*

XII. *Par non habet poteſtatem in parem*. Eſt Innocentij Tertij in c. Innotuit. De electione.

XIII. *Taciti & expreſſi eadem eſt efficatia*. Virtus verborum eſt ſenſus eorum: vt dictum eſt ſupra, & cum D. Auguſtino iterum repetimus: *ſenſus* autem alius *tacitus*: alius *expreſſus*. Tacitus eſt, cum dicentis ſententia ex verbis indicatur: ſed verba diſertè non indicant; tunc enim ſenſus foret expreſsus: ſiuè ergò verba tacitè, ſiuè expreſsè ſenſum dicentis eloquantur, idem regulariter operantur: hinc dicit Imperator. *Fraus legi ſit, cum quo fieri noluit, fieri autem non vetuit*; huic lucem maiorem affert cap. 5. ſup. *D. Auguſt. tr. 102. in Ioan.* *L. Fraus ff. de legib.*

XIV. *Error communis cum Titulo dat Iuriſdictionem*: vide ſupra cap. 58.

XV. *Fortior eſt clauſula ſpecialis, quam generalis*. Vide cap. 47.

XVI. *Nemo fauore vti cogitur*: Nam *Inuito* (ait Imperator) *beneficium non datur*: *quod* enim (inquit idem) *cuique pro eo* (nota) *præſtatur*; *inuito non tribuitur*: propterea *omnes habent licentiam iuri, quæ pro ſe inducta ſunt, renunciare*: declarat Iuſtinianus: ſiquidem *quilibet ad renunciandum iuri ſuo, liberam habet facultatem*. Confirmat Summus Pontifex. Verum notandum eſt poſſe renunciari Iuri ſuo perſonali, quod pro eo in particulari præſtatur [vt notauimus], non autem iuri vel dignitatis, vel ordinis, vel ſimilis. *L. inuito ff. de reg. iur.* *L. nuitus ff. de reg. iur* *L. ſi quæ C. de Epiſc. & Cler.* *C. ex conſcientia. De crim. falſi.*

XVII. *Qui irrationabilitèr inuitus eſt, virtualitèr eſt non inuitus*. Nàm omnis homo vult eſſe homo: hoc eſt animal Rationale, & ex Rationis præſcripto velle, & operari: nullum enim agens contrà naturam ſuam agere ſolet: ſed vnumquodque iuxtà genus ſuum agit. Ergò rationabilitèr omnia vult in genere: ſi verò in particulari renuit, iàm non cenſetur inuitus, qui in genere vult operari ex Ratione.

XVIII. *Non debet à priuato fieri, quod per Magiſtratus fieri poteſt*. Etenim, *non eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratum publicè fieri poteſt* (ait Cæſar) *nè occaſio ſit maioris tumultus faciendi*. *L. non eſt ff. de reg. iur.*

XIX. *Vim vi repellere licet*: *omnes leges* (inquit Innocentius Tertius) *& omnia iura permittunt*: *id tamèn debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam*: *ſed ad iniu-*

Digitized by Google

riam propulſandam : in Capitulo ſignific. De Homicidio Voluntario, vel Caſuali lib. 5. Tit. 12. & D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7.

L. in omnibus. ff. de reg. iur. XX. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praeſenti die dabitur.* Eſt Regula Iuris Cæſarei; ſi autèm apponitur dies ſtatuta pro Domino interpellat.

C. Paſuit. De locat. & cond. *L. Res iudicata ff. de reg. iur.* *L. Res iudicata. ff de reg. iudicata.* *C. quod ad. De ſent. & Re iudicata.* XXI. *Res iudicata pro veritate accipitur.* Sunt verba Imperatoris: ſicut enim quod non probatur, perindè eſt in Foro Fori, ac ſi non eſſet; E contrà quod probatur, perindè eſt, ac ſi verum foret. Res autèm antequàm iudicetur, probatur, & indè *Res iudicata pro veritate accipitur* : *Res iudicata dicitur, quæ finem contro uerſiarum pronunciatione Iudicis accipit, quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit non ſtatim; ſed poſt dierum decem ſpatium ſententia in auctoritatem rei tranſit iudicatæ.* C. quod ad. De Sentent. & Re iudicata; quià *lata ſententiæ paruiſſe iuris interpretatione videtur*. C. quod ad. De ſentent. & re iud. *Iuſiurandum quoque vicem rei iudicatæ obtinet, non immeritò, cùm ipſe quis Iudicem aduerſarium ſuum de cauſa ſua fecerit, deferendo ei iuſiurandum.* l. 2. Iuſiurandum. ff. Quarum rerum actio non dat. *Rebus* quidèm *iudicatis ſtandum eſt*. l. Rebus quidèm. Nèc enim *inſtaurari finita, rerum iudicatarum patitur auctoritas*. l. Ad ſolutionem. C. De Re iudicata.

CAP. XCIII.

I. EXtrà *territorium Ius dicenti impunè non paretur.* Eſt Imperatoris in l. 20. ff. De Iuriſdictione: & Summi Pontificis. C. Vt animarum. De Conſtitut. in 6. Sicuti etiàm in phyſicis nullum agens agit in diſtans extrà Sphæram actiuitatis ſuæ; perindè enim eſt quoad operationem tibi non exercitam, ac ſi non eſſet; quod autèm non eſt, non agit: ſecùs intrà fines iuriſdictionis: *Non poteſt dolo carere, qui Imperio Magiſtratus non obtemperat*: (ait Imperator) l. non poteſt. ff. De Reg. Iur.

II. *Iura concordari debent, & corrigi non debent.* Nàm Sapientia eſt in Legiſlatoribus (vt ipſamet per Salomonem teſtatur): ſed *Sen. ep. 20.* Sapientia ſibi conſtat, nèc ſibi ipſi diſcordat (vt dicit Seneca). Ergò ſi iura, quæ ſunt Sapientiæ Decreta, ſibi aduerſari videantur, reipſa tamèn ſibi conſentient, & idcircò in apparenti verborum diſcordia, Concordia ſenſuum requirenda erit: hinc Summus Pontifex monet: *Ea, quæ in principio ad medium, & finem. Illa verò, quæ in medio ad finem, atque principium ſæpè referri contingit*; in Capitulo *ſecundo*. De Apellationibus, cui accedit Imperator in l.

50. ff. De

50.ff.De legat.1. Nàm *expedit concordare Iura, & eorum correctiones* (ſi ſuſtineri valeant) *euitari;* decernit Bonifacius Octauus in C. cùm expediat. De elect.

III. Fides eſt ſeruanda hoſti etiàm Hæretico. Vide ſuprà Cap. 17. & S.Ambroſius ſic etiàm apertè docet: *Si conſtitutus ſit cum hoſte, aut locus, aut dies prælio, aduerſùs iuſtitiam patetur, aut loco præuenire, aut tempore;* D.Ambroſio accedit Auguſtinus ſic dicens apud Gratianum: *Fides, quando promittitur, etiàm hoſti ſeruanda eſt, contrà quem bellum geritur.* *S. Amb. of. l.1.c.28. Grat. cau. 23.q.1.c. noli exiſt.*

IV. *Nemo ad expenſas condemnatur, niſi improbabilem partem tenuerit:* Alexander Tertius hanc docere cernitur in Capitulo *ex literis*, De Dolo, & contumacia.

V. *Bonum inferioris ordinis non debet reſtitui cum detrimento boni ſuperioris in ſuo genere aquè grauis.* Leſſius cum alijs de Iuſtitia, & Iure lib.2.c.11. Dubit.15. Quadruplex eſt ordo. 1. Anima. 2. Corpus. 3. fama, ac honor. 4. Diuitiæ, ac Facultas. De primo ordine inquit S.Math. c.16. *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua.* Corpus, eiuſque vita, quæ animæ eſt proximior. Fama. [Prouerb.c.22.] *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multa.* Cùm ergò Iuſtitia æqualitatem iubeat, ſi bonum inferioris ordinis reſtitui imperaret, cum detrimento Superioris, iàm non æqualitatem iuberet, ſed inæqualitatem; quiâ vrgeret plùs dare, quàm ſit acceptum veluti ſi pro pondere æris exigatur auri pondus, non verò ſi exigatur momentum; vti videtur docere D.Thomas 2.2.q. 62.art.2. iuxtà inferius Axioma.

VI. *Qui reſtituere non poteſt, quantum debet, debet reſtituere quantum poteſt;* arridet Imperator ſic; *quæ de tota re vindicanda dicta ſunt, eadem, & de parte intelligenda ſunt* [l.76.quæ de Tota. ff.De Rei vindicat.) Nàm *in toto partem non eſt dubium contineri.* Vide ſuprà Cap.46 hinc, *Diuus Pius reſcripſit, eos, qui ex liberalitate ſua conueniuntur, in id, quod facere poſſunt, condemnandos;* decernit, ac declarat Imperator. l.Diuus ff.de Reg.Iur. quæ intelligenda ſunt cum Totum diuiduum, diuidique poteſt, ſecùs non; vti colligi poteſt ex l.cùm ampliùs, & l.53. ea quæ ff. De Reg.Iur. Huiuſmodi eſt Doctrina D.Thomæ 2.2.q.62.art.2.

VII. *Pro ſola iniuria (præſcindendo à damno) nulla eſt reſtitutio facienda ante ſententiam Iudicis.* Colligi videtur ex lege ſeptima incipiente *Prætor edixit in digeſtis lib.47. De Iniurijs.* Iniuria enim aliquandò coniungitur cum damno, & hoc ſarciendum, aliquandò eſt ſimplex iniuria abſquè detrimento rerum, & tunc iniuriæ ſatisfactio debetur per veniæ petitionem, vel ſimiles actus iuxtà illud

Hh 2 Ma-

Digitized by Google

Mathæi: c.5. *Offers munus tuum ad altare, vade priùs reconciliari fratri tuo.*

VIII. *Non probat hoc eſſe, quod aliquandò contingit non eſſe.* Aliud eſt *Poſſibile*, cui eſſe non repugnat. Aliud *Probabile*, quod iàm eſſe actu, vel futurum oſtenditur. Nàm Probare eſt rem oſtendere. Oſtenditur Res, cùm Ratio quaſi lucerna eam eſſe demonſtrat, proptèr connexionem Rationis cum Rè: ſed contingentia minimam habent cum cauſa connexionem, eſtque eorum lumèn, veluti noctilucæ. Ergò non demonſtrantur, nèc probantur eſſe, cùm etiàm contingat non eſſe. Confirmatur ex l. Nequè Natales. C. De Probationibus.

IX. *Non eſt permiſſa defendendi facultas, vbi offendendi eſt conceſſa libertas.* Iura Iuribus concordant, non diſcordant. Ergò ſi Ius vni eſt offendendi alterum, Alteri ius non erit, ſe ſe cum alterius damno, vel ſcandalo ſe defendendi. Non enim poteſt eſſe bellum vtrimque iuſtum. Confirmatur in Codice ab Imperatore in Titulo: *Quandò liceat vnicuique ſinè Iudice* ſe vindicare lib.3.Tit.27. hanc tradit diſertè doctrinam S.Thomas 2.2.q.69.art.4.

X. *In homine libero nulla condigna corporis æſtimatio fieri poteſt.* Nàm *liberum corpus* [inquit Iuſtinianus] *æſtimationem non recipit, ſed impenſarum in curationem factarum, & operarum amiſſarum, quaſque amiſſurus quis eſſet, inutilis factus* l.3.ex hac lege ff.ſi quadropes lib.9.T.2.

II. *Volenti, & potenti velle, non fit iniuria.* Velle eſt actus liber, ac indeterminatus (ſecundùm ſubiectam materiam). Liber autèm non eſt, ſi non poteſt ſic ſe determinare ad volendum, ſicut ad nolendum. Nàm ſi cogitur velle, ac determinatur ad vnum, iàm non eſt liber ad vtrumlibet; iàm ergò non erit liberum velle: hinc dixit Imperator. *Eius eſt nolle, qui poteſt & velle:* hinc *quod quis ſi velit habere, non poteſt, id repudiare non poteſt.* l.qui poteſt ff.de Reg.Iur. Vndè etiàm. *Nolle hæreditatem non videtur, qui non poteſt adire.* l.Nolle. ff.de acquirenda, vel omitt.hæred. *Is non poteſt repudiare, qui & adquirere poteſt.* l.Is poteſt ff.de acquirenda, vel omitt.hæreditate. *Duo ſunt velle, & poſſe, ab eo, quod eſt velle voluntas, ab eo quod eſt poſſe poteſtas nomen accepit, vt poteſtate aliquid fiat, voluntas aderit. Nèc enim dici ſolet quiſpiam poteſtate feciſſe, ſi quid fecit inuitus, quamquàm ſi ſubtiliùs aduertamus, etiàm quod quiſque inuitus facere cogitur, ſi facit, voluntate facit; ſed quià malit aliud, ideò inuitus, hoc eſt, nolens facere dicitur; Nàm ſi tanta voluntas ſit vt malit, hoc non facere, quod illud non pati, cogenti proculdubiò reſiſtit, nèc facit: ac per hoc ſi facit, non quidèm plena, & libera voluntate; ſed tamèn non facit; niſi*

L. Eius eſt ff. De Reg. Iur.

Digitized by Google

niſi voluntate, quam voluntatem; quià effectus ſequitur; non poſſumus dicere poteſtatem defuiſſe facienti. Hanc dicimus poteſtatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi: Vndè hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit; ſi non vult, non facit. Contentio volentis eſt. Mala voluntas ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus. Cùm poteſtas datur, non neceſſitas vtiquè imponitur (inquit D. Auguſtinus) Tom.3. De ſpiritu, & littera ad Marcellinum lib. vno c.31. *Voluntas deniquè eſt animi motus cogente nullo ad aliquid, vel non admittendum, vel adipiſcendum*; repetit S. Auguſtinus Tom.4. lib. Viginti vnius ſentent. ſentent.14. ad hanc regulam videtur alludere illud D. Bernardi Epiſt.87. *Extorta, ſeu coacta licentia, licentia non eſt, ſed violentia*.

XII. *Contractus ex parte pupilli ſæpè claudicat*. Nàm *Pupillus* (ait Imperator) *nèc velle, nèc nolle in ea ætate, niſi appoſita Tutoris auctoritate, creditur; Nàm quod animi indicio fit, in eo Tutoris auctoritas neceſſaria eſt*. l.Pupillus ff.de Reg.Iur. Vndè *nullius rei alienatio pupillis ſinè Tutoris auctoritate conceſſa eſt*. §. Quod ſi malè. Inſtit. Quibus alienare licet. *Quanto enim tempore hæres paruulus eſt, nihil difert à ſeruo, cùm ſit Dominus omnium*. D. Paulus ſcribit ad Galatas c.4. *Pupillum verò, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe, & furandi, & iniuriæ faciendæ conſtat*. l. Pupillum ff.de Reg.Iur.

XIII. *Rei ſuæ vnuſquiſque eſt Moderator, & Arbiter*. Hoc Axioma à Iuſtiniano prodit: l.in re mandati C.Mandati. Rei ſuæ ſcilicèt, cuius ipſe eſt Dominus, eamque ſibi acquirit, non animæ, quæ à Deo creatur, non vitæ, quæ à Deo datur; nequè Famæ, ſi vel in animæ, vel corporis redundat detrimentum, vel etiàm aliorum, ſicuti Familiæ, vel Religionis. Vnuſquiſque enim homo, cùm ſit Rationalis, omnia etiàm ſua moderari Ratione debet; ſecùs contrà Rationem agens, Reus fit recti, ac honeſti neglecti.

XIV. *Aliud eſt nocere, & aliud omninò diuerſum non prodeſſe*. Nàm aliud eſt malum, & aliud eſt bonum: hinc monet Dauid. *Diuerte à malo, & fac bonum*: nocere non licet, quià malum; non prodeſſe licet: quià ex ſe omiſſio boni alteri vtilis non eſt ſempèr mala. Præterea non nocere eſt præceptum negatiuum obligans *ſempèr*, & *ad ſempèr*. Prodeſſe affirmatiuum obligans *ſempèr*, ſed *non ad ſemper*. Superius Axioma confirmatur ex l.5. Si ſponſus §.13.ff. De Donationibus intèr virum, & vxorem.

XV. *Quæ neceſſariò dantur ex liberalitate non dantur*. Nàm [inquit Imperator] *donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur. Donatio dicta eſt à dono, quaſi dono datum*. l.Senatus cenſuit ff.de mortis cauſ. donat, & capio. *Dona autèm propriè ſunt*, L. Donari ff. De Reg. Iur.

quæ

quæ nulla neceſſitate, iure, officio, ſed ſpontè præſtantur, quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt: & ſi præſtentur, plerùmque laus ineſt. l.Munus propriè ff.de Verb.ſignif. Donum ab Ariſtotele dicitur *datio non reddibilis*. *Qui aliquid remittit, quodammodò donat illud*. D.Th.1.q.21.art.3.ad 2.

XVI. *Quod communitati datur, nulli datur*. Eſt etiàm populare effatum, qui communi Collegio ſeruit, nulli ſeruit. *Omnes* enim *quæ ſua ſunt* particularia *quærunt, non quæ Ieſu Chriſti*, vel Communitatis; & indè quæ non ſibi ſingillatim, ſed collectiuè Collegio datur, acceptum ſibi non fert.

XVII. *In cauſa propria nemo Iudex, & nemo Teſtis eſſe poteſt*: Nàm *qui iuriſdictioni præeſt, nequè ſibi ius dicere debet, nequè vxori, vel liberis ſuis, nequè libertis, nequè cæteris, quos ſecum habet*: inquit Imperator in C.10. qui iuriſdictioni ff. de Iuriſdictione; quam ſic repetit Iuſtinianus: *Generali lege decernimus neminem ſibi eſſe iudicem, vel ius ſibi dicere debere*. *In re enim propria iniquum admodùm eſt, alicui licentiam tribuere ſententiæ*. In Codice lib.3. Tit.5. Nè quis in ſua cauſa iudicet.

Prætereà *nullus idoneus Teſtis in re ſua intelligitur*: ſubdit Imperator in l.10.nullus, ff.De Teſtibus, & in Codice ſic repetit: *Omnibus in re propria dicendi teſtimonÿ facultatem iura ſubmouerunt*. l.10.Omnibus. C.De Teſtibus.

XVIII. *Totus mundus eſt Prælato Regulari pro Territorio*. Prælatus enim Regularis, cùm auctoritatem habeat in perſonas, has ſequitur ipſius auctoritas vbiquè.

XIX. *Ex delicto nemo vtilitatem debet conſequi*. Vide ſuprà Cap.22. *Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Non poteſt arbor mala bonos fructus facere* [inquit apud S.Mathæum Dominus Ieſus c.7. *Malitia, & dolus nulli potrocinari debent*. C. ex litteris. De dolo, & contumacia C. Plerumquè. C.ex timore De Reſcriptis: *ne videatur de ſua malitia commodum reportare*. C.Intelleximus De Iudicijs: *Malitÿs enim hominum indulgeri non debet, ſed obuiari*. C.ex parte de Priuilegijs: hanc refert Gratianus; imò apud Gratianum S.Auguſtinus De Pœnitent. Diſt.1.C.magna pietas.

XX. *Votum pro Opere reputatur*; hanc refert Gratianus; imò apud Gratianum S.Auguſtinus. De Penit.diſt.1.c.magna. Homo apud Phyſicos definitur eſſe Compoſitum conſtans ex anima intellectiua, & corpore. Apud Methaphyſicos conſtare ex genere, & differentia, ſeu eſſe Animal Rationale. Apud Philoſophos Morales deſcribitur, eſſe *Homo Agens voluntarium, & liberum*: niſi enim adſit voluntas deliberata in moralibus non dicitur Homo operari:

hinc

hinc *Actus humani* dicuntur eſſe, *qui ex voluntate deliberata procedunt*: ſicuti pluriès cum D. Thoma diximus. Actus igitùr eſſentialis hominis, vt Homo eſt, Actus internus eſt voluntatis liberæ; *Seneca De Benef. lib. 5 c. 14.* Actus verò externi ſunt veluti effectus acceſſorij, ac indicia actuum internorum; hinc & Seneca ſcripſit: *Exercetur, & aperitur opere nequitia, non incipit*; quamuis aliquandò fiant interiorum actuum etiàm obiectum, cùm ſcilicèt quis vult actum externum; hinc dicit Ariſtoteles quod *Virtus magis conſiſtit in electione; quàm in actu*, & Imperator etiàm decernit, quod delictum in voluntate magis conſideratur: ſiquidèm *punitur affectus, etiamſi non ſequatur effectus*. L. Aut facta §. Euenit. ff. De Pęnis. In Foro conſcientiæ de hoc non eſt ambigendi locus; in Foro verò Fori cùm affectus procedit in aliquem actum, ac conatum, etſi non ſequatur completus effectus; vti patet ex L. Is qui. C. ad l. Corneliam. De Sicarijs. Nàm & ipſemet Chriſtus profeſſus eſt quod, *ex corde exeunt cogitationes malæ*. Math. c. 15. Ergò Cor eſt fons, ſi hic fons ſiccatur, nihil morale deriuat, quaſi riuulus: ſed & ipſamet Dei Sapientia per os Prophetarum declarat quod, *Appendit corda Dominus; quod ſpirituum ponderator eſt Dominus*, & ideò S. Auguſtinus aſſeuerat, quod *nihil ditius offertur Deo bona voluntate*, quam tantoperè expoſtulat, dicens: *Fili præbe mihi cor tuum*. Cùm igitùr Pars potiſſima, & vnicè quæſita adſit, etſi acceſſorium deſit, nihilominùs Principale plurimi ſit; vndè dicitur: *Votum pro opere reputatur* nimirùm (commentatur D. Thomas) cùm deeſt exequendi facultas: aliàs. *Fruſtrà eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet*) inquit S. Thomas. Quamuis tamèn votum pro opere reputetur quoad bonitatem, vel malitiam actus; nihilominùs quoad obligationem reſtitutionis, & incurſum pænarum, non militat Axioma. In his enim opus externum requiritur, & iniurioſum alteri, vt naſcatur reſtituendi debitum. Nàm iuſtitia externas dirigit, ac moderatur actiones: & Legislatores in pęnis verba volunt accipi cum effectu operis, non cum ſolo affectu cordis.

Prouer. c. 21. *Prouer. c. 16* *Prouer. c. 23* *D. Thom. p. 3 q 80. a. 11*

XXI. *De duobus malis minus eſt eligendum*. Eſt Concilij Toletani, & S. Gregorij apud Gratianum. Malum eſt duplex. 1. *Culpæ*. 2. *Pænæ*. Malum culpæ aliud eſt intrinſecè malum ex genere, & natura ſua; quod idcircò prohibetur; quià iàm malum ex ſe eſt veluti odium Dei; Mendacium, & ſimilia. Aliud eſt malum extrinſecè non ex natura ſua; ſed malum eſt; quià prohibetur: Si autèm non prohiberetur malum non eſſet; cuiuſmodi ſunt comeſtio pomi Arboris ſcientiæ boni, & mali, ex ſe non fuiſſet mala, ni à Deo interdicta fuiſſet. Malum intrinſecè ſempèr eſt fugiendum, etſi minimum videretur; multò magis pro alienis, quamuis maximis, vitan-

Grat. D. ſt. 13. c. De mala, & c. Nerui.

Digitized by Google

Grat. Diſt. 14. C. quod ait C. ſicut quædam. tando, vt inquit S. Leo Papa apud eundem Gratianum, & Auguſtinus; ſin verò quis intèr duo huiuſmodi inueniretur perplexus, cùm peccatum neceſſarium non ſit; ſed ſempèr liberum, deponat perplexitatem, & agat, quod ſibi videtur agendum; vti præcipit Sanctus Gregorius Papa in citato capitulo: *Nerui*. *Grat Diſt. 14. G. ſicut quædam.* Extrinſecè verò malum ſempèr minus eſt eligendum: quià in eiuſmodi caſu Legislatores ſic ſe velle profitentur, vt docet idem S. Leo Papa apud eundem Gratianum, nèc cum magno incommodo obligare vnquàm intendunt. Malum deniquè Pænæ minus de duobus eſt eligendum. *Ariſt. Ethic lib. 5. c. 5.* Superioribus adſtipulatur Ariſtoteles dicens; *Minus malum ſempèr eſt eligendum: quià boni rationem ſubit minus malum ad maius malum*: hinc ſtatuit & Imperator: *Quotiès nihil ſine captione inueſtigari poteſt, eligendum eſt, quod minimum habeat iniquitatis*. l. quotiès nihil ff. De Reg. Iur.

XXII. *Potentiæ*, ac *habitus diſtinguuntur per actus*, & *actus per obiecta*. *D. Thom. 1 q. 77. art. 3.* Eſt D. Thomæ, ac Philoſophorum. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. S. Math. c, 7. Sic virtus ex actu ab alia diſtinguitur, & Actus ex obiecto formali, ac per ſe ab alio diſcernitur.

Finis Secundæ Partis.

PARS

Digitized by Google

INDICIS
PARS TERTIA

Deductiones Generales Veritatem ſecundariam, ſeu Probabilitatem continentes ex præcedentibus Veritatem legis primariam, ſeu apertam tradentibus.

CAPVT PRIMVM.
INTRODVCTIO.

I. DEus eſt *primus*, *& nouiſſimus*; *Principium*, *& Finis*: vt inquit S.Ioannes: Hinc ſicuti eſt hominum Creator; ſic eſt & glorificator. Fons, ex quo veluti riuuli defluimus: mare, in quod tamquàm flumina recurrimus. *E*ſt igitùr Deus quærendus, vt de ſemetipſo dicebat Dauid: *Faciem tuam Domine requiram*; *quià ſatiabor cùm apparuerit gloria tua*: quoniàm verò Dei facies, & gloria viuenti in terris non apparet; *nullus* enim poteſt *Deum videre*: idcircò cùm exemplar, & originale modò intueri nequeamus; ſaltèm illius eſt nobis imago exoptanda [vti profitebatur Sapiens dicens]; *Amator factus ſum formæ illius*: Dei autèm, ac *Diuinæ* gloriæ imago Gratia Dei eſt, qua *conſortes Diuinæ naturæ euadimus*, *& Deiformes*, *& ſimilimi illi*.

Apoc.2.2. *Pſal.26.* *Pſal.16.* *S.R.Tim.1.c.6.* *Sap.c.8.*

Ii II. Eo-

Lact. de Falſ.relig. lib.1.c.1. II. Eodem penè pacto philoſophandum in hac noſtra materia: Veritas, quæ Deus eſt, vel Dei eſt (vndè appellatur *Deus veritatis*) eſt toto corde exquirenda. *Nullus* enim *ſuauior animo cibus eſt, quàm cognitio veritatis* (inquit Lactantius Firmianus): Verùm, quià ſæpè nobis Veritas non apparet, illius ſaltèm effigies, ac Imago eſt exoptanda, quæ & *Probabilitas*, & *veriſimilitudo* nuncupatur: *Eiuſdem enim* (ait Ariſtoteles) *virtutis eſt, & veri, & veriſimilis conſideratio*.

Ariſt.rhet. l.1.c.1.

III. Quemadmodùm Abagarus Rex Edeſſæ in Syria magnoperè concupiuit videri, & videre Ieſum, cuius mutuo aſpectu, cùm potiri nequiret, ſaltèm imaginem eius ſibi deferri ſtuduit [vt refert Baronius] & ſicuti etiàm Abſalon magnum deſiderium Dauid ſignificauit, quod Pater Rex ad ſuam accederet domum; ſed cùm Dauid ipſi indulgere renueret, inſtitit Abſalon, vt ſaltèm Filij, qui Patris viuæ ſunt imagines, ſecum pergerent; ſic hæ ſimilitudines ex hiſtorijs declarant rem noſtram.

Bar an.31. n.57.60. 61. Reg.2.c.13.

IV. Intellectus potentia, & oculus eſt animæ, cuius obiectum eſt omnis veritas, ſicuti obiectum oculi corporei lux, & color: Si veritatem intuetur, vt oculus lucem, vel meridiana luce coloratum conſpicit: hæc *intuitiua cognitio* dicitur mentali oculo gratiſſima, & peculiaritèr quoquè dicitur *Intellectus*, qui ab Ariſtotele, & Diuo Thoma definitur eſſe: *habitus primorum principiorum*, ſeu veritatum per ſe notarum, ſicut eſt lux ſolis, & à S.Bernardo explicatur ſic: *Intellectus eſt rei cuiuſcumque inuiſibilis certa, & manifeſta notitia*.

Ariſt. Eth. l 6.c.8. Tho.2.2.q. 47.ar.6. & q.49.ar.2. ad 1. S Bern.de conſid.l.5. c.3.

V. Cùm autèm nequit intuitiuè veritatem conſpicere, veluti Solem in ſeipſo; ſed videt vel in cauſa neceſſaria effectum, vel in effectu neceſſariam cauſam, veluti in Sole oriente diem, vel in Aurora orientem Solem dicitur *Scientia*, quæ definitur ab Ariſtotele *eſſe cognitio certa, & euidens rei per ſuam cauſam neceſſariam*; nàm ſi præmittitur cauſa in antecedentibus propoſitionibus, hæc demonſtrat, ac ſcientiam parit conſequentis concluſionis.

Ariſt. Prior.l.1. c.2.

VI. Verùm cùm tenebræ operiant terram, & caligo populos, & cùm ignorantiæ tenebræ factæ ſint penè per vniuerſam terram; nèc lux veritatis omnibus effulgeat, ſed veluti in nubilo, vel veſperè, ac dubia luce appareat; hinc prodit cognitio incerta, & ineuidens, quæ *opinio* dicitur. *Nàm* (inquit Lactantius) *vndè abeſt ſcientia, id totum poſſidet opinatio. Id enim opinatur quiſque, quod neſcit, ſcientia certi eſt: opinatio incerti*: vndè & à D.Bernardo ſic deſcribitur: *Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias. Nàm opinio eſt certi nihil habens; verum per veriſimilia quærit potiùs, quàm apprahendit, & hoc ſciendum, quià opinio, ſi habet*

Lact. de falſa ſap. l 3.c.3. S Bern.de conſid.l.5. c.3.

Digitized by Google

bet aſſertionem, temeraria eſt. Etenim opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur. De qua ſic Plato. *Rectè opinari eſt quoddam Sapientiæ, & ignorantiæ medium; hoc eſt veri abſquè certa ratione particeps, hoc ſiquidèm neque ſcientia eſt: nàm ſine ratione ſcientia numquàm. Neque ignorantia, quod enim veri compos eſt, ignorantia non vocatur; Huiuſmodi quiddam eſt opinio recta inter ſapientiam, & ignorantiam medium;* & iterùm Plato de opinione hac differit. *Opinio eſt cognitione obſcurior; ignorantia clarior. Inter vtramque iacet opinio media*, quæ dicitur veritas ſecundaria, cùm probabilis eſt, ſicuti euidens rei cognitio dicitur *veritas primaria, & intrinſeca.* Nàm *quicumque* (ait Plato) *ſcientiam babet, ſemper aſſequitur* [ſ. veritatem] *qui verò rectam opinionem, interdùm quidem conſequitur, numquàm verò fallitur.* Similes ſunt opiniones Dedali Statuis (ait idem in eodem loco) quæ ligatæ apparebant opera pulchra, ſolutæ abibant; ſic opiniones ſi ligantur aliqua ratiocinatione à cauſis ducta perſeuerant, ſecùs ex homine aufugiunt. Opinio eſt imago veritatis; ſin verò nèc imago ſimilis haberi queat; ſed ſimilitudo ſimilitudinis, ac imago imaginis, & exemplum exempli, erit ſimilitudo tenuis nihil facienda; vt dicemus poſteà.

Plat. Conuiuio l. 15. — *Plat. Dial. 5. de Rep.* — *Plat. l. 4. Meno.*

VII. Noſter intellectus alio pacto quoquè cognoſcit veritatem ex auditu, non viſu; cùm ſcilicèt Magiſter, vel Doctor eam aſſerit; nèc alia ratione eamdem firmat, quam ſua ipſius auctoritate; & hęc veriùs dicitur *Fides.* Nàm *addiſcentem* [ait Ariſtoteles] *oportet credere*; vti vſu veniebat diſcipulis Pitagoræ, qui nimis creduli, aliam doctrinæ rationem non afferebant, quàm *ipſe dixit*; ſi Magiſter ſit Deus, *Diuina* dicitur *Fides*, & in hac optimè reſpondetur, *Ipſe dixit.* Nàm dùm dicuntur, fiunt: *Ipſe enim dixit, & facta ſunt;* De hac ſcribit S. Bernardus. *Fides innititur auctoritati. Intellectus, & fides babet certam veritatem; ſed fides clauſam; intelligentia nudam, & manifeſtam. Eſtque fides voluntaria quadam certa prælibatio, nec dùm propalatæ veritatis.* Sin autèm Doctor, vel auctor ſit homo fallibilis, huiuſmodi *Fides* humana eſt, & fallax, cùm ſit *omnis homo mendax*; Definitur nihilominùs à Cicerone eſſe, *dictorum, conuentorumque conſtantia, & veritas.* Homo autèm non credere, aut opinari; ſed ſcire natura ſua deſiderat (vt inquit Ariſtoteles), & cum Ariſtotele S. Auguſtinus. Nam *beatitudo* (ſubdit idem Sanctus) *eſt gaudium de veritate;* ſicuti in Cælis Beatitudo eſt viſio Dei, quæ eſt ſumma veritas; vndè in ſequenti fuſiùs iterùm tractabitur.

Pſal. 148. — *S. Bern. de conſid. l. 5. c. 3.* — *Cic. off. l. 1.* — *Ariſt. Metaph. l. 1.* — *S. Auguſt. tract. 26 in Ioan.* — *S. Auguſt. conf. l. 10. c. 23.*

Digitized by Google

CAP. II.

Veritas bonum intellectus.

Sap. c.11. *S.Auguſt. conf.l.13. c.9.* *S.Iſidor. Ethim.l.16 c.24.*

I. *OMnia in pondere diſpoſuit Deus* (vt inquit Sapiens): *Hinc ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt*: dicit S.Auguſtinus: pondus voluntatis, amor eſt, quo ad bonum mouetur; *Amor meus* (ait idem Auguſtinus) *pondus meum, eo feror, quocumque feror*; cui S.Iſidorus Hiſpalenſis itâ reſpondet: *ſuum regit omnia pondus*. Pondus intellectus eſt veritatis appetitio, qua mouetur ad verum: Sicut ènim bonitas cognita eſt motiuum voluntatis, nèc niſi à bono, vel vero, vel apparenti hæc potentia mouetur; ſic veritas relucens intellectui, ipſius motiuum eſt ad adhærendum eidem. Si propoſitio eſt per ſe nota; ac primum principium, & veritas in his radiat, vt Sol: vti Sol etiàm intellectum ad ipſam conuertit: Sin autèm veritas non adeò eſt clara, & nota, mouetur intellectus ad huius aſſenſum proptèr alias veritates notiores, quæ vel ſunt cauſæ alterius veritatis, vel comites annexæ eidem, tamquàm teſtes, & *Rationes* dicuntur, quià intellectum, & *Rationem* mouent ad aſſenſum eiuſdem. Si hæ *Rationes* oſtendant, vt lumina clara euidentèr veritatem; dicuntur *Rationes demonſtratiuæ, & ſcientificæ*; ſin autèm ſint, vt lumina ſubobſcura, dicuntur *Rationes probabiles, ac veriſimiles*. Primarum Rationum habemus exemplum in ſyllogiſmo demonſtratiuo, qui eſt ex præmiſſis primis, & veris, ac per ſe notis.

II. Verùm, quià non omnium poteſt intellectus habere euidentes rationes, nèc poteſt clarè perſpicere veritatem; Idcircò eiuſdem veritatis ſaltèm ſimilitudinem ſectatur; & quemadmodùm bonum in genere ſempèr allicit voluntatem; bonum verò in particulari non ità; ſic veritas in genere conquiritur; in particulari verò, cùm ſæpè obumbretur; idcircò non omninò allicit intellectum; nàm cùm motus intellectus procedat à veritate, vel ab eius ſimilitudine, ſi hæc clarè reluceat, motus fit magnus; ſi obſcurè, motus fit minor: ſicuti accidit corporeo oculo; ſi meridiè ei proponatur obiectum, intuetur illud plenè, ac plenè in illud fertur viſus: ſi ſubobſuro tempore obijciatur, non adeò ad ipſum allicitur. Vterque enim, & mentalis, & corporeus eſt potentia naturalis, quæ naturalitèr poſitis omnibus requiſitis, ad ſuum fertur obiectum, & pro menſura ſolùm requiſitorum mouetur, nèc liberum eſt ei opinari. Hinc Ari-

riſtoteles dicit; quod *Opinari non eſt in nobis, quando volumus*; & iterùm dicit: *Opinionem ſequitur fides; non enim continget opinantem, his, quæ videntur, non credere*: & propterea docet alibi, quod ex præmiſſis ritè diſpoſitis, neceſſariò ſequitur aſſenſus concluſionis: ſicuti poſita luce, apertus oculus videt; Poſito motiuo ſufficienti mouetur intellectus.

Ariſt. l. 2. de animâ Tex. 153. *Ariſt. Tex. 157.* *Ariſt. l. 1. c. 1. Priorũ.*

III. Vndè patet, quod maximum intellectus pondus eſt deſiderium ex veritate per ſe nota, vel euidentèr demonſtrata procedens; minus pondus, quod ex veritate certò probabili proficiſcitur. Nullus motus erit in intellectu, ſi nulla veritatis probabilis ſpecies eidem appareat; natus eſt enim ipſe ad veritatem; ſicut voluntas ad bonum. Hoc tamèn diſcrimine, quod hæc liberè in particulari; alter non liberè; ſed naturalitèr ſuum proſequatur bonum (vt dictum eſt): Imò iubetur etiàm à Deo veritatem ſectari, vt dixit Zacharias Propheta ſic: *Veritatem diligite: dicit Dominus*.

Zachar. c. 8.

IV. Alia quoquè innoteſcit doctrina, ſcilicèt quod ſi ex vtraque parte nimirùm *pro, & contrà, æqui* ponderis ſint rationes, quæ mouere poſſunt intellectum, nequibit ipſe ad alterutrum ſe determinare, eique adhærere; nàm motiuum, ac veluti primum mobile intellectus, ſunt *rationes*, quæ proponuntur; hæ autèm hìc, & nunc ſunt pares. Ergò neutra alteram vincet. Nàm victoria ex virtutis maioritate deriuatur; vt docet S. Ioannes, ſic dicens: *Viciſtis eum; quià maior eſt, qui in vobis eſt*: quarè cùm æqualitèr trahant, & retrahant intellectum, iſte immotus permanebit; ſicuti ſi in trutina, & in ambabus lancibus æquale ſit pondus, ſuſpenſa ipſa manet in æquilibrio; ſic intellectus contrarijs, & paribus rationibus ſuſpenditur, nullique aſſentitur; contingit intellectui, vti cuidam Patri in ſtrage Theſſalonicenſium, cui cùm daretur optio vnius filij è duobus interimendis, ob parem amorem, nullus electus eſt ab ipſo; ſed ambo interfecti ſunt à militibus [vt refert Baronius]; *Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?* ait Eccleſiaſticus. Videntur enim apud Deum ſibi inuicèm reſiſtere, & Deus indeterminatus ad vtrumque. Nàm Diuus Thomas dicit, quod intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diuerſimodè: quandoquè enim non magis inclinatur in vnam, quam in aliam partem, vel proptèr defectum mouentium; ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel proptèr apertam æqualitatem earum, quę mouent ad vtramque partem: & iſta eſt dubitantis diſpoſitio: vndè D. Antoninus dicit quod: *Dubium probabile eſt, cùm ſcilicèt rationes ſunt ad vtramque partem quaſi æquales*, & peccatum graue eſt ſe exponere tali dubio (vbi eſt mortale.)

S. Ioan. ep. 1. c. 4. *Baron. an. 39?. n. 10.* *Eccl. c 34.* *D. Thom. q. 14 de ver. art. 1.* *S. Anton. ſumm. p. 1. tit. 20. § in dubijs. de Reg. iur.*

V. Indè

V. Indè colligitur, quod *dubium propriè*, & ſtrictè ſumptum eſt, quandò in æquilibrio manet intellectus, propter æquales vtrimque rationes. *Dubium negatiuum eſt*, cùm deſunt pro vtraque parte rationes. *Dubium poſitiuum eſt*, cùm adſunt rationes pro vtraque parte. Dubium *ſpeculatiuum eſt*, quandò in genere, ac vniuerſali de re aliqua dubitatur. Dubium *practicum eſt*, cùm in particulari hìc, & nunc ambigitur: Cùm autèm intellectus vni potiùs, quàm alteri aſſentitur, *Dubium impropriè* dicitur, vt eſt *opinio*. Hinc dicit etiàm Imperator, quod Iudex non poſſit informare motum animi ſui ad ferendam ſententiam pro aliqua parte, cùm exhibentur ſcripturæ ſcripturis contrariæ; ſic dicens. *Scripturæ diuerſæ fidem ſibi inuicem derogantes ab vna, eademque parte prolatæ, nihil firmitatis habere poterunt*. Hac etiàm de cauſa, cùm Teſtes contrarij ſunt numero, & pondere pares, ſua inuicèm teſtimonia labefactant; vt nemini ſit credendum: vt dicit idem Imperator cum Pontifice, & videtur ſic confirmari à Spiritu Sancto; *Vnus ædificans, & vnus deſtruens; quæ vtilitas in vtriſque, niſi labor?* nam ſi vna probabilitas ædificat in intellectu aſſenſum, alia deſtruit, aſſenſus: ergò nullus erit.

Imp. l ſcriptura C. de fide inſtr. Imp. l. in teſtimonijs. ff. de teſt. Pont. C. licet de probab. c. in noſtra de Teſt. Eccl. c. 34.

VI. Hoc autèm intellectui potiſſimùm contingit, quià (vt dictum eſt) potentia naturalis eſt, nèc libera communitèr dicitatur, & propterea nequit ad arbitrium alteri parti aſſentiri. Voluntas ſola eum impellere ad aſſenſum valet; ſed cùm voluntas rationabilitèr imperare debeat, in hoc caſu ſinè ratione imperaret, cùm rationes propoſitæ Intellectui vna alteram elidat; & ideò abſquè ratione præciperet, & conſequentèr malè operaretur; quià homo ratione omnia præſtare debet; vt dictum eſt ſuprà; Vndè Deus ipſe, cùm exigeret ab humano genere aſſenſum ad veritates, ab ipſo reuelatas, excedentes rationem, dedit tot prodigia, vt diceret Dauid; *Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis*; vndè vbi deeſt *euidentia rei*, adeſt *euidentia credibilitatis*, & inſupèr intus auxilijs gratiæ præuenit, & adiuuat ad credendum.

Pſal. 92.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Probabilitas, & Probabilitatis gradus.

I. MOyſes (vt Exodus narrat) magnoperè concupiuit, & petijt à Deo dicens; *Oſtende mihi faciem tuam*; verùm non tribuit illi Dominus deſiderium animæ ſuæ, ſed aliam viſionem illi promiſit, dicens; *Poſteriora mea videbis*; hoc eſt (vt exponunt aliqui) Filium Imaginem Patris in carne humana apparentem, non exemplar; ſed exemplum; non originale, ſed effigiem conſpecturus erat; ſic intellectus noſter faciem veritatis euidentem, quaſi meridiè, concupiſcit intueri, vel refulgentem, vti Solem in Primis Principijs, uel ſaltèm in concluſionibus ſcientificis, quaſi Solis radios; ſed peccato Adæ, & caligine indè exorta, præpeditur, eique propterea ſolam ueritatis imaginem intueri contingit. *Exod. c. 33.*

II. Similitudo autèm veritatis, ac *probabilitas*, vel oritur ex rationibus intrinſecis, & motiuis inſitis in ipſa re, & hæc dicitur *probabilitas intrinſeca*, & *rationalis*; quià ſcilicèt intellectus rationum coloribus, valdè ſimilibus, ex ſupradictis fundamentis deſumptis, ac rei inhærentibus, eam ſibi format: vel oritur *probabilitas*, non à rationibus rei ipſi inhærentibus: ſed ab auctoritate Doctorum, quæ extrà rem eſt, & propterea dicitur *probabilitas extrinſeca*, quià non nititur intrinſeca ratione, & cum ſolo auctore nitatur; probabilitas *authentica* etiàm dicitur, & eſſet potiùs dicenda *credibilitas*; quià auctori credit quaſi Teſti, vel Hiſtorico, qui mentis oculo profitetur ſe videre effigiem ſaltèm, ac ſimilitudinem veritatis.

III. Hæc autèm veritatis Imago (vt iàm innuimus) quam intellectus coloribus rationum, quaſi Pictor ſibi exprimit, & quoad poteſt conformiorem exemplari reddit, plures habet gradus: Nàm ſicuti ex diuerſitate colorum, vel multò magis ex peritia, vel imperitia Pictoris, fit effigies magis, vel minùs ſimilis originali, & illa cenſetur verior, quam omnes laudant, & approbant tamquàm exemplari conformiorem, & quas non omnes, ſed pauci comprobant, minùs vera, ac ſimilis cenſetur: Sic probabilitatum varij ſunt gradus. Nàm *probabilitas eſt ſimilitudo veri*; vndè *veriſimilitudo* etiàm dictitatur. Simile autèm ſuſcipit magis, & minùs: vt dicit Philoſophus.

IV. Primus (ſaltèm quo ad effectum in moralibus) eſt quando, quis

quis nulla culpabili ignorantia, vel inaduertentia: ſed veriſimilibus rationibus ductus, iudicat aliquid faciendum, vel non faciendum, nèc repræhendit eum cor eius, vel turbat conſcientia; & hæc vocatur etiam *Bona Fides*. Huiuſmodi autèm *Bona fides tantumdèm poſſidenti præſtat, quantùm ipſa veritas*: vt inquit Imperator: Cuiuſmodi fuit illa Regis Abimelec, qui ſimplici corde, ac bona fide, cùm crediidiſſet Abrahæ, ac Saræ, hanc ipſius Abrahæ eſſe ſororem, meditabatur ducere vxorem, & quià bona fide egit, pepercit illi Deus. Nulla enim hic ſuſpicio contrarij, & propterea dicitur *Probabilitas tranquilla*, ac *pacifica*; quæ quampluribus Sanctis profuit ad miraculum; vt refert S. Ignatius Loiola in mirabili illa *Epiſtola ad Luſitanos de obedientia*.

L. Bona fides ff. de reg. iur.

Secundus gradus eſt in deſcendendo: ſi probatur omnibus, & *communis opinio* dicitur.

Tertius, ſi probatur plurimis, *probabiliſſima* nuncupatur.

Quartus, ſi probatur *omnibus ſapientibus valdè probabilis* appellatur.

Quintus; ſi non omnibus; ſed pluribus tantùm ſapientibus videatur, *probabilitas ſimpliciter* vocatur.

V. Hos omnes probabilitatis gradus paucis ſic concludit Ariſtoteles: *Probabilia ſunt, quæ probantur omnibus; vel plurimis; aut certè ſapientibus, atque ijs, vel omnibus, vel plurimis, vel ijs, quorum ſpectata eſt, & perſpecta ſapientia*. Vbi notandum eſt, quod veriſimilitudo, ac probabilitas cenſetur illa etiàm in infimo gradu, quæ pluribus, non quæ vni; & inſupèr, quæ pluribus videtur, quorum ſit explorata ſapientia, non qui ſolo nomine, vel colore ſapientiæ decorentur; iuxtà illud Dei oraculum; *In ore duorum, vel trium ſtabit omne verbum*: Cui conſonat Chriſtus dicens, quod *conſenſerint duo, vel tres de aliqua re*, ibi aderit in medio ipſe Sol Iuſtitiæ, vt eruditis interſit cogitationibus; Hinc Eccleſiaſticus monet, dicèns; *In multitudine Præsbyterorum ſta, & ſapientiæ illorum coniungere*; Quamobrèm in moralibus circumfertur hoc effatum; *Vnus, Nullus; & vox Vnius, vox Nullius*; quià vnus facilè fallitur, vt docent Innocentius Primus, & Tertius cum S. Auguſtino; quinimò Diuus Auguſtinus cum Cicerone vlteriùs docet; nèc etiàm eſſe credendum dicto teſtis, vel auctoris; ſed rationibus dicendi; nèc alterius opinioni deferendum; ſed cauſis rationabilibus opinandi. Nàm ratio eſt, quæ mouet intellèctum, non auctoritas (niſi ſit Legislator, qui iubeat; quià in hoc vno ſtat pro ratione voluntas) nèc requirenda ex ipſo eſt acti ratio: vt dicunt Imperator, & Ariſtoteles, ſed currendum in obſequium Legislatoris: D. Auguſtino, ac Ciceroni accedit Plato: *Oportet pratèr Auctorem conſidera-*

Ariſt. Sap. 1 c. 1.

Deut. c. 19. S. Mat. c. 18 Prou. c. 8. Eccl. c. 6. Innoc I. C. de quibus diſt. 20 Innoc. III. C. cum à nobis. S. Aug. c. in Can. d. 19. S Au. apud Grat. d. 9. C. ego ſolis. Cic. off l. 1. Imper. l. nõ omnium ff de legib. Ariſt. ethic. l. 1. c. 7. Plato Phedrus l. 26.

Digitized by Google

derare vtrùm diſputationis nobis ratio conſonet; *quid igitùr auctor & vera ratio dictat, attende*. ſed iterùm dicendum eſt, quod nèc duo Auctores, etſi omni exceptione maiores opinionem probabilem faciunt: ſicuti duo Teſtes rem aliquam probant: nàm Intelligibilia ſunt duplò difficiliora cognitu, quàm ſenſibilia. Ergò duplò maiorem exigunt probationem. Ergò ſi duo requiruntur Teſtes pro ſenſibilibus teſtandis, quatuor requirentur Auctores, veluti veritatis teſtes pro intelligibilibus aſſerendis; vti apud Caramuelem rectè aliqui docent; imò communitèr. *Car. theol. Fundam. p. 1. n. 265.*

VI. Hominis officium eſt vitam, moreſque conformare. *Recta* rationi, quæ legibus declarari conſueuit, & huiuſmodi actiones rectæ *perfectum* hominis *officium*: verùm [vt diximus] cùm recta ratio, quæ regula humanorum actuum eſt, non ſempèr clarè pateſiat; fit vt *ſecundùm* hominis *officium* erit, quò magis poterit, accedere ad rectam rationem, nèc quidquam agere, cuius ratio probabilis reddi non poſſit (vt inquit Cicero, & cum eo Clemens Alexandrinus.) Cùm homo euidentèr rem cognoſcit, dicitur intellectui eius ineſſe *Veritas intrinſeca*, *& Primaria*: cùm verò non euidenter, ſed probabilitèr dicitur ineſſe eius menti *Veritas ſecundaria*, *& extrinſeca*. Nàm hæc denominatur *Veritas*, & pro veritate accipitur plerumquè (vt dicemus) quamuis à parte rei eſſet falſa. *Cic. off. l. 1. Clemens Pedagog. l. 1. c. 13.*

VII. Conformes huic ſententiæ fuerunt Gnomæ (vt inquit Cornelius à Lapide) Sancti Thomæ Aquinatis, qui moribundus rogatus à Monacis Ciſtercienſibus Foſſæ nouæ, quomodò hæc vita ſinè errore, & lapſu tranſigi poſſet? Reſpondit. *Si in qualibet actione quis ità agat, vt rationem reddere poſſit, cùr eam faciat: ſic enim non ſinet ſe tranſuerſum agi à cupiditate, paſſione, caſu, aliaue re, quæ eum in errorem inducat. Hanc rationem actionum ſingularium, eamque exactam ab vnoquoque Chriſtus exiget in terribili illo, & decretorio vltimi iudicij die*: ità refert Cornelius. *Cornel. à Lap. in Eccl. c. 37 v. 20.*

CAP. IV.

Quælibet probabilitas non ſufficit, vt quis prudentèr operetur.

I. Academicorum olim ſecta profitebatur nullam certò ſciri ab hominibus veritatem; ſed *dubitandum eſſe de omnibus* (vt refert etiàm D. Auguſtinus): Cùm autèm clarè non innoteſceret veritas, dicebant ſufficere quamcumque ſectari veritatis ſimilitudinem: vndè prodijt iſtud eorum effatum: *Cùm agit quiſque, quod ei probabile videtur, nèc peccat, nèc errat*; ex quo patet, quod cùm ingenium, vel genius humanus nobis multa probabilia repreſentet, quę verè probabilia non ſunt, fiat, vt illis lex ſit eorum opinio, & quilibet regulam prudentèr operandi ſibi ad arbitrium fingat: vti vſu veniebat priſcis Hebræis, quibus cùm deeſſet Rex, qui leges conderet eis, has vnuſquiſque ex ſua opinione ſibi condebat; nàm cùm adhuc [inquit Liber Iudicum] *non eſſet Rex in Iſrael, vnuſquiſque, quod rectum ſibi videbatur, faciebat*. Et hoc eſt etiàm Dogma Carpocratianorum, qui eamdem profitebantur; *Sola enim* (refert Ireneus Martyr) *humana opinione negotia mala, & bona ſunt*: [dicebant Carpocratiani.]

S. Auguſt. conf. l. 15. c. 14. S. Auguſt. cont. Academ. l. 3. c. 16. tom. 1. Lib. Iudic. c. 17. S. Ireneus l. 1. c. 24. Adu. Hær.

II. Quàm falſa, ac noxia ſit huiuſmodi doctrina, tribus libris contrà Academicos demonſtrat S. Auguſtinus, & videre etiàm licet in citato capite libri Iudicum: vbi refertur, quod huiuſmodi viuendi rationem ſectantes Hebræi, eo proceſſerunt, ut uiderentur eis fingenda quoquè eſſe Idola, ac ſimulacra, quæ colerentur ab eis. Igitur non quæuis apparentia ueri; ſed quæ certò uideatur ueritas, eſt diligentèr exquirenda. Nàm ignorantia datur culpæ, cùm poſſit quis vlteriùs inquirere, certiorque fieri [ut ait Caſſiodorus]: *Ipſam legem frequentèr offendimus ignorantes, quam non licet ignorare, dum eam voluerit Diuinitas à Generalitate cognoſci, ſempèrque retineri*: *nàm non omnis ignorans poteſt excuſari à pæna, qui à quo diſceret, non inuenit*: (ait S. Auguſtinus apud Gratianum), *hinc ignorans ignorabitur*: inquit Diuus Paulus; qui & ipſe quamuis ignorans fecerit perſecutionem fidelium in incredulitate (ut ipſe ſcribit ad Timotheum] nihilominùs ſe omnium peccatorum maximum fatetur, quià perſequutus fuit Eccleſiam Dei. Quamobrèm.

Caſſiod. in Pſal. 24. S. P. Cor. 1. c. 14. Timoth. 1. c. 1. S. Auguſt. apud Grat. diſt. 37. c. non omnis.

III. Sancta quoquè Thereſia de ſe ipſa ſimilia ſcribit; *Putabam* (ait

Digitized by Google

(ait de Confeſſarijs) *eos eſſe ſatis doctos , nèc me teneri ad aliud ,* S.Thereſ.
quàm credere eis ; præſertim cùm eſſent res laxæ , maioriſque liber- vit.c.5.6.
tatis , quas mihi dicebant , quod ſi me arctaſſent , adeò ſunt mala , 7.
vt alios quæſiuiſſem . Quod erat culpa venialis , nullum mihi dice-
bant eſſe peccatum , & quod peccatum erat grauiſſimum , dicebant
eſſe veniale . Hoc tanto me damno affecit , vt non erit ſuperuacuum
hìc referre , ad aliarum præcautionem à tanto damno . Quandoqui-
dèm coràm Deo clarè perſpicio me propterea non excuſari : cùm ſatis
eſſet , ac ſufficeret res illas ſuaptè natura non eſſe bonas , vt ab eis ca-
uerem . Exiſtimo quod Deus proptèr peccata mea , permiſerit , quod
ipſi fallerentur , & me fallerent : & ego plures alias feſelli , referens
eadem , quæ mihi dicta fuerant : perſeueraui in huiuſmodi cæcitate
pluſquàm decem ſeptem annos (vt credo) *donèc quidam Pater ordi-*
nis Sancti Dominici admodùm litteratus de aliquibus me eru-
diuit .

IV. Huic videtur adſtipulari D.Petrus [apud S.Clementem] S.Clem.l.2.
qui Simoni Mago dixit , eſſe credendum , non ad ſimplex dictum Recog.in
ipſiuſmet Petri ; ſed ex ratione : *neque enim* (inquit Petrus) *tutum* fin.
eſt nuda hæc fidei abſquè ratione committere , cùm vtique veritas
ratione non careat , & ideò qui hæc ratione munita ſuſceperit , per-
dere eam numquàm poterit : qui verò abſque adſertionibus ea ſuſci-
pit , ſimplici ſermonis adſenſu , neque ſeruare ea tutò poteſt : quia qui
facile credit , facilè & recedit : Hæc Diuus Petrus : Quamobrèm S. S.P.Galat.
Paulus ab ipſomet Chriſto edoctus , nihilominùs Petrum conſuluit c.2.
[vt ipſe ſcribit ad Galatas] & quamuis ſciret , quod qui conuerti fe-
cerit peccatorem ab errore viæ ſuæ , operit multitudinem peccato-
rum [vt ait S.Iacobus] nihilominus *caſtigo corpus meum* [inquit S. S.Iacob.c.5 S.P.Cor.1.
Paulus] *& in ſeruitutem redigo , ne cùm alijs prædicauerim , ipſe* c.9.
reprobus efficiar ; cuius exemplum edocet non eſſe cuilibet probabi-
litati fidendum , cùm Apoſtolus tot , tantiſque nixus argumentis ,
ad vlteriora ſe extendebat , & magis , ac magis certior fieri ſa-
tagebat .

V. Sanctus quoquè Bernardus probabat Adamo Monacho , quod S.Ber.ep.6.
etiàm ſi ipſe Adamus migraſſet è primo Monaſterio cum licentia 7.
Abbatis ; imò cum ipſomet Abbate , petita etiàm ab Epiſcopo Lin- S.Bern. ep.
gonienſi licentia , & obtenta quoquè à Summo Pontifice approba- 89.
tione , nihilominùs demonſtrabat ipſum Adamum non eſſe tutum in Reg 3.c.3.
Conſcientia , cum adeſſet principium , & ratio dubitandi contra- Reg.3.c.13.
rium . Idem Sanctus requiſitus à Brunone electo in Epiſcopum Co-
lonienſi ob rationes primo aſpectu probabiles , non audet illi conſi-
lium dare . Salomon duabus meretricibus contendentibus de filio ,
cuius eſſet , neutri credidit : ſed vlterius inquiſiuit , vt certior fie-

 ret .

Digitized by Google

ret. Similis ferè caſus habetur in libro Regum: ubi Propheta Domini iuſſus à Deo non comedere in quodam loco, ad alterius Prophetæ ſuaſionem, Dei quoque nomine loquentis, comedens, perijt à Leone interfectus. Diſſimile non uidetur factum Regis Abimelech, qui putans Saram eſſe ſororem Abrahæ iuxtà amborum uerbum; nihilominus acritèr eum corripuit Deus, & niſi ſimplici corde feciſſet, hoc eſt bona fide, inculpatoque errore durius eumdem flagellaſſet. S.Martinus Apoſtolis ſuppar, coactus ob bonum Fidelium ab Imperatore ad communicandum cum Epiſcopo Itacio condemnato ab alio Epiſcopo, quod procurauerit mortem aliquorum hereticorum, & quamuis hæc communicatio fuerit in uno tantum actu aliàs optimo; nihilominus doluit indè Sanctus Martinus, & Deus imminuit illi miraculorum gratiam: ut refert Baronius.

Gen. c. 20.

Baron. an. 385. n. 25.

VI. Vndè liquet, quod non quæuis probabilitas, ſeu apparentia veri ſufficit, vt prudentèr agatur: ſed requiritur diligentia maior; Imò *omnis cura* (vt inquit Sanctus Petrus). Vnicum namque eſt negotium, & vnica videtur requiri ſollicitudo. Etenim ſi voluiſſet Deus, quod quelibet veriſimilitudo ſufficeret, non adeò commendaret inquiſitionem veritatis, & ad hunc effectum meditationem Scripturarum, Beatumque nuncuparet virum, qui meditatur in lege Domini die, ac nocte; nec tam enixè demandaſſet Apoſtolis prædicationem Euangelij: quia quilibet duceretur propria opinione, & quæ ſibi viderentur recta, operaretur, & ſic prudentèr operaretur; quam tamen operandi rationem apertè reprobat Scriptura dicens, quod, *eſt via, quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem*. Nam quilibet ab amore proprio fallitur, & idcircò aliena Sapientum conſilia ſunt audienda (vt dicit Salomon). *Via ſtulti* [inquit] *recta in oculis eius eſt: qui autem Sapiens eſt, audit conſilia*.

S.Pet.2.c.1

Pſal.1.

Prou. c.14.

Prou. c.12.

VII. Eo præſertim, quod iudicandi ſumus à Deo, non ſecundùm opinionem noſtram; vel hominum, ſed ſecundùm verum iudicium Dei (vt inquit Concilium Tridentinum: ſic dicens) *omnis hominum vita, non humano iudicio examinanda, & iudicanda eſt; ſed Dei*. Idcircò *vide ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint*; admonet ipſemet Chriſtus: ne quod verum opinaris, falſum ſit. Eſt enim diſputare cum Deo velle, quod noſtra opinio ſit regula noſtræ actionis. Verum *cum Deo* (inquit Sanctus Bonauentura) *diſputare velle ſtultum eſt, & quaſi conuincere eum, vt non debeat iudicare hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua extimatio eſt regula iuſtitiæ infallibilis, non noſtra anguloſa opinio, quam noſtram conſcientiam appellamus*,

Trid.ſeſſ.6 c.16.

S.Luc.c.11.

S.Bon.opuſ. Tom.2.de Proceſſu Relig.proc. 6.c.28.

So-

Solis radius numquam facit angulum, ſemper directè in oppoſita ferit, ſiue in nobis appareat, ſiue alitèr extimemus. Confirmantur huiuſmodi Sanctorum ſenſus ipſiuſmet Dei ſic iubentis: *loquere filijs Iſrael, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas*: qui verò ſuas opiniones ſequi mauult, Deo reſiſtit. Nam (ait Sanctus Bernardus) *ille ex æquo Deo reſiſtere proponit, qui quod Deus aſtruit, deſtruit, quantum in ipſo eſt, dicens malum bonum, bonum malum, amarum dulce, & dulce amarum, lucem tenebras, tenebras lucem*. Hinc Sanctus, prudenſque Tobias Pater admonuit Filium, & Nepotes; ut Deum colerent, non iuxtà ipſorum opinionem: ſed ſecundum ueritatem Diuinæ legis: *Seruite* [ait] *Domino in veritate; & filijs veſtris mandate, vt benedicant eum in omni tempore, in veritate, & in tota virtute ſua*: ubi notanda uidentur illud uerbum *in veritate*, & aliud: *in tota virtute ſua*; quo ſignificatur non ſuperficialitèr, ac perfunctoriè eſſe quærenda ueritas, ac erga Deum pietas: ſed *toto corde*, mente, & uiribus, ac proptereà diligentiſſimè: quarè non omni probabilitati, quæ paſſim occurrit, nec idcircò diligentiam exigit, eſſe fidendum.

Num. c. 15. — S. Bern. lib. de Conſc. — Tob. c. 14.

VIII. Confirmatur inſuper hæc ueritas. Si quælibet probabilitas ſatis eſſet, ut prudentèr quis operaretur, cuiuſmodi eſt etiam unus auctor, uel ad ſummum quatuor (iuxtà quorumdam recenciorum placita) ſequeretur, quod interfectores Apoſtolorum, ac Diſcipulorum Chriſti non peccaſſent, & proptereà quod falſum eſſet etiam Euangelium, dicens, ipſos peccaſſe. Etenim interfectores huiuſmodi nitebantur auctoritate, ac mandato Concilij Pontificum, ac Seniorum, qui & ipſi habebant pro ſe Moyſem dicentem: quod ſi adueniret aliquis, qui aliam legem doceret, interficeretur: Ergò probabilem opinionem ſequebantur, & mandantes, & interfectores, & proptereà arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo; (ut dixit ipſemet Chriſtus): ergò non peccauerunt: ergò falſum eſt Euangelium, dicens, quod peccauerint, & proptereà quod eos arguet Spiritus Sanctus de peccato. Ecce uerba Euangelij: *venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo*; & indè paulo poſt ſequitur: *arguet de peccato; quia non crediderunt in me*: uti diſertè diſſerit Sanctus Bernardus, & cum eo Sanctus Thomas: quia laborabant ignorantia uincibili, & poterant magis inquirere ueritatem: ergò ducti opinione probabili, & arbitrantes ſe obſequium præſtare Deo, peccauerunt. Ergò non ſufficit quælibet Probabilitas.

Deut. c. 18. — S. Ioa. c. 16. — S. Bern. ep. 77. & l. de præcept. & diſpenſ. c. 17. 18. — D. Thom. 1. 2. q. 19. ar. 6

IX. Hoc idem eueniret de Ethnicis; Sic enim loquitur Niceta

cum

S.Clem. Recog. lib. 10. circa finem.

cum D.Petro apud Sanctum Clementem. *Non putes* (ait) *Domine mi Petre, non habere eruditos, eoſque, Gentilium, veriſimilitudines quaſdam, quibus adſtruant hæc, quæ culpabilia videntur, & probroſa, quæ quidem ego, non, vt confirmans errores eorum dico* [*abſit enim à me: vt hoc vel ad cogitationem meam veniat*] *Sed tamen ſcio eſſe apud prudentiores ipſorum defenſiones quaſdam, quibus aſtruere, & colorare ſolent hæc, quæ videntur abſurda*. Si ergò quælibet probabilitas prodeſt, iuſtè poſſunt Iudæi, & Ethnici ſe excuſare à Fide, audent & hoc affirmare Recentiores Caſiſtæ, & concedunt conſequentiam; undè damnata eſt ab Innocentio XI. ſequens propoſitio. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili*; utpotè quæ repugnat Euangelio dicenti; *qui non credit, iam iudicatus eſt*. Vel ſi quælibet probabilitas non prodeſt; Ergò probabilior erit ſectanda; ut uidetur innuere S.Petrus apud eumdem Clementem. *Si enim* [reſpondet S. Petrus] *validior, & veriſimilior fuiſſet erroris aſſertio, haud facilis quiſquam, qui in eo deceptus eſſet, ad iter veritatis rediret. Difficultèr namque transfertur animus ab his, in quibus à prima ætate prauentus eſt.*

Innoc. XI. an. 1679. 2. Martij. S.Io.c.3.

X. Erunt, & Hæretici excuſabiles ſecundùm nonnullorum Recentiorum dogmata: ſed fortè (dicet aliquis) *tunc ipſi nouitiæ adinuentioni patrocinia defuerunt*. Imò verò (inquit S.Vincentius Lirinenſis) *tanta vis ingenij adſuit, tanta eloquentiæ flumina; tantus adſertorum numerus; tanta veriſimilitudo, tanta Diuinæ legis oracula; (ſed planè nouo, ac malo more intellecta) vt mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur*; Nihilominùs damnati ſunt à Concilijs, & damnantur à Deo, cum ſuis Probabilitatibus, eo quod probabiliora Fidei teſtimonia ſequi debuiſſent. Hinc exoptat lumen omnibus Ricardus à S.Victore dicens: *Vtinàm* (ait) *attenderent Iudæi: vtinàm animaduerterent Pagani cum quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte ad Diuinum Iudicium poterimus accedere; nonnè cum omni confidentia Deo dicere poterimus? Domine, ſi error eſt, te ipſo decepti ſumus: nàm iſta in nobis tantis ſignis, & Prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt*. Ergò quælibet Probabilitas non ſufficit: ſed cùm ſit Probabilior noſtra Fides, damnantur non credentes ducti opinione minùs probabili.

S.Vinc. Lirin. Commonit. aduerſus hæreſes c. 10.

Ricard. de Trin. l. 1 c. 2.

CAP.

CAP. V.

Probabilitas certò probabilis ſequenda.

I. CAput iſtud de Fnndamento decimo octauo primæ partis aſcendit, ſicut & ſuperior erumpit, & multò magis eſt oſtendendum; humani intellectus fælicitas naturalis (repetimus), his verbis perſtringitur. 1. *Cognitio veritatis*, 2. *certa*, 3. *& euidens*. Cùm autèm veritatis claram nequit in terris habere notitiam, ſtudet, quoad poteſt, illius ſaltèm particulam comparare. & nequiens intueri veritatem, tamquàm originale, & exemplar, quærit ſaltèm ſimilitudinem contemplari. Nàm *eadem eſt ratio totius, ac partis* (vt inquit Ariſtoteles) *atque idem eſt de toto quoad totum, ac de parte, quoad partem* (vt inquit Imperator: quamobrèm cùm intellectus nequit (vt ità dicam) totam veritatem, ſeu potiùs vnius veritatis omnes qualitates obtinere, appetit ſaltèm particulam conſequi ſui deſiderij, & videtur cum D. Paulo profiteri: *nunc cognoſco ex parte: tunc autèm cognoſcam; ſicut & cognitus ſum*. *L. Quæ de tota ff. de rei vendic.* *S. P. Cor. 1. c. 13.*

II. Quoniàm verò plena intellectus fælicitas eſt veritatis cognitio; ſed certa, & euidens; ſic eiuſdem imperfecta fælicitas erit ſimilitudinis, ac effigiei veritatis (vt ità dicam) *cognitio certa, & euidens*: certa ſiquidèm, & euidens non rei, ſed ſimilitudinis eius, quæ etiàm dicitur *euidentia, & certitudo probabilitatis, ac credulitatis*: ſicut habemus in S. Ioanne de quodam cæco, de cuius indiuidui identitate dubitabant aliqui; ſed certi erant de ſimilitudine: nàm *opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias*, (vt ſuperiùs diximus cum D. Bernardo): nihil certi habet de re, ſed certi habet de ſimilitudine; nàm fundanda eſt noſtra ædificatio supèr firmam petram, & ſatagendum, vt certam noſtram vocationem faciamus (ait S. Petrus). Ergò certiores eſſe debemus, ſi non de veritate, ſaltèm de probabilitate; nàm in Cælis habetur 1. *veritas*, 2. *euidentia*, 3. *& certitudo*, per ſpeciem de Deitate; in terris habetur veritas, & certitudo per fidem cum ineuidentia rei: Per opinionem verò habetur non veritas; ſed veritatis imago; *Opinio enim ſola veriſimilitudine ſe tuetur, & verum per veriſimilia, quærit potiùs, quàm apprehendit* (vt dicit S. Bernardus): ſed hæc veriſimilitudo certa quærenda eſt: ſecùs, & intellectus nimis defraudaretur deſiderio ſuo; quià careret euidentia veritatis, & euidentia, ac certitudine probabilitatis, & nos etiàm nimis deficeremus *S Bern. l. 5. c 3. de conſider.* *S. Pet. ep. 2. c 1.* *S. Bern. l. 5. & 3 de cōſiderat.*

remus ab obligatione noſtra, quæ nos adſtringit ſic nos gerere: vt ſimilemur *viro ſapienti, qui ædificauit Domum ſuam ſupra petram:* *nec quaſi paruuli fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ* (vt ait Sanctus Paulus), & ſimus quaſi nubes ſine aqua, & ſydera errantia. Nam ipſemet Deus, vt prudenter inuiſibilibus credamus myſterijs euidentèr, ac certò credibilia præbet ſuarum veritatum teſtimonia: vndè Pſaltes canit. *Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis.* Huiuſmodi Doctrinam diſerte tradit Sanctus Auguſtinus ſic dicens. *Ratio te non adducat, niſi ea, quæ ſola ratio* (nota) *dicenda eſt, ideſt vera ratio* (nota) *& non ſolum vera, ſed ità certa* (nota) *& ab omni ſimilitudine falſitatis aliena* (*ſi tamen vllo modo hæc ab homine inueniri poteſt*) *vt nullæ diſputationes falſæ, aut veriſimiles ab ea te poſſint traducere* (nota).

S. Mat. c. 7. S. P. Epheſ. c. 4. Pſal. 92. S. Aug. to. 1. de quãt. anim. c. 7.

III. Eſt autem certitudo immutabilitas rei, ac neceſſitas, itaut nequeat alitèr ſe habere. Si nullis naturæ viribus immutari poſſit, dicitur *certitudo phyſica.* Si prudentum iudicio alitèr eſſe nequeat, *certitudo moralis* nuncupatur. Certitudo verò eſt triplex. 1. *Certitudo obiectiua*, quando in obiecto, ſeu in re quæ obijcitur examinanda, adſunt rationes, quæ ſatis aptæ ſunt mouere intellectum, ad ipſi aſſentiendum, quamuis aliquandò non moueant reipſa auditorem, non ſatis diſpoſitum, vel capacem. 2. *Certitudo ſubiectiua*, quando intellectus alicuius mouetur aliquibus rationibus ad aſſentiendum, quæ ſatis ex ſe non habent vim obligandi ad illum aſſenſum; ſed propter ſubiectum credulum, ac pronum, illud eſt ipſi certum. 3. *Certitudo formalis*, quando & in obiecto ſunt momenta rationum, vt ipſi aſſentiatur, & in ſubiecto conſentaneus præſtatur aſſenſus.

IV. *Certitudo formalis* videtur eſſe illa, quæ format bonam Conſcientiam, nam ſi in obiecto non ſit pondus rationum, quod moueat intellectum ad aſsenſum, & ipſe moueatur, ac citò currat, leuis erit; cum ſit Eccleſiaſtici dictum. Quod *qui citò credit, leuis eſt corde*; nam *innocens* (inquit Salomon) *credit omni verbo. Aſtutus conſiderat greſſus ſuos* (vt explicat Diuus Hieronymus hic): ſin autem adſit rationum pondus, nolitque intellectus moueri, vel aſſentire, durus erit, & malè rem ſuam agit; vt inquit Sapiens, nam *qui mentis eſt duræ, corruet in malum. Sanè cor durum habebit malè in nouiſſimo.*

Eccl. c. 13. Prou. c. 14. Eccl. c. 3.

V. Moralis autem certitudo non eſt certitudo euidentiæ, ſeù certa, & euidens cognitio rei, vel experimentalitèr per ſenſus, vel demonſtratiuè per ſyllogiſmum ſcientificum. Sed *certitudo* quæ in materia morali reperitur [vt inquit Diuus Antoninus] *non eſt certitudo euidentiæ, ſed probabilis coniecturæ. Non enim conſurgit certi-*

D. Anton. ſum. p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10.

Digitized by Google

titudo moralis ex euidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis, groſſis, & figurabilibus, magis ad vnam partem, quam ad aliam ſe habentibus. Huic Doctrinæ ſubſcribit Ariſtoteles cum D. Thoma, qui aſſerit *certitudinem moralem eſſe*, ſi duo teſtes omni exceptione maiores, reddendo idoneam rationem, & cauſam ſcientiæ ſuorum dictorum, aliquid teſtentur. *Ariſt. eth. l. 1. c. 3. S. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 2.*

VI. Quemadmodùm de certitudine philoſophati ſumus, eodem modo de probabilitate erit philoſophandum: Nam aliqua eſt *probabilitas obiectiua*; quia reuera rei inſunt rationes, aptæ mouere intellectum. Aliqua eſt probabilitas *ſubiectiua*, qua quis putat credibile, quod non eſt re ipſa tale. Aliqua demum *probabilitas formalis*, cum & adſunt rationes idoneæ, vt quis illis rationibus deferat, ſicut & defert illis, ita vt ſi non eſt euidens illi veritas, eſt euidens veriſimilitudo, ac certus eſt de Probabilitate; ſicut de Imagine eius, ſed magis apparebit Caput iſtud in ſequentibus. Verum quidem eſt, quod certitudo ſubiectiua, ac Probabilitas, ſi ſincero corde, bonaque fide, ac inculpatè admittatur, videtur excuſare operantem, vti Abimelech [vt ſæpè diximus] ipſimet Deo proteſtatus eſt, & Deus ipſe probauit. Nam dixit Abimelech. *Num ignorantem, & iuſtum condemnabit*? Deus verò reſpondit, ſcio, quia *ſimplici corde feceris*; innuens quod cordis ſimplicitas, ac bona fides excuſabilem faciant. Probabilitas namque tranquilla, ac pacifica, cum non ſubeſt principium dubitandi de contrario, habet rationem regulæ benè operandi; vndè patet, quod non omnis probabilitas reijcitur; ſed infirma, & commentitia refutatur. *Gen. ſ. c. 20.*

VII. Gradus certitudinis in hac morali materia recenſeri videtur ab Ariſtotele iam citato, ita vt infirmus ſit, cum non vnus, ſed plures Doctores notabiles (vt loquitur dictus S. Antoninus); quorum ſit perſpecta, ſpectataque ſapientia (vt dicit Ariſtoteles) ſimulque certi de hac Auctorum ſapientia non ad ſolius famæ vocem; quia *fama malum, quo non aliud velocius vllum, vireſque acquirit eundo*, & vlterius in hac materia morali, quorum ſit vera, non ficta probitas [vt dicemus infrà] cuiuſmodi ſunt *Vnus ex mille*, vt dicit Eccleſiaſticus. *S. Antonin. Ariſtot.*

Ll CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Concurrentia Probabilitatum.

I. VIator clara percuperet ambulare die: tum ob iucunditatem lucis, tum ob vtilitatem; cùm vero die nequit iter habere, nocte ſibi reſplendere Lunam, exoptat: quæ ſi abeſt, præuium lucernæ lumen proſequitur, ne ſi in tenebris ambulet, offendat, & corruat: ſic accidit intellectui noſtro in terris viatori. Clara die euidentis, ac certæ cognitionis rerum appeteret ambulare. At in paucis affulget illi hic dies: hinc ſaltem probabilitate, quoad poteſt, maiori, ſicut Lunæ lumine, progredi amaret. Sin autem hæc illi non illuceſcit, attendit certò probabilitatis lumini, *tamquam lucerna lucenti in caliginoſo loco, donec lucifer oriatur in cordibus noſtris*. Nam non minus intellectus appetit veritatis lucem, quam appetat oculus Solis ſplendorem, & quò maior eſt lux Soli ſimilior, eò magis ei grata apparet.

Ariſtot. Rhetor. lib. 1. c. 7 II. Etenim [inquit Ariſtoteles] *ſimpliciter ad ſimpliciter, magis ad magis*, ſicuti accidit in Paleſtina, in qua homines cupidi veritatis, Ioannem audiebant; ſed intelligentes aduenisse excellentiorem Magiſtrum, properarunt ad eum: ſicuti Oriente Sole, Luna amplius non apparet. Quamobrem cum intellectus appetat probabilitatem (quia eſt ſimilitudo, ac radius ueritatis) quantò magis erit probabilis, hoc eſt, magis radiabit ueritatis lumine; tantò magis in ipſam intellectus feretur. *Tale enim additum tali, facit ipſum magis tale*. Si ergò probabilitas admittitur, quia ueri eſt ſimilitudo, quantò ueritati erit ſimilior, tantò magis admittenda: Vndè patet quod *qui ſequitur opinionem certò probabilem, prudenter agit*; quando tamen nulla alia probabilis concurrit; quia concurrente altera, minuitur prima probabilitas ubi enim *maior, minor ceſſat*, & ubi Sol refulget, Luna minus apparet, & ubi Luna reſplendet, Stellæ parum uidentur, & cum quis imagini ueræ detrahit colores, diſſimilis iam euadit, & idcircò iam non eſt imago uera. Nam *imago eſt, cuius generatio eſt per ſimilitudinem* [ait Ariſtoteles:] ſic ſi probabili, ſeu uerisimili propoſitioni (quæ in intellectu eſt quaſi imago quædam in tabula prius raſa) contrarias apponis rationes, ueluti oppoſitos colores, ſimilitudini detrahis, & probabilitati; ſicuti qui effigiei candidę, & rubicundæ nigrum apponeret colorem, cuiuſmodi eſſe uidetur negatio in propoſitionibus: detracta autem

Ariſtot. Topic. l. 3. c. 4.

Ariſt. l. 6 Top. 1.

pro-

probabilitate, iam non eſt certò probabilis: uel ueritas conſideratur; ut candor lucis æternę, qui ignorantię noſtrę tenebris offunditur, & probabilitas eſt ueluti Aurora, quæ ſi nox non minuitur, ipſa non creſcit; ſi autem iſta augetur, altera deficit. Sin autem pares ſunt probabilitates, non oritur probabilitatis Aurora. Nam *vnus ædificans, & vnus deſtruens; quæ vtilitas in vtriſque, niſi labor?* ait Spiritus Sanctus. Si ergò probabilitas probabilitatem quodammodò deſtruit [ut diximus] multò magis maior minorem; & illa, qua maior eſt, remanebit probabilis. Ergò hæc ſuperſtes erit ſequenda: nam qui amat lumen lucernæ, quia eſt aliqualitèr Soli ſimile, multò magis amabit, & ſequetur lumen Aurorę ſimilius eidem, & inſipientèr hoc poſtponeret illi. *Eccl.c.34.*

III. Huic doctrinę conſentiunt & Pontifices in Sacris Canonibus, & Imperatores in Ciuilibus Conſtitutionibus. Nam dicit Pontifex. *In obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel plerumque fieri conſueuit, ſequimur*, & alibi denuò pręcipit, quod acceptentur, *proximiora verò, & vbi potius lux veritatis aſſiſtit*. Et Imperator iubet, quod ubi deeſt lex, uel conſuetudo, cuſtodiatur quod *illi proximũ eſt*. Nã legibus tantus debetur honor, ut eius etiã ſimilitudini deferendũ ſit; ſicut & Principis Imaginẽ veneramur. Ad hanc rem prædicat S. Griſoſtomus, dicens: *Si veſtimentum empturus giras vnum negotiatorem, & alterum, & vbi meliores veſtes inueneris, & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circuire; omnes Doctores inquirere, vbi ſincera Chriſti veritas venundatur, & vbi corrupta, & veriorem eligere* (nota) *pluſquàm veſtimentum?* Eidem ſubſcribit Scotus: *Cùm multis ſit probabilior pars negatiua, non ſine peccato aliquis ſe exponet dubio, ſequendo affirmatiuam minùs probabilem.* Hanc ſic docet ſententiam S. Auguſtinus: *Studeo ſempèr etiàm propriam ſententiam non tueri, ſi improbabilis detegatur, & eſt mihi cordi proprio iudicio damnato, meliora magis, & quæ ſunt veriora* (nota) *ſectari. Nàm vt optimi propoſiti, laudandique conſilij facilè ad veriora traduci, ità improbi, obſtinatique iudicij eſt nolle citiùs ad tramitem rationis inflecti.* Eadem ſentire videtur Lactantius Firmianus: *Hic* (in Philoſophia Ethica ait) *vt plùs periculi, ità difficultatis minùs, quod ipſe vſus rerum, & quotidiana experimenta poſſunt docere, quid ſit verius* (nota) *& melius.*

C. Inſpicimus. De Reg. Iur. in 6.
C. licet de probat. c. in noſtra de teſtib.
L. 32. de quib. ff. de legib.
S. Griſ. ho. 44. in Mat. in c. 23. quomodo.
Scot. in 4. ſent. diſt. 11. q. 6.
S. Aug. ac. 7. de Anima l. 2. c. 16.
Lact. de Falſa ſap. l. 3. c. 7.

IV. Non verbo ſolùm; ſed exemplo hanc tradidit Doctrinam Pontifex; ſic enim (inquit Clemens Quintus) *opinionem ſecundam tamquàm probabiliorem duximus eligendam*: Hinc concludit Diuus Auguſtinus, quod *qui ſequitur opinionem certò probabilem prudentèr agit: dummodo alia probabilior illi non appareat*: ſic enim dicit: *cum bona conſcientia poteſt quis tenere vnam partem alicuius opi-*

Clem. de ſumma Trinitate §. finaliter.
S. Antonin. p. 1. tit. 3 c. 10. § 10.

Reuerte ad.

Digitized by Google

nionis, & ſecundùm eam operari, excluſo ſaltèm ſcandalo, quæ ſcilicèt pars habeat pro ſe notabiles Doctores; dummodò talis opinio non ſit contrà auctoritatem expreſſam Scripturæ Sacræ; nèc contrà determinationem Eccleſiæ Catholicæ; & quod etiàm ex contrarietate talium opinionum, non inducatur ad dubitandum; ſed bonam ſibi conſcientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit tamquàm de probabiliore parte. Sanctiſſimè igitùr Innocentius Vndecimus ſequentes damnat propoſitiones; ſcilicèt; *Probabilitèr exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxtà opinionem etiàm minùs probabilem*, & alteram: *Ab infidelitate excuſatur infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili.*

Innoc. XI.

V. Cùm autèm *vna ſit facies, & vis veritatis* (vt ait Seneca) vbiquè erit eadem veneranda: nàm & Imperator in tradendis legibus profitetur ſe tradere veram Philoſophiam, quæ eſt veritatis cognitio; ideò, ſi in materia Iuſtitiæ nulla eſt dubitatio; quarè in materia aliarum virtutum ob bonum ſalutis æternæ, non erit exquirenda veritas, & eius ſimilitudo, quoad fieri poteſt, verior requirenda, & ſectanda? *Hæc via* ad rem noſtram (inquit Lactantius Firmianus) *quæ eſt ſapientiæ, & veritatis, & virtutis, & iuſtitiæ, quorum omnium fons vnus eſt, vna vis, vna ſedes eſt, ſimplex, quod paribus animis, ſummaque concordia vnum ſequamur, & colamus Deum, & anguſta* [nota], *quoniàm paucioribus virtus data eſt: & ardua, quoniam ad bonum, quod ſummum eſt, atquè ſublime, niſi cum ſumma difficultate, ac labore non poteſt perueniri.*

Sen.ep.102 L.Iur.ff. de Iuſt.& Iur. 1

Lact. Fir. l.6.De vero cultu c.7.

VI. Nèc obſtat quod in materia Iuſtitiæ adeſt pactum, & idcircò opinio probabilior ſit amplectenda. Nàm etiàm in materia aliarum virtutum adeſt pactum intèr Deum, & homines, quod obſeruari oportet, virtute, & vinculo tantò tutiori, & fortiori, quantò maius eſt debitum hominum ergà Deum, & quantò Deo magis eſt ſatisfaciendum, quàm hominibus. *Veritatis igitùr cùm vna facies*, & vna vis ſit, vbiquè veritas erit ſectanda, non minùs in materia Iuſtitiæ, quàm aliarum virtutum; vndè ſi Summus Pontifex in materia fidei, ac iuſtitiæ iubet probabiliorem eſſe ſequendam; idem videtur dicendum in cæteris, præſertim in materia Charitatis, quæ eſt *primum, & maximum mandatum*. Eadem ratione loquendo de ſpe, ac etiàm Religione, quæ ſunt Iuſtitia præſtantiores: nàm ſpiritum, ac Deum concernunt, & vitam æternam reſpiciunt. Iuſtitia autèm externa hominum bona reſpicit longè inferiora, ac pacem externam.

VII. Inſupèr qui dicunt quod in materia Iuſtitiæ Iudex obligetur probabiliorem ſequi proptèr pactum cum Republica, initum ſi diligentèr audirent D.Paulum, agnoſcerent, quod quilibet noſtrum

Digitized by Google

ſtrum Iudex eſt in cauſa ſuæ ſalutis æternæ ; vndè dicit S.Paulus : *S.P.Cor. 1. c.11.*
Si noſmetipſos iudicaremus, non vtiquè iudicaremur. Ergò quià
Iudices ſumus, probabiliorem ſequi adſtringimur. Pactum verò
[vt dixi] habemus non cùm hominibus, ſed cum Deo de obſeruan-
dis ipſius mandatis, vt ipſemet Deus per os Prophetarum profite- *Iſa.c.55.*
tur dicens : *feriam pactum vobiſcum ſempiternum*, per quod abre- *Ioſ.c.24.* *Deut.c.49.*
nunciamus Diabolo, & cæteris inimicis Dei : vt inquit S.Auguſti- *Corn à*
nus dicens ; *Huic vos renunciare profeſſi eſtis : in qua profeſſione non* *lap. in Eccl.c.6.v.22*
hominibus, ſed Deo, & Angelis eius conſcribentibus, dixiſtis, re- *S.Aug. ad*
nuncio. Renunciate non ſolùm vocibus; ſed etiam moribus : non tan- *Cath. l.4.*
tùm ſono linguæ, ſed actu vitæ, nèc tantùm labijs ſonantibus, ſed *s.1.to 9. &*
operibus pronunciantibus. Depræhenderis enim, & detegeris Chri- *Malac.c.2.*
ſtiane, quandò aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine,
aliud demonſtrans in opere, non tenens promiſſionis tuæ fidem.

VIII. Abſoluant hoc caput, confirment, atquè perſtringant Di-
uinus ille Plato, qui Moſes Atticè loquens dicebatur, & Clemens *Clem. l.1.*
Alexandrinus vocatus à S.Hieronymo eruditiſſimus, & Magiſter *ſtrom. pan-*
Origenis : *Sic itaquè* (ait Clemens) *veri amator Plato veluti à Deo* *lò ante med.*
incitatus dicit ; Ego [inquit] *ſum eiuſmodi, vt nulli alij credam,* *Plato l.28.*
niſi Rationi, quæ mihi conſideranti optima viſa fuerit (nota). *Eos* *Crito.*
ergò repræhendit (proſequitur ipſe Clemens) *qui abſquè mente, &*
ſcientia credunt opinionibus ; vtpotè quod non oportet, relicta recta,
& ſana ratione, ei credere, quæ eſt falſi particeps. A veritate enim
aberraſſe malum eſt. Platoni, ac Clementi conſonat Seneca ſic ſcri- *Sen.ep.65.*
bens : *Fer Iudex ſententiam. & pronuncia. Quis tibi veriſſimum* *89.*
(nota) *videatur dicere, non quis verum dicat ;* at alibi ſibi conſen-
tit, dicens ; *ſtude, non vt plus alijs ſcias : ſed vt melius :* (nota) *Plato*
cui iterùm Plato in Phædone addit : *Ego, non vt præſentibus pro-* *Phed.*
bem ea, quæ dico, annitor, niſi quatenùs fortè contigerit, ſed vt mi-
bi ipſi vera, quam maximè (nota) *videantur. Hac via iter direxi*
meum, ſupponens rationem ſempèr, quam eſſe iudico validiſſimam
(nota) *quæcumque huic conſonare videantur, pono equidem tam-*
quàm vera, idque ago, & circà rerum cauſas, & circa reliqua om-
nia, quæ verò diſſonant, vera eſſe nego.

IX. Quamquàm omnis veritas tamquàm radius à Deo Patre lu- *Par.1. Ad-*
minum, & æterno veritatis Sole emicet [vti cum Sanctis Ambroſio, *mon.1.7.*
& Auguſtino, ac Lactantio Firmiano ſuperiùs diximus] nihilominùs *21.*
veritatem hanc in ipſomet Diuino Sole contemplari placet; ſic diſce-
ptando ex Euangelio : Ideò peccauerunt Hebræi, non credentes
Chriſto, quià relicta Chriſti doctrina *Probabiliore* ſecuti ſunt cęte-
rorum *minùs Probabilem* : ſiquidèm (ait ipſemet Dei Filius) *ſi ope-* *S.Io.c.15.*
ra non feciſſem in eis, quæ nemo alius (nota cum D.Cryſoſtomo
hic]

Idem c. 5. hic) *fecit, peccatum non haberent*, Ipſa enim *opera teſtimonium perhibent de me*. Maiora autèm opera; maiora ſunt teſtimonia. Maiora
Idem c. 5. teſtimonia aſſertionem probabiliorem faciunt. Probabilior verò magis obligat. Secùs non peccaſſent Iudæi. Ergò Probabilior eſt ſequenda, relicta minus Probabili. Hinc ità argumentatur S. Ioannes: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt*. Ergò magis ſequendum. Ergò maior Probabilitas ſectanda. Ex Chriſti, ac S. Ioannis dictis hic formari videtur ſyllogiſmus: *quod habet maius teſtimonium pro veritate, eſt ſequendum ſub peccato* (in doctrinis ſpectantibus ad ſalutem). Nàm ſi hæc non eſſet vera Propoſitio, non rectè Hæbreos arguiſſet Chriſtus, nèc ritè argumentatus fuiſſet S. Ioannes: ſed *Probabilior habet maius teſtimonium pro ſui veritate*. Etenim ideò eſt *Probabilior*: quià habet maius teſtimonium, vel Rationum, vel Auctorum. Ergò *Probabilior eſt ſequenda ſub peccato* in doctrinis ſpectantibus ad ſalutem. Theologia verò doctrina eſt ad ſalutem ſpectans. Ergò in Theologia eſt
D. Bern. ep. 226. ſequenda Probabilior. Hanc ſecutus eſt D. Bernardus doctrinam Probabilioris eligendæ. Inſupèr.

X. Chriſtianus Chriſtum, imò & Deum ipſum imitari debet. Indixit enim ipſe Ieſus: *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter*
S. Mat. c. 5. *Cæleſtis perfectus eſt*. Hinc *Chriſtianiſmus dicitur eſſe imitatio Diuinæ naturæ* (vti ſcripſit ad Hammonium S. Gregorius Niſſenus): Perfectio autèm Diuinæ naturæ lucet in veritatis cognitione, & ardet in bonitatis amore: quamobrèm perfectus ille erit, qui & veritatem contemplari ſtudet, & bonitatem colit; ſicut oſtenditur
S. Ioa. c. 5. in libello inſcripto *Propoſitio illuſtrata Beatæ Catharinæ Genuenſis Genuæ impreſſa anno* 1648. *in pag.* 12. Vndè de perfecto Cæleſtis Sponſi amico Ioanne Baptiſta prædicat S. Ioannes Euangeliſta, quod *Ille erat lucerna ardens, & lucens*. Ergò, vt perfectionem conſequamur, veritatem colere, non negligere debemus. Veritas autèm Indiuiſibilis eſt, nèc ſuſcipit magis, & minus, ſicut Amor boni, qui plures habet gradus, quorum etiàm minimus ſufficit; non ſic eſt veritas; de qua ità loqui videtur Chriſtus apud S. Lucam: *Si corpus*
S. Luc. c. 11 *tuus* (nota) *lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarùm* [nota] *erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te*. Non enim particeps eſt tenebrarum, vel falſitatis veritas: ſed ſimplex lux ſine falſi admixtione eſt. Ergò qui vel particulam veritatis omittit, totam amittit veritatem: ſed qui ſequitur Probabilem relicta Probabiliore, aliquid veritatis omittit, maiorem ſcilicèt veritatis in probabiliore lucem. Ergò totam veritatem negligit, cum ei aliquid tenebrarum in minus Probabili admiſceat. Ergò Perfectionem negligit, contra Chriſti Domini dictum, & Chri-

ſtiani

Digitized by Google

ſtiani nominis profeſſionem. Elucidantur horum virorum ſententiæ conſentaneis rationibus, ac doctrinis in p.4.c.15.

CAP. VII.

Probabilior ſequenda repetitur.

I. PObabilitas eſt veriſimilitudo: ſunt enim ſynonyma hæc duo, vti omnibus Moraliſtis liquet.

Duplex autem eſt Imago. 1. viſibilis, ſicut ſignum inſtrumentale non ſolum vt exemplar agnoſcatur; ſed potius, vt in eo exemplar colatur, & ideò non tam ſimilitudo, quam repræſentatio, ac nomen attenditur. Vndè etiam Vexillum Regis pro Rege ipſo colitur, cum tamen ipſius Regis non referat effigiem: ſic etiam Prorex pro Principe ipſo colitur, etſi ei diſſimilis ſit; ideò tamen colitur, quia ipſum repræſentat. Altera Imago intentionalis, ac intellectualis tamquam ſignum formale, quæ ad rem potentiæ imprimendam eſt à Deo inuenta, & hæc attenditur ſolum quo ad veram rei Imaginem: nam Imago (inquit Sanctus Ioannes Damaſcenus) *ſimilitudo eſt, exemplum, atque effigies, quæ illum in ſe, cuius imago eſt, exprimit*. *Imago enim* [inquit Sanctus Thomas] *dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius*: *ſic ſimilitudo* (ait idem Sanctus Thomas) *rei intellectæ, quæ eſt ſpecies intelligibilis, vel forma, ſecundum quam intellectus intelligit. Id, quod intelligitur primò eſt res, cuius ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo*. Cognitio autem rei, vt in ſe eſt, veritas; vt eſſe videtur, opinio eſt. Ergò quò ſimilior, eò magis exquiritur. Veritas enim ipſa per ſe appetitur, vt cognoſcatur: vndè ſcribit & ipſe Caramuel. *Ego ſumam Calamum, vt oſtendam hic, ſemper, & vbicumque, etiam ſententias veras ante ponendas falſis, ſeù videantur benigna, ſeù ſeueræ*; imò Zacharias Propheta clamat: *veritatem diligite: ait Dominus Omnipotens*: & ipſemet Chriſtus (ait Sanctus Ioannes) *cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit nos*. Ergò ſimilior, ac lucidior eiuſdem Imago quærenda erit; ſicuti natura docet in aurora, quæ conſurgit vſque ad perfectam diem.

S. Io. Damaſc. de Imag. or. 3. c. 1.
S. Tho. 1. p. q. 3. ar. 1.
S. Tho. 1. p. q. 85. ar. 2.
Caram. Theol. fundam p. 1. c. 6 n. 1030.
Zach. c. 8
S. Ioan. c. 8.

II. Præterea, vt oculus lumen appetit; ſic mens noſtra appetit veritatis euidentiam, quam ſi claram intueri nequeat, quoad poterit, minus obſcuram aſpicere contendit: ſicut is, qui meridiem deſiderat, ſi hac meridiana luce potiri nequit, auroram præ lucerna

eli-

eligit: ſic probabilior, hoc eſt minus obſcura, ac veluti veritatis aurora præ lucerna probabilitatis eſt eligenda. Nam ſi ambulanti in tenebris via periculoſa ruendi, offeratur *Fax* lucens vt quatuor, & candela lucens, vt duo, ex præcepto prudentiæ, & Charitatis ergà ſe ipſum, Facem eliget, & candelam reſpuet: ſic homini ambulanti in tot ignorantiæ tenebris, oblatam Probabiliorem, vt facem eliget, ac Probabilem, vt candelam relinquet: ſicuti monere videtur Sanctus Petrus dicens. *Attendentes* (ait) *lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec* (nota) *dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

S.Petr.ep. c.1.

III. Milliès item repetam; ideò appetitur *Probabilitas*, & ſine ipſa non licet operari, quia eſt *Veriſimilitudo*. Ergò probabilior, cum *veri* ſit *ſimilior*, magis appetenda erit, magiſque ad eamdem ſequendam nos obligabit: ſicut quia obiectum (vt docet Sanctus Thomas) charitatiuæ dilectionis eſt Deus, qui eſt Deo propinquior ſimilitudine, magis eſt diligendus: ſic motiuum eligendæ Probabilitatis eſt, quia eſt ſimilis vero. Ergò Probabilior, quæ verò eſt ſimilior, magis eligenda erit; hæc ratiocinatio *Regula proportionum*, quæ *Aurea* dicitur, ac *Trium* inniti cenſetur; vt innuimus.

S.Tho.2.2. q.26.ar.7.

IV. Inſupèr Probabilitas euaneſcit in cõſpectu Probabilioris; adeout qui lumen ſequi optat, Probabilioris lumen ſequi oporteat; vt dixi cũ D.Hieronymo, & S.Thoma, & idem repeto cum S.Ioan. Damaſceno ſic diſputante. *Lucerna* (ait) *in ingentem rogum coniecta extinctionem ſubit, quippè minor flamma à maiorè abſumitur: maius porrò cum minore pugnat*: quæ D.Damaſceni doctrina confirmari videtur ex D.Paulo ſcribente, quod, *cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt*. Adueniente non ſolùm perfectiſſimo lumine gloriæ abſcedit lumen Fidei; ſed adueniente quoquè magno Amoris lumine, euaneſcere videtur Fides: vti de ſe ipſa B.Catharina Genuenſis fatebatur, dicendo: *ſentio me amiſiſſe Fidem*, quæ Propoſitio fusè diſcutitur, ac ſolidè iuxtà Principia Theologiæ, tàm ſcholaſticæ, quàm myſticæ, & declaratur non ſolùm eſſe vera, ſed etiàm ſublimis in libello inſcripto; *Propoſitio B. Catharinæ Genuenſis Illuſtrata* edita priùs Italicè, dein latinè Genuæ à me anno 1684. Si ergò affulgeat Probabilioris lumen, Probabilis euaneſcet radius. Prætereà.

S.Io. Dam. Phyſic.c. 12.

S.P.Cor.1. c.13.

V. Lex Dei ſe habet (quo ad effectum comparandæ gloriæ, vel incurrendæ damnationis) *per modum indiuiſibilis*; adeòut, qui partem violat, vniuerſam frangat legem: vti D.Iacobus ait: *quicumque offenderit in vno, factus eſt omnium reus*: ſic differendum videtur de lege veritatis ſequendæ: *Veritas indiuiſibilis eſt* [vt diximus

S.Iacob.c.2

Digitized by Google

mus cum Cornelio à Lapide]. Igitùr qui aliquid veritatis amittit,
totam perdit. Sed qui Probabiliorem negligit, aliquid veritatis
amittit. Nàm illam maiorem ſimilitudinem veri amittit. Ergò to-
tam veritatem quantum in ſe ipſo eſt, perdit. Vlteriùs homo in
operando moralem certitudinem quærere debet, cuius propoſitio-
nis ſic magis clareſcet veritas.

VI. Cum in homine originalis Iuſtitia eluceret, affulgebat &
illi clara omnium rerum cognitio, veluti meridies, cum autem oc-
cidiſſet prima ſapientiæ, ſucceſſit & nox ignorantiæ; omniaque ob-
ſcura fiunt; vndè dicit Salomon quod *tradidit Deus mundum diſpu-
tationi eorum*, & Iob quod: *de occultis trahitur ſapientia*. Multò S.Hilar.
autem magis obumbratur homo in Diuinis; vndè dicit Sanctus Hi- comm in
larius. *Omnis ſermo Domini carnalibus tenebra ſunt, & verbum* Mat. c.20.
eius Infidelibus nox. Cui præterea S.Leo conſentit, ſic dicens. *Abi-* S.Leo ſer.7 de natiu.
gatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ Fidei Dom.
oculo mundanæ ſapientiæ fumus abſcedat. Non ſolum autem in
diuinis, ſed etiam in humanis plurima quoque occurrit rerum cali-
go. Vndè dicit Sapiens quod ſicuti nocte timidè ambulamus, ne Sap.c.9.
offendamus, nec aliquid certi oculis noſtris videtur: ſic *cogitatio-*
nes hominum timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ. Quamobrèm
Cardinalis Pallauicinus, ſic ſcribit; *Vita hæc vallis eſt opinionibus* Card. Pal.
caliginoſa, vbi introductum eſt vocabulum. Certitudo moralis, Hiſt.Conc.
ideſt eiuſmodi credulitas, ac Fides, quæ reuera non eſt certitudo; Trid.l.8. c.12.
ſed cum in humanis maior haberi nequeat (nota) *hæc quo ad mora-*
lem, hoc eſt ad mores facit, vt prudentèr operemur, ac ſi certitudo
foret. Ergò ea eſt certitudo Moralis, cum quis moralitèr, ac pru-
dentum iudicio maiorem habere nequit [vti Pallauicinus docet];
ſed qui habet Probabilem, & Probabilior ei offertur, maiorem cer-
titudinem habere poteſt. Ergò qui Probabilem ſequitur, relicta
Probabiliore; non eſt certus moralitèr in operando. Ergò ſi ſata-
genti occurrunt Probabilis, & Probabilior, hæc eligetur; ſed dicet
aliquis non teneor ſatagere; cui reſpondet Caput 18. primæ Partis
oſtendens, quod veritas *diligentèr eſt quærenda*.

VII. Hæc confirmatur Propoſitio ſic. Ideò inexcuſabiles ſunt
Gentiles, ac Hebræi, cum Chriſti Doctrinam non ſequantur; quia
hæc eſt *Veriſimilior, ac Probabilior*, quam doctrina Gentilium, ac Sap.c.3 n.9
antiquorum Hebræorum; vti cum Diuo Petro diximus, & nunc à
Chriſto ipſo confirmatur dicente. *Si opera non feciſſem in eis, quæ* S.Ioan.c.15
nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ergò quia Chriſtus fecit
opera maiora; quam fecerit quilibet alius, ipſi erat credendum, ac
deferendum. Ergò quia ipſius doctrina erat veriſimilior, erat am-
plectenda. Ergò eſt ſequenda veriſimilior, ac Probabilior, relicta

Digitized by Google

Probabili; ſecus non differeret rectè Chriſtus, nec iuſtè damnaret illos, qui veriſimilium Gentilium, ac Hebræorum ſectabantur doctrinam, relicta Chriſti Probabiliore. Hanc lumine naturali rationis vim didicit Plato. *Oportet* (ait) *circa hac* (de Anima) *alterutrum efficere, aut diſcere, inuenireque: quemadmodum ſe habeant: aut ſi hac fieri nequeant, optimam, atque tutiſſimam* [nota] *humanarum rationum eligere, qua quis tamquam rectè vehatur, atque ità procellas huius vita pertranſeat, ſi nequeat firmiori quodam vehiculo, vel Diuino aliquo verbo tutiùs, ac minori cum periculo tranſire*. Vtinam hæc ſaltem ſentirent Recentiores. Optima, ac tutiſſima via eſt eligenda ex Platone, cum de Anima agitur.

Plato lib. 29. Phædo.

VIII. Aſſertioni præſenti iterùm obijciunt. Lex Dei eſt *Iugum ſuaue, & onus leue*, quæ conſilia Euangelicæ perfectionis proponit, non præcipit, ſed ſolum bona imperat: hinc tot laudibus effertur S.Thereſia, quæ ad id, quod perfectius foret, ſpontaneo voto ſeſe adſtrinxit; ſed ſequi Probabiliorem eſt ſequi perfectius, & eſt nimis aſperum, ac graue contra Diuinæ legis conditionem. Ergò non tenemur ſequi Probabiliorem. Hæc obiectio facilè diluitur ſic. Aliud eſt *Probabilius*: aliud *Perfectius*. Probabile eſt obiectum intellectus. *Perfectius* ac bonum *honeſtius* eſt obiectum voluntatis. Præterea non conuertuntur *Probabilius* & *Perfectius*. Nam Probabilis eſt opinio dicens, non licere bibere vinum potens die Ieiunij; quia eam docet S.Bonauentura, & B.Angelus à Clauaſio *in ſumma Angelica. v.Ieiunium*, & hoc eſſet Perfectius. Nihilominus Probabilius eſt licere. Ergo Probabilius, & Perfectius non ſeſe comitantur. Ergò obiectio eſt à ſubiecto non ſupponente.

S.Bon.confeſſionale.

CAP. VIII.

Tutior via eligenda,

I. SEcuritati aduerſatur periculum. *Periculum verò eſt timenda rei appropinquatio* (vt inquit Ariſtoteles). *Res autèm timenda eſt malum corruptiuum, aut dolorem inferens*. Periculum autèm aliud proximum, quod *& occaſio proxima* nuncupatur, vbi ſcilicèt caditur non rarò. *Periculum probabile*; vbi caditur ſæpè: *periculum remotum*: vbi caditur rarò. Malum verò in moralibus vnicè timendum eſt peccatum. Peccatum verò eſt legis tranſgeſſio. Igitùr qui appropinquat legis tranſgreſſioni, appropinquat ad peccatum, & periculo ſe exponit: quantum verò recedit à legis tranſgreſſione;

Ariſt. rhet. l.2.c.5.

tan-

Digitized by Google

tantùm ſecurus, ac tutus euadit; *qui autèm amat periculum, in illo peribit* (ait Sapiens) ideò clamabat Seraphica, ac illuminatiſſima Catharina Genuenſis, non ſolùm fugiendum à peccato, quaſi à facie Colubri; ſed etiàm fugiendum ipſius periculum, & appropinquatio, quamuis centum adhuc miliaria diſtaret à nobis: Nàm malum malorum maximum eſt peccatum. Hinc denuò cum D.Paulo repetebat. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*

Eccl.c.3. verſ.27. *B.Cath. Dial.l.3.c. 14.*

II. *Tutius* autèm poteſt diuidi, 1. *in Tutius neceſſarium*, & inſupplebile, cuiuſmodi ſunt, quæ ſunt de neceſſitate medij, quæ ſecundùm legem Dei ordinariam, nulla alia via poſſunt ſuppleri. 2. Tutius neceſſarium, ſed ſupplebile, eſt illud, quod eſt de neceſſitate præcepti tantùm, quod vel inuincibili ignorantia, vel impotentia; vel alia ratione, ac certa probabilitate poſſunt quandoquè ſuppleri. 3. *Tutius ex genere actus*, ac natura ſua ſunt Conſilia Euangelica, quæ tamèn per accidens, quandoquè ſunt minus tuta, vt exemplo probatur in vita S.Philippi Nerij, vt refertur etiàm à S.Franciſco Saleſio. 4. Aliqua ſunt *Tutiora* non ex natura, ſed *per accidens*; vt Matrimonium minus continenti: nàm *meliùs eſt nubere, quàm vri*. Prima *Tutiora* ſempèr, & ad ſempèr eligenda. Secunda ſempèr. Tertia pro vt diſcretus Conſiliarius decernet: nàm *non omnia omnibus expediunt*: ait Sapiens.

S.Phil.N r. Vit.l.3.c.9. n.10. *S Franc. Sal. Trac. Amor. Dei l.8.c.11.* *S.P. Cor.1. c.7.* *Eccl.c.37.*

III. Cohærent hiſce documentis, quæ à Summo Pontifice ſic proponuntur præcepta. *In his* (inquit) *quæ dubia ſunt, quod certiùs æſtimamus, tenere debemus*: nàm *in dubijs ſemitam eligere debemus tutiorem. In dubijs* ſiquidèm [repetit] *via eſt eligenda*; Vndè ſtatuit Clemens Quintus, quod, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graues remorſus conſcientiæ, *pars ſecurior eſt tenenda*. Hi Canonici Textus ex ſequentibus Tertulliani verbis explicari videntur. *Debemus* quidèm *ità ſanctè, & tota* [nota] *fidei ſubſtantia incedere, vt confeſsæ, & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes perſeuerare id in nobis, non tamèn præſumere* [nota]; *nàm qui præſumit, minùs veretur, minùs præcauet, plùs periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt. Præſumptio impedimentum timoris. Vtilius ergò ſi ſperemus nos poſſe delinquere. Sperando enim timebimus, timendo, cauebimus, cauendo ſalui erimus. Contrà ſi præſumamus, nequè timendo, nequè cauendo, difficilè ſalui erimus; qui ſecurus agit, non eſt ſolicitus, non poſſidet tutam, & firmam ſecuritatem. At qui ſolicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus.* Tertulliano conſentit S.Bernardus: *qui pauet, cauet, qui negligit, incidit*: Vndè alibi ſubdit: *Si vis pacem, & ſecuritatem veram* (nota) *habere, vide, ne vnquàm ſecurus ſis: ſciens pro certo nihil tibi tàm timendum, ſicut præſentem ſecuritatem, quæ ſinè dubio æter-*

C.Iuuen. de ſponſ. *C. Ad audient.de hom. vol.* *C Illud de Cler. exc. miniſt.* *C.Exini C em.de verb.ſign.* *Tert.de Cultu fæminar.c.2.* *S.Bern.ſer. de conu.ad Cler. c.5.* *Idem l.de paſſ. Dom. c.22.*

S Gregor. Moral. l. 24 c. 6. Pſal. 111.

num generat timorem. Mater enim negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas: explicat Diuus Gregorius Magnus. Hęc omnia confirmat Dauid: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis* (nota); nèc enim adinſtàr Capreę [vndè ortum eſt nomen *Capriccio*] audaci ſaltu tranſiliendus eſt Dubitationum torrens: quià *Sapiens* (inquit Salomon) *timet, & declinat à malo. Stultus tranſilit, & confidit*; vbi ſic S. Hieronymus: *Sicut ſtulti eſt de ſua alacritate torrentem rapidum, vel voraginem latiorem ſaltu velle tranſire. Sapientis autèm ad planum, vel Pontem* (nota) *diuertere: ità qui peccatum valet, declinat, nè inuoluatur malis, ſapiens eſt*. Nàm *Optimum ſignum eſt timor* [inquit S. Bonauentura] *& peſſimum eſt audacia*, ex quibus Sacræ Scripturæ, ac Patrum ſententijs amatori veritatis patet, quod *cura omnis ſubinferenda eſt, & ſatagendum* (ſic loquitur S. Petrus) vt tuti ſimus in re tanti momenti: at non ſatageremus, nèc omnis cura afferretur, ſi cùm poſſet eligi Tutior via, negligeretur; etiàm contrà Summorum Pontificum Decreta. Denique donum Spiritus Sancti [inquit cum Iſaia S. Franciſcus Saleſius] *& initium ſapientiæ eſt timor Domini, ſanctus permanens vſquè in ſæculum ſæculi*. Dubia autèm relata in his Canonibus, non videntur dubia propriè, & rigoroſè accepta, in quibus æquale ſit rationum pondus; ſed dubia magis latè ſumpta, cuiuſmodi ſunt narrata in ſuperioribus capitulis, in quibus pro aliquibus militabant graues rationes; nihilominùs Pontifex cenſuit leges exactius eſſe ſeruandas: nàm quò magis ſeceditur à periculo violandæ legis; tantò ſecuriùs quis ſe gerit: vndè videtur etiàm, quod *Probabilior* ſit etiàm *Tutior* reſpectu eiuſdem legis. Etenim probabilior opinio eſt proximior legi, qui autèm approximat legi, recedit à periculo violandę eiuſdem, & idcircò tutior viuit.

Prou. c. 14. S. Hier. in eund. S. Bon. opuſc. 1. l. luminaria Eccleſ. ſer. 19. S. Pet. ep. 2. c. 1. S. Sales Amor Dei l. 11. c. 18.

IV. Verùm ſi aliquandò concurrerent duæ leges in aliquo caſu contrariæ, tunc tutior erit pars, quæ magis accedit ad impletionem legis potioris, relicta altera etiàm probabiliore; vti ſi lex Charitatis iubeat inſeruire ægro periclitanti, lex autèm Eccleſiaſtica iubeat intereſſe ſacro; Hæc omitti, altera eligi debet: vel quandò agitur de validitate Sacramentorum, vel reuerentia Sacris rebus debita; deniquè Tutiora Priora concurrentibus poſterioribus præferenda erunt, & ſimilia. Cæterùm [inquit Auguſtinus] in re ſalutis animæ; *Tene certum, & dimitte incertum*: Nàm Spiritus ſapientiæ, & gratiæ Dei, qui viuificat fideles, eſt ſpiritus certus, (vt ait Sapiens) & certitudinem amat, de quo infrà. *Tene certum*, quod ducit ad obſeruantiam legis, *& dimitte incertum opinionum*, quod à legis obſeruatione poterit abducere; hinc (ait S. Bonauentura) *voluntas bona, & plena, vie regia, & ſecura debet incedere, &*

S. Auguſt. apud Grat. de pænit. diſt. 7. c. 4. ſi quis. Sap. c. 7. S. Bon. opuſc. 2. de proceſſ. Relig. proc. 5. c. 3.

reli-

relictis dubietatam diuerticulis, quaſi ſuſpectis latronum ſemitis, apertos, & tutos Iuſtorum Calles ambulare, ne velut pænitens boni incohati, quærat diuerticula declinandi de via perfectionis, in qua vouerat ambulare. Quod enim eſt, vndè omnes in damnationem incidimus, niſi talis dubia interpretatio præcepti Dei? De ligno vetito, vbi callidus ſerpens perſuaſit mulieri, non ità ſtrictè, & ſimpliciter intelligendum, illud præceptum eſſe. Imò, quod eius obſeruatio nociua foret, ne fierent ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum, & cuius tranſgreſſione quamquam Deus ſic comminatus fuerat, nedum mortem corporis, ſed nec animæ vereretur. Credidit igitur inſipiens mulier falsò interpreti, & conſenſit ſuadenti, cui nequaquam conſenſiſſet, ſi conſilium eius fallax, & inutile credidiſſet. Nimis credimus alijs nimiſque noſtræ innitimur prudentiæ, & hinc quaſi ſecuri prolabimur: & ideò *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus* (ait Salomon), *qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum.* [*Prou. c.28.*] Etenim *Tantò debemus cautiùs ambulare, quantò nos ſcimus inter Dei inimicos viuere.* Monet S.Gregorius Papa. [*S.Greg. in Regiſt. l.5. Indict.3. ep.36.*]

V. Etenim vita noſtra iudicanda eſt ſecundum Dei legem, non ſecundum iudicium, & opinionem noſtram: quamobrèm Sanctus Dauid (vt commentatur Diuus Antoninus) præcabatur, vt proprium iudicium Diuino confirmaretur. [*S.Anton. ſumm. p.4. c.19.§.1.*] *De vultu tuo iudicium meum prodeat: vultus Dei eſt certa cognitio Dei, vel voluntas Dei. Iudicium noſtrum eſt æſtimatio noſtra de rebus: quæ vtique recta eſt, cum procedit de voluntate Dei, & cognitione: vident enim oculi Dei, quod approbant.* [*Pſal. 1.*] *Tunc enim æquitatem ſeruamus, quam Deus approbat, quando iuditium mentis noſtræ eſt ſecundùm voluntatem Dei. Deus ſiquidem iudicabit* (iterùm canit Dauid) *orbem terræ in æquitate & populos in veritate ſua.* [*Pſal.91.*] *Apprehendite igitur diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*, nec credatis opinioni veſtræ, cum ſoli Dei iudicio reſeruata ſit ſalus veſtra.

VI. Aduertendum autem eſt, quod leges, quæ tutiorem iubent, ſunt à legislatoribus ſapientibus, & ſapientèr conduntur, ſeſe accommodantès loco, tempori, perſonis, & vnicuique ſecundùm propriam virtutem imponunt onus. Igitur ſapientèr, & diſcretè intelligendæ ſunt. Hinc *Triplex ſecuritas* poteſt conſiderari. Prima veluti *poſitiua*, quæ videtur aliquibus tuta. Secunda *comparatiua* maior priore. *Tertia ſuperlatiua*, & tutiſſima. V.G. lex Ieiunij eſt, quod quis ſemèl comedat: oritur dubitatio, qua hora ſit comedendum, an meridie, an ſerò, an quauis hora modò vnica ſit comeſtio: aliqui moderni quauis hora aiunt poſſe comedi: meridie, vel circa, vt Diuus Thomas cum Concilio &c. veſperè vti faciebant [*D.Tho.2.2. q.147.art.7*]

an-

antiqui Sancti. Eccleſia videtur velle non primam, quam dicunt *Tutam*; ſed ſecundam, quæ eſt *Tutior*: non autem tertiam *Tutiſſimam*. Vult igitur Tutiorem intra eamdem ſpeciem; & *mediam* tamquam rationabile obſequium noſtrum iubet; ſed prauum humani cordis ingenium ad extrema ſempèr fertur, & mediam diſcretionis, ac virtutis viam carpere dedignatur.

Vit. l. 1. c. 4. n. 3. VII. Hanc doctrinam ſecutus eſt, & exemplo docuit S. Philippus Nerius Magnus ſanctitate, & doctrina: vt teſtatus eſt intèr alios venerabilis ſanctitate, ac ſapientia Alexander Saulius Epiſcopus Papienſis: *Breu. Cōgr. orat. an. 1586.* Nàm cùm Philippus à Pio Quarto aliqua priuilegia pro Congregatione Oratorij obtinuiſſet ad decennium, hoc elapſo, petijt à Gregorio Decimo Tertio iterùm confirmari, quià eadem conceſſit, nulla habita temporis mentione, indefinitè ſcilicèt ea concedens. Verùm ſecundo etiàm decennio exacto, videbantur adhuc extendi, ac vigere priuilegia: *Innoc. III. c. quia circa de priu.* Cùm indefinita Conceſſio, æquipolleat vniuerſali (vt dicit Innocentius Tertius): Nihilominùs Philippus tertiò adijt Sixtum Quintum, vt iterùm priuilegia confirmarentur, & obtinuit pro perpetuis futuris temporibus. *Bar. an. 435. n. 15.* Theodoſius Iunior Imperator, ac Beatus Iacoponus à Tuderto etiàm iniuſtè ex- *B. Iacop. l. 1 ſat. 17. 19.* communicati petierunt nihilominùs inſtantèr abſolutionem; quoniàm cùm de anima vna, & æterna agitùr, *tenendum eſt certum, & dimittendum incertum*. Huic D. Auguſtini celebri dicto arridet *Eccleſ. c. 11.* Eccleſiaſtis ſententia dicentis: *Manè ſemina ſemen tuum, & veſperè neceſſet manus tua: quià neſcis* (nota) *quid magis oriatur hoc, an illud*: ergò tenendum eſt certum, & tutior via eſt eligenda, nè turpiſſimam edere vocem cogatur: *Non putaram*: vti monuit apud *Plutar. Apophegmata.* Plutarcum Iphicrates: & apud Sapientem flere dicentes: *Nos inſenſati æſtimabamus*: *Sap. c. 15.* quaproptèr *magis ſatagite*: appendite hanc uocem (*vt per bona opera certam*) hanc dictionem perpende, *veſtram vocationem, & electionem faciatis*, concludit Sanctus Petrus *S. Pet. ep. 2. c. 1.* Apoſtolus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX.

Compendiaria Confirmatio veræ probabilitatis, & confutatio falſæ.

I. D*Eus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ*. Lux eſt ueritatatis, & Veritas Summa. Sapientia autèm donum Spiritus Sancti, lumenque propheticum, candor eſt huius lucis æternę; Fideſque Theologica ſapientia eſt in myſterio, liberque Prophetiæ ſignatus, ac veluti ignis in columna nubis, vel in nubilo Sol; vel deniquè lucerna accenſa ſub modio, vt autèm Deum conſequamur, fruamurque lucida ſapientiæ vita; obſcura Fidei luce, ambulare nos oportet: Nàm *per fidem ambulamus*: ait S.Paulus. *S.Io.ep.1. c.11.* *S P.Cor. 1. c.5.*

II. Quandoquè verò nèc Sapientiæ lumen affulget, vel fidei lucerna ſatis emicat: Vndè quò ſit eundum, homo ignorat; Idcircò bonus Dominus, & laudabilis nimis, ſtatuit, vt ſaltèm radium Sapientiæ, vel ſcintillam Fidelis luminis attendamus, qui nihil aliud eſt, quàm *Probabilitas*: nàm: *Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt*: Probabilitas manifeſtatur. Ergò eſt lumen: non eſt autèm lumen, vt *Sapientia, quæ eſt ſpecioſior Sole*, & cui non ſuccedit nox: nèc vt Fidei lumen, quod, vt luna lucet in caliginoſo loco; ſed eſt veluti radius valdè tenuis, qui aliquam lucem præſefert, & ab alia luce maiori emicat: verùm radius iſte tot, tantiſque circumdatur tenebris; vt non perſpiciatur, ac dignoſcatur plenè, & ideò aliqualitèr timetur, an ſit veræ ſapientiæ radius, ac ſtella, quæ Magos duxit ad præſepium in obſequium Chriſti: vel an ſit infauſtus Cometa prænuncians ruinas: de hoc poſſet dici cum Chriſto: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt, ambulate, dum lucem habetis, vt vos tenebræ non compræhendant; quià qui ambulat in tenebris, neſcit, quo vadat*; quaſi repetens, quod qui in modico fidelis eſt lumine: ſupèr maiora conſtituetur: eſt enim reliquiæ veræ lucis, indexque Solis proximi, cuius ipſe eſt radius vnus, qui ſi euaneſcat, iterùm tenebræ operiunt terram, & caligo populos. *S.P. Ephoſ. c.5.* *S.Ioa.c. 12.*

III. Huius autèm veri Radij ſigna recenſeri poſſunt, quæ & Stellæ Ducis Magorum fuere. Nàm eiuſmodi ſtella ſequentia ſigna habuit; 1. Ab antiquis fuit prænunciata, ſcilicèt à Balaam, & Sybilla; 2. Fulgentioris lucis ſplendore nitebat: vt dicit S.Maximus, cum D.Leone; 3. Interior Dei inſpiratio ſuauitèr Magorum corda impellebat, ad præſtandam nouo ſyderi Fidem: vt dicit idem Sanctus *S. Maxim. de Epiph. s.Leo ſer. 1.de Epiph.*

Job c.12. ctus Leo : ſic & radius Probabilitatis eſt ſecurus , ſi conſonat antiquis : nàm *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* 2. Si validioribus rationibus radiat . 3. Si cor noſtrum vnius cupidum veritatis , ſentit in eamdem ſe moueri partem . Hæc eſt vera, & antiquiſſima opinionum probabilitas , cuius tutores à modernis *Antiprobabiliſtæ* appellantur ; cùm ſint veræ, & antiquiſſimæ Probabilitatis Doctores .

IV. Verùm ingenioſiores (noſtris hiſce temporibus) magnificant diuitias bonitatis Dei , & aſſerunt ipſum Deum , nèc requirere à nobis ; vt radium ipſum ſequamur ; ſed vt ſequamur , vel ipſius radij ſimilitudinem , ac veluti picturam ; modò nobis videatur talis , etiamſi lampyris credatur à nobis lanterna , vel Stella , ac Angelus tenebrarum transfiguraret ſe in Angelum lucis : vti dictum fuit S.Thereſiæ, quod dummodò videretur Chriſtus , qui ei apparebat , etiamſi Sathanas foret , poterat eidem deferre cultum ; quià ipſa non rem abſolutè ; ſed apparentiam , ac ſimilitudinem Chriſti colebat ; ergò iàm cor eius in Chriſtum repræſentatum tendebat : *Appendit autèm corda Dominus* : ait Salomon : vndè ſtatuunt Illud celeberrimum , per Recentiorum ora Axioma morale ; ſcilicèt ; *qui ſequitur opinionem probabilem , prudentèr agit* .

S.Thereſ. manſ 6.c.9

Prou. c.21.

V. Vlteriùs procedunt , & docent hoc Axioma militare etiamſi oppoſitum eſſet probabilius , ac videretur vero radio ſimilius ; quià ſufficit prudentèr operari , hoc autèm fit , ſi quis probabili opinione ducatur : non enim Deus per iugum ſuum ſuaue arctat nos ad melius ; ſed ad bonum; & huiuſmodi procedendi ratio tuta ab ipſis cenſetur : nàm (aiunt) Peccatum eſt voluntarium ; voluntarium eſt , cum cognitione rei volitæ , qui verò ſequitur opinionem probabilem, iudicat bonum , quod proponitur . Ergò voluntas fertur in bonum . Ergò non peccat . Ergò tuta . Tutum enim eſt , quo quis diſcedit à peccandi periculo; huius probabilitatis defenſores volunt vocari Theologi benigni, veròque Sapientes , & veluti *Saluatores mundi* . Verùm .

VI. Hæc nouorum Probabiliſtarum doctrina, quanti ſit ponderis , ſequentibus duabus veluti lancibus eſt ponderanda . Prudentia omnis exigit , vt pro veritate vitæ , & acquirenda vita æterna impendamus illam ſollicitudinem , ac curam , quæ tanto bono eſt neceſſaria , vt ait Ioſue , & D.Petrus confirmat dicens . *Satagite* , & Chriſtus dicens ; *Contendite*, & nouo Sancti Apoſtoli Iudæ exemplo roboratur , qui pro alijs omnem ſolicitudinem adhibebat . Item non ſolum probabilitatem ; ſed & certitudinem de Proximi ſalute habere , contendebat . Ergò hæc multò magis pro ſe curabat : ſic enim ſcribit . *Chariſſimi omnem ſolicitudinem faciens , ſcribendi vo-*

Iud. Epiſt. Cathol. c.1.

Digitized by Google

vobis, de communi veſtra ſalute, neceſſe habui, ſcribere vobis: deprecans ſuper certari ſemel traditæ Sanctis Fidei. Reſpondet Diſcipulus hic Chriſti Chriſto Magiſtro præcipienti, eſſe contendendum pro æterna vita (vt dictum eſt); Prudentia item omnis iubet, vt non ſolum quod eſt, bonum in ſe, eligatur, ſed & cui periculum non ſit adnexum, nec bono malum ſubrepat, & propterea *Cautio* pars eſt prudentiæ, & Diuus Paulus diſertè monet de hac re Epheſios ſcribens. *Videte, quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt Sapientes*; & ad Corinthios. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*; & Chriſtus Dominus hæc confirmat dicens. *Vide ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.* Ergò vt prudenter in re æterni ponderis quis ſe gerat, magna diligentia nec minor cautio requiritur. *S.P. Epheſ. c.5.* *S.P. Cor.1. c.6.* *S.Luc.c.11*

VII. Probabilitas autem Recentiorum caret debita diligentia: nam quælibet Probabilitas ex communi horum ſenſu ſufficit ad prudentèr operandum: ſed quælibet probabilitas eſt obuia, nec opus eſt illi diligentia, vt habeatur (vt dictum eſt, & patet) quandoquidem hæc eſt Recentiorum gloriatio, oſtendere omnia ferè probabilia, & reipſa in vno Caſiſta ſexcentæ opiniones numerantur pro vtraque parte probabiles; in altero ter mille probabiles vtrimque. Ergò ſuperflua eſt diligentia, cum paſſim habeatur probabilitas. Ergò ſuperfluæ ſunt etiam monitiones Sanctorum de adhibenda cura, & ſolicitudine, cum omnis penè via ſit bona iuxta eos; contra tamen Eccleſiaſtici monitum dicentis. *Ne eas in omnem viam.* Inſupèr probabilitas hęc negligit probabilitatem maiorem. Ergò diligentèr non accedit, quantum poſſet ad veritatem: vti monet Pſaltes; accedendum eſſe ad Deum, qui veritas eſt. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Ergò non adhibet debitam diligentiam ad inueniendam veritatem, cum non accedat; ſed recedat, relinquendo probabiliorem. *Eccleſ. c.5.* *Pſal.33.*

VIII. Prætereà probabili Recentiorum laxæ opinioni ſubrepit periculum. Nam laxitas fouet amorem proprium, obſecundando ſenſibus humani cordis, qui proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua; vt dictum eſt ex ore ipſiuſmet Dei. Ergò non ſe gerit prudentèr; quià non gerit ſe cautè, declinando periculum; ſi verò non prudentèr ſe gerit in re maximi momenti. Ergò peccat. Ergò corruit nouæ probabilitatis doctrina; data probabiliori. *Geneſ.c 8.*

IX. Ob has rationes S. Bonauentura, & Ioannes Gerſo, non excuſant eum, qui Chriſti ſibi apparentis Imaginem veneraretur abſquè certitudine, quod verè eſſet Chriſtus; quià fieri poteſt, vt ſit Sathanas transfiguratus in Dominum, & ſic non Dominum verum, ſed Dæ- *Gerſ. Tcm. de exam. doct. conſid. 6.*

Nn mo-

monem adoraret, ſeſeque deceptionis periculo exponeret: ſi autèm adhibeat diligentiam, vt certior fiat, & cautè procedat; tunc Deus conuerteret malum in bonum; fraudem in fructum; vt quamplures Sancti facere conſueuerunt; ſicut refert etiàm Cornelius à Lapide: nàm res ſingulares ſingularia exigunt teſtimonia; cuiuſmodi non ſunt [vt volunt aliqui adoratio Panis conſecrati, & veneratio Imaginum in Eccleſijs; quià iàm vniuerſalis mos fidelium reddit nos tutos in adoratione Panis, ac veneratione Imaginum]: at de probabilitate, quæ eſt veritatis Imago à pluribus controuerſa, philoſophandum erit, ſicut de apparitione Chriſti, quæ res eſt ſingularis, & extraordinaria; & ideò diligentèr, & cautè procedendum.

Corn. Cor. 2.c.11.n.113.

X. En ergò quod Recentium Probabilitas duabus prudentię dotibus caret, 1. *debita diligentia*, 2. & *cautione*: cùm igitùr deſit ipſi prudentia, non poteſt aliquis, ſequendo eiuſmodi opinionem probabilem, prudentèr agere: ſed caueat vnuſquiſque à Recentiorum opinionibus indiſtinctè ſequendis, & ab harum Doctoribus audiendis: nàm cùm horum Propoſitiones complures damnentur, reliquæ etiàm ſuſpectæ remanent, ſicuti ſi diceretur à Medicis in aliquo viridiario repertæ ſunt herbæ mortiferæ; nèc eſt certum alias ſimiles non reperiri; rationabilitèr eſſet ſuſpicandum colligenti herbas, nè mortiferas carperet; ſic de Propoſitionibus Recentiorum videtur differendum; eoque magis, quo nos Pſaltes admonet, dicens; homines non æquè librare lances iudicij; ſed declinant, quo voluntatis propenſio vergit; ideò *mendaces filij hominum in ſtateris: vt decipiant ipſi in vanitate in idipſum*: huius pſalmi [exponit Caſſiodorus] *Sacramenta vulgata ſunt, vt prauas perſuaſiones ſuas emendata in melius voluntate relinquerent, ſiue illos tangit, qui ponderibus iniquis ementium deſpiciunt ſimplicitatem: ſiue quod homines ſibi placentes, iuſti, atque immobiles videri volunt, cum ſint deceptibili mutabilitate fallaces*. *Origo enim* (ait idem Caſſiodorus) *ſæuiſſimi erroris eſt in ſuſpectis auctoribus amare totum, & ſine iudicio defendere velle, quod inuenis*. Scriptum eſt enim. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*.

Pſal.61. Caſſiod. in Pſal.61. Caſſiod. de inſtit. Diu. lit.c.24. S.P. Theſſ. 1.c.5.

CAP.

CAP. X.

Aliud Compendium Superiorum, & adminiculum.

I. VNus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma, unus Dominus toto corde colendus. Vna Fides, qua Deus in ſpiritu, & ueritate adoratur. Vnum Baptiſma, quo Dei cultui mancipamur. Vnus Deus, qui ſicut inſpirauit in faciem Adæ ſpiraculum uitæ: ſic & mortalibus unus unum dat ſpiritum. Eſt enim *vnicus* (ait Sapiens] ſpiritus, quo Chriſtianiſmus animatur: unicus in ſe, ſed multiplex in proprietatibus, ac effectibus: uti una eſt anima, ſed multiplex potentia, & operatio eiuſdem; qui vnicus ſpiritus diffundit in cordibus noſtris Charitatem Dei, qua *multitudinis credentium eſt cor vnum, & anima vna*. Vnus igitùr eſt ſpiritus ab vno Deo, ad vnum Dei cultum, & *vt vnum ſimus; vnum corpus, & vnus ſpiritus*: repetit ibidem S.Paulus. Hic ſpiritus dicitur etiàm *Spiritus ſapientiæ*; quià docet hominem ſcientiam de *omnibus* neceſſarijs ad ſalutem. *Spiritus* quoquè *intelligentiæ, & veritatis*, quo qui ducitur, ſpiritus Dei agitur, & tamquàm iuſtus ex fide viua viuit Deo: *Gratiæ* etiàm dicitur, quià & gratis eſt à Deo, Deoque gratos nos efficit. *S.P.Epheſ. c.4.* *Sap.c.7.* *Act.c.4* *S.Ioa.c.18.* *S.Ioa.ep.1. c.2.*

II. Vna Fides: ideſt veritas: veritatis enim vna facies: inquit etiàm Seneca. Ergò, qui veritatem quærit, vnam faciem quærit, & cùm non poteſt exemplar ipſum intueri, ſatagit Imaginem conſpicere, vt poſſit dicere cum Iob: *Imago coràm oculis meis*. *Iob.c.4.*

III. Imago hæc quoad fieri poteſt exquirenda eſt, quod ſit certò conformis exemplari; & cùm nequeat huius certitudinem habere, habeat ſaltèm certitudinem imaginis, ſeu probabilitatis. Nàm ſpiritus ſapientiæ eſt ſpiritus certus: quià certitudinem amat, & certitudinem in homine efficit; nèc arundineis baculis vult homines inniti, nequè vult cum D.Ioanne: *Omni ſpiritui credere*, & cum Salomone: *non credit omni verbo*: ſed cum Diuo Paulo: omnia probat, & quod bonum eſt, tenet: hinc S.Iudas Thadæus non ſolùm de propria virtute, ac ſalute cupiebat eſſe certus: [& vt monet Sanctus Petrus dicens: *Satagite, vt certam veſtram vocationem faciatis*] *ſed erat deprecans ſupercertari ſemèl traditæ ſanctis fidei*. Certa etenim veritatis Imago conquiritur à ſpiritu veritatis: ſi veri- *S.Ioa.1 c.4.* *Prouer.* *S.P.Theſ. 1.c.5.* *S.Iuda ep. c.1.*

Digitized by Google

tas ipſa in ſe nequit haberi : nèc vult hic ſpiritus imitari eos , qui ædificant abſquè cæmento, de quibus dicit Ezechiel. *Ipſe* (populus

Ezech.c.13 ſcilicèt) *ædificabat parietem , illi autèm liniebant eum luto abſquè*

Pſal.111. *paleis : dic ad eos, qui liniunt abſquè temperatura , quod caſurus ſit* . Hinc etiàm S. Thomas Aquinas cuidam conſulenti ſe , reſpon-

Corn. in Sapien. c.7. verſ.22 dit: *ea, quæ agis, & audis, fac vt intelligas. De dubijs te certifices*: vt refert Cornelius à Lapide.

IV. Probabilioritatem (vt ità dicam) ſeu maiorem veritatis ſimilitudinem diligit etiàm ſpiritus Chriſtianiſmi . Nàm ſi probabilitas ideò noſtro intellectui grata, & nos obligat, vt ſaltèm cum ea operemur; quià eſt veritatis ſimilitudo ; quò maior erit veritatis ſimilitudo (quæ & Probabilioritas dicetur) eò amabilior, noſque obligabit ad eam ſequendam . Etenim ſi lux oculis eſt delectabilis, quantò aliquid erit luce ſpecioſius: (intrà ſuam ſphæram potentiæ) tantò magis delectabile erit : hinc de amabilitate ſapientiæ dicit

Sap.c.7. Salomon, quod ſit *ſpecioſior Sole*. Ergò Sole eſt amabilior, videtur inferre . Ratio videtur ex principijs mathematicis deſumi , & *ex Regula aurea, ſeu Proportionum*, quæ, & *Regula Trium* dictita-

Clau. Arithmet. pract. c.17. tur, vt docet P. Clauius : Nàm ſi Probabilitas , quià eſt veritatis imago, vt duo (liceat ſic loqui) intellectui noſtro congruit, noſque obligat in ſubiecta materia legis , vt ſinè ea non operemur : Maior ſimilitudo, vt quatuor, magis conueniet intellectui ; noſque magis adſtringet. Nàm veritas legis ipſa eſt, quæ nos ligat, & cùm hæc non patet, nos ligat legalis veritatis probabilitas : quià veri eſt ſimilitudo . Ergò ſi aderit veriſimilior, magis ligabit ex ſuperiori Aurea Regula. Huiuſmodi Regula vſus eſſe videtur, & ipſe Domi-

S.Mat.c.6. nus Ieſus, cùm dixit . *Si lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ erunt?*

V. Idem ſpiritus Chriſtianiſmi, qui ſpiritus bonus Dei eſt, *ſtabilis eſt*; ſtabilit namquè hominem in bono, ac vero, nè ſit velut nubes ſine aqua , ac ſydera errantia , nèc circumferatur omni vento velut folium, quod vento rapitur : vndè ſi vni adhæreat ſententiæ, niſi nouis, validioribuſque moueatur rationibus ; non mutat ſen-

Sap.c.7. tentiam ; ſed *ſimilis eſt viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam*

Eccl.c.27. *ſuprà petram* (vt dictum eſt) . *Homo enim Sanctus* (ait Eccleſiaſticus) *in ſapientia manet ſicut Sol*; nàm *Stultus ſicut luna mutatur,*

Prou. c.15. *& cor ſtultorum diſſimile erit*: inquit Salomon: vnde dicit etiàm

S.Iacob.c.1. S.Iacobus: *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis* . Huiuſmodi videretur eſſe, qui ad libitum , liberèque eligit modò hanc, modò illam opinionem : vt ſui cerebri commentis, phantaſijs , ac propenſionibus indulgeat . *At cor ingrediens duas vias ,*

Eccl.c.3. *non habebit ſucceſſus*: vt ait Eccleſiaſticus ; Idcircò, *tu eſto firmus* (ſe-

Digitized by Google

(ſequitur idem Eccleſiaſticus) *in via Domini*, *& in veritate ſenſus tui*, *& ſcientia*. Præſenti doctrinæ ſic adſtipulatur S.Ioannes Cryſoſtomus; *Sexus mulierum incautus*, *& mollis eſt*, *incautus quidèm*, *quià non omnia*, *quæ videt*, *aut audit*, *cum ſapientia*, *& ratione conſiderat*: *Mollis autem*, *quià facilè flectitur*, *vel de malo ad bonum*, *vel de bono ad malum*. *Virilis autèm ſexus cautior*, *& durior*. *Cautior quidèm*, *quià omnia*, *quæ videt*, *diſcutit ratione durior autèm*, *quià nèc de malo facilè inclinatur ad bonum*, *nèc de bono facilè reuocatur ad malum*. *Nam ſequitur Rationem*. *Ideò autem durior*, *quia Rationabilior* (nota). Diuo Cryſoſthomo ſubſcribit, & Seneca dicens. *Ante omnia hoc cura*, *vt conſtes tibi*. *Mutatio voluntatis indicat animum alicubi*, *atque alicubi apparere*, *prout tulit ventus*. *Non vagatur*, *quod eſt fixum*, *& fundatum*. *Iſtud ſapienti perfectè contingit aliquatenus*, *& proficienti*, *prouectoque*.

Eccl.c.5. S. Cryſoſt. in Math. c.23.hom. 44. Sen. ep.35.

VI. Spiritus item hic eſt ſpiritus *ſecurus*: vt dicit Sapiens: ſecuritatem namque amat, & eligit ſeorſum à periculis ambulare. *Sapiens* [ait Salomon] *timet*, *& declinat à malo*. *Stultus tranſilit*, *& confidit*, *qui autem cauet laqueos*, *ſecurus erit*. Scit ipſe quid dicat Spiritus Eccleſię: nimirum, quod *qui amat periculum*, *peribit in illo*; & fugiendum non ſolum à vicinitate culpæ: ſed quaſi à facie colubri fugiendum peccatum à longè etiam centum milliaria: vti monebat B.Catherina Genuenſis, & Eccleſiaſticus quoque monet. *In via ruinæ non eas*; *& non offendes in lapides*, *nec credas te viæ laborioſæ*, *nec ponas animæ tuæ ſcandalum*. Idem confirmat alijs verbis Eccleſiaſtes dicens: *qui diſſipat ſepem*, *mordebit eum coluber*.

Sap. c.7. Prou. c.14. Eccl. c.3. Eccl. c.31. Eccl.c.10.

VII. Spiritus item Sanctus reddit inſupèr teſtimonium ſpiritui noſtro, quod *qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum*, *poſteà ſentiet contumacem*. Sic qui laxis opinionibus carnis veluti ſeruæ deſideria nutrit, ſentiet hanc magis repugnantem legi Dei, & ideò mortificanda ſunt deſideria praui cordis noſtri, & audiendus Sanctus Ioannes Cryſoſthomus, qui vnumquemque hiſce monet. *Tu Chriſtiane delicatus es miles*, *ſi putas te poſſe ſine pugna vincere*, *ſine certamine triumphare*. *Exere vires*; *fortitèr dimica*; *atrocitèr in prælio iſto concerta*: *conſidera pactum*; *conditionem attende*, *militiam noſce*. *Pactum*, *quod ſpopondiſti*; *conditionem*, *qua acceſſiſti*: *militiam*, *cui nomen dediſti*: *militia namque eſt vita hominis ſuper terram*: ait Iob, & populus Chriſtianus *Eccleſia militans* appellatur. Nullus autem Atletes (ait iterum Sanctus Cryſoſthomus) *ſine certamine fortior dici*; *nulluſque ſine victoria poterit coronari*: *nemo miles ſine prælio hoſtem ſubiecit*: *nemo ſine bello Imperatorem pro-*

Prou. c.29. S.Cryſ. in 3. ſer. de Martyr quod aut imitandi ſint, aut non laud. Iob c.7. S.Cryſ.ſer. 1. de mart. tom. 3.

Digitized by Google

S.P. Tim. *promeruit*. Ita eſt (concludit Sanctus Paulus) *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*. *& qui* [ſubdit Salomon] *mollis, & diſſolutus eſt in opera, frater eſt ſua opera diſſipantis*. Ergò caueant laxarum ſectatores opinionum, quas dicunt viam tutam, & planam; ne ſit [vt dicit Eccleſiaſticus] *via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum Inferi, & tenebræ & pœnæ*.

Prou. c. 18.

Eccl. c. 21.

Sap. c. 11. VIII. Spiritus diſcretus eſt Spiritus Sanctus, qui ſapientiſſimè *omnia in pondere, numero, & menſura diſponit*: quare omnia, quæ hominibus iubet, ponderat, numerat, ac metitur; an viribus hominum ſiuè proprijs, ſiue ab ipſomet Deo collatis, aut conferendis congruant, ne impoſſibilia ſint præcepta; ad quorum obſeruationem promittit vlteriùs, ac cælitus ſupeditat virtutem; vndè Sanctè gloriabatur Diuus Paulus. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Ergò nemo conquæratur de nimio onere, ac de impoſſibilitate legis, ad quam ducunt Probabilior, vel ſecurior; quia ſempèr ſunt rationabiles loco, tempori, perſoniſque conuenientes, & gratiæ Dei faciles, ne dum poſſibiles. Gratia autem Dei nobis præſtò eſt, & cum Deo eiuſ Datore profitetur dicens: *Ego ſto ad oſtium & pulſo*: verùm: *dicit piger: leo eſt foris in medio platearum; occidendus ſum, & ſapientior ſibi videtur piger ſeptem viris loquentibus ſententias*.

Apoc. c. 3. Prouerb. Prou. c. 20.

Secundum Compendium ordinatum.

Magnus Dominus, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus: canit Dauid: *Sapientis* autem eſt *ordinare*: vt dicit etiàm Ariſtoteles. Erit igitur & ordo à Deo inter ea quæ & ſcire, & exercere debemus; vtpotè, quæ dirigunt ad Deum: Cuiuſmodi eſt hic, deſcendendo à potioribus ad inferiora: vti tradit S. Innocentius primus Papa apud Gratianum.

Pſal. 146.

Grat. diſt. 20 c. 3. de quibus.

I. Vetus, nouumque Teſtamentum, continens quatuor Euangelia, & omnia Apoſtolorum ſcripta.

II. Græca exemplaria.

III. Canones Apoſtolicæ Sedis.

IV. Hiſtoriæ Catholicæ à Catholicis Doctoribus conſcriptæ, quæ referunt ritus, conſuetudines; praxes, traditioneſque Eccleſiaſticas.

V. Sancti Patres.

VI. Seniorum Conſilia, hoc eſt Sapientum (vt explicat Anacletus Papa apud Gratianum). Hæc ſequentibus verbis docet Innocentius Primus Papa apud eumdem Gratianum: *De quibus cauſis* (ait

(ait Innocentius) *nulla ſoluendi, ligandique auctoritas in libris veteris, nouique Teſtamenti, & quatuor Euangeliorum cum totis Scriptis Apoſtolorum non appareat, ad Diuina recurrite ſcripta Græca: ſi nèc in illis; ad Catholicæ Eccleſiæ Hiſtorias Catholicas à Doctoribus Catholicis ſcriptas, manum mittite: ſi nèc in illis; Sanctorum exempla perſpicacitèr recordemini: quod ſi in omnibus his inſpectis, quæſtionis qualitas non lucidè inueſtigatur, ſeniores Prouinciæ congregate, & eos interrogate: faciliùs namquè inuenitur, quod à pluribus ſenioribus quæritur. Verus etiàm repromiſſor Dominus erit, ſi duo ex vobis, vel tres conueniunt ſupèr terram in nomine meo de omni re quamcuque petierint, fiet illis à Patre meo.*

S. *Math. c.* 18.

VII. Intèr Conſilia autèm Seniorum (hoc eſt intèr Probabilia) primum tenet locum *Probabilitas tranquilla, ac pacifica,* quæ nihil ſuſpicatur de contrario; ſed *in ſimplicitate cordis*, ac *bona fide* adhæret conſilijs, quaſi indubitatæ veritatis: multò magis ſi conſilia dantur à Superioribus Religioſis ſuis inferioribus profitentibus obedientiam cæcam.

VIII. Intèr plura conſilia ſecurior pars eſt eligenda.

IX. Probabilior intèr probabiles, nobis eiuſmodi apparens, eſt ſequenda.

X. Certò probabilis, hoc eſt; quamuis veritas legis non innoteſcat euidentèr, pateat tamèn euidentèr veriſimilitudo, veritatiſque Imago.

II. Huius eligendæ Probabilitatis ordinem didicit, ac docuit ex Societate Ieſu Doctiſſimus Franciſcus Suarez ſic: *Generale* quoddam *Principium ex materia de conſcientia eſt, ſcilicèt in rebus, ſeu opinionibus, quæ ad factum pertinent, ideſt ex quibus pendet, quod res fiat, vel non fiat; eligendam ſempèr Tutiorem viam, & certam Probabili, & Probabiliorem minùs Probabili eſſe præferendam; quià Probabilitas opinionis non tollit dubium, quod in re ipſa eſſe poteſt.* Eiuſdem doctrinæ praxim amplexus fuit S. Henricus Imperator, qui ignorans perſequebatur iuſtitiæ zelo S. Heriobertũ, cuius innocentiam cælitus agnoſcens Imperator, ab eodem petijt, & obtinuit veniam, & nihilominus iterùm ad illum acceſſit, vt certiorem conſequeretur remiſſionem, & inſupèr alia præſtitit, Diuino monitu pietatis opera ad Dei miſericordiam pro ſuo delicto impetrãdam: vti narrat Baronius. Probabili ducebatur opinione Henricus non mala conſcientia, erat enim vir ſanctus. Probabilis erit remiſſio commiſſi peccati, ſed certiorem, ac tutiorem adhuc quæſiuit.

Suarez Tom 4. *diſp.* 26. *ſect.* 6.

Baron. an. 1020. *n.* 3. 4. 5. *& an.* 1021. *n.* 2.

XII. Hìc videtur repetendum cuilibet auditori illud monitum, quod ad Thimoteum ſcripſit S. Paulus: dicens: *Tu permane in ijs,*

quæ

Digitized by Google

quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo(nota) *didiceris; & quid ab infantia Sacras Scripturas noſti*.

CAP. XI.

Opiniones laxæ periculoſæ ſunt ſaltèm in Praxi.

I. DVæ ſunt Ciuitates permanentes hominibus paratæ. Prima Cæleſtis Ieruſalem pro bonis. Secunda Infernalis Babilon pro malis. Primam ædificat amor Dei [inquit S. Auguſtinus] procedens vſquè ad contemptum ſui: Secundam amor proprius, inualeſcens vſquè ad contemptum Dei. Ad primum itur arcta via obſeruationis legum. Ad ſecundam curritur per latam viam humanorum effectuum, eiſdem condeſcendendo: De prima via dicitur: *Lex lux; & via vita*. De ſecunda dicitur: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum*. Quantùm enim quis refrenat per legum obſeruationem, proprias paſſiones, dominaturque proprijs appetitibus tantùm arctat ſe, arctaque via ambulat, quæ demùm ad latitudinem Paradiſi ducit: è contrà quantùm quis obſecundat naturæ propenſionibus, tantùm laxat habenas proprijs appetitibus, latamque eligit viam, quæ ducit ad æternas anguſtias: fitque, ſicut qui filio indulget, nèc flagellat, aut corripit, vel ſicuti qui equum tempeſtiuè non domat, qui ambo euadunt præcipites: vt inquit Spiritus Sanctus: *Equus indomitus, & filius remiſſus euadet præceps*: *Senſus enim* (dicit ipſemet Deus) *& cogitatio humani cordis in malum proni ſunt ab adoleſcentia*.

S. Auguſt. de Ciuit. Dei l. 14. c. 23. to. 5.

Prou. c. 6. Pſal. 34.

Eccl. c. 30. Gen. c. 8.

II. Laxæ enim opiniones clarum eſt, ac patet omnibus imò hac de Cauſa eliguntur, quod obſequantur ſenſibus naturæ: ſenſus autem hominis, cum proni ſint ad malum, ducunt ad mortem: hinc domandi ſunt, rationique ſubdendi.

III. *Nec me latet* [inquit P. Claudius Aquauiua Generalis Præpoſitus S. I.] *id ſine labore non fieri. Noui contradictiones, quas vetus homo ſuſcitauit. Sed hoc, id tantum efficit, non eſſe cuiuſuis hominis ad perfectionem aſpirare, non puſillanimis, aut pigri, cuius agrum ſpinæ, ac vrticæ repleant, neceſſe eſt, ſed eius qui non ſurda aure perceperit, quid ſibi velit. Regnum Cælorum vim patitur*, (nota) *vel illud certa bonum certamen; vel omni qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & melior eſt, qui dominatur animo ſuo*

Aquauiua c. 1. &c.

S. Math. c. 11. S. P. Tim. 1. c. 6. Cor. 1. c. 9 Prou. c. 6.

ſuo expugnatores vrbium. Rationes hę generales ſunt, militantque pro omnibus.

IV. *Quocirca* [ait Sanctus Ignatius Loiola eiuſdem Societatis Inſtitutor] *per Ieſum Chriſtum vos oro, & obteſtor, vt nullum vmquam in Diuino ſeruitio teporem admittatis, quandoquidem, Arcum frangit intenſio; animumque remiſſio: è contrà, vt teſtatur Sacra pagina: Anima operantium impinguabitur*. Nam (inquit Sanctus Ambroſius) *nihil laxum, nihil molle verum Chriſti militem decet*. *Nam inde* (ait Sanctus Ioannes Cryſoſthomus) *illiberales, indè ſeruiles cogitationes oriuntur, indè hominem in naturam conuertunt ferarum: quia vbique iuxta prouerbium illud, voluptatem ſequendam arbitrantur, quod etiam abſque verbis noſtris à ſeipſo derideri meretur*.

S. Ignat. ep. 2. circ. — *S. Ambr. in pſal. 38.* — *S. Cryſoſt. in c. 23. Mat. ho. 74*

V. *Denique ſi res ipſa ſpectetur* (inquit denuò P. Aquauiua) *quia facilè admodum* [auctore Diuo Gregorio] *feruor hic mentis, ac ſtudium virtutis refrigeſcit. A feruore enim mentis, vel inter ſpirituales inimicos, vel inter carnales quoque proximos ipſo aliquo modo viuendi vſu veteraſcimus, & aſſumpta nouitatis ſpeciem fuſtamus; quò fit, vt nil religioſo viro, iam ſuſpectum eſſe debeat (nil enim æque periculoſum) quam ſi in ſe ſtudium procedendi in virtute, & perfectæ vitæ perſequendæ frigeſcere ſentiat. Etenim ea res non modò facit, vt lentè gradiamur, aut potius conſiſtamus, & ad ſpeciem dumtaxat, vſurpationemque conſuetudinis noſtræ munera obeamus; verùm etiam aſſiduè tamquam tinea quadam vires, roburque noſtrum ſenſim ſine ſenſu corrodit. Itaque idem nobis, quod tigno carioſo vſuuenit, quod etſi integrum videtur extrinſecus, tamèn pondere impoſito frangitur, & caſu ipſo oſtendit, quid antea vitÿ lateret interiùs. Eius autem, qui ita affectus eſt, & mæror mærore cumulatur, & vita, ac ſalus* (nota) *periculis magis, ac magis exponitur. Ità fortes olim, ac robuſti debilitantur paulatim, atque franguntur: lapides enim* (vt ait Scriptura) *excauant aquæ, & alluuione paulatim terra conſumitur. Nam re vera perpetuò enitendum* [nota] *& tamquam aduerſo flumine progrediendum eſt ei, qui retrò rapi nolit, ac regredi. Fortaßes enim Diuus Petrus, idcircò Dominum negauit, quod ſequebatur eum à longè*.

Aquauiu. ep. circ. 2. n. 4. — *Iob. c. 14.*

VI. Hinc prudentiſſimè monet Pater Mutius Vitelleſchi Præpoſitus item Generalis Societatis Ieſu Circulari Epiſtola ſecunda ad Superiores ſic. *Nonnullorum* (inquit) *ex ſocietate ſententiæ in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio liberæ, non modò periculum eſt, ne ipſam euertant, ſed ne Eccleſiæ etiam Dei vniuerſa inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, vt*

M. V. telleſ. ep. 2. circ.

qui docent, ſcribuntur minimè hac regula, & norma delectu ſententiarum vtantur. Tueri quis poteſt. Probabilis eſt. Auctore non caret; *verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ grauiorum, maioriſque nominis Doctorum ſuffragijs ſunt frequentatæ; quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queunt* (nota) *non vaſtare, non perdere; quoniam verò Conſtitutiones, decreta, regulas probè callent de S. Thoma ſequendo; non prouehendis ad Cathedras, ac etiam remouendis; qui huiuſmodi Doctrinam parui facere, aut cordi non habere præſeferunt: præſertim ſi nouitatum* (nota) *amantes deprehendantur, qui nulla ſunt ratione ferendi, reliquum mihi propterea nihil eſt, niſi vt ipſa ſeruentur, vti maximi* [nota] *rem momenti, vt quam ardentiſſimè poſſunt vrgere*. Conſonat his ſenſibus Religio magni Dominici illuſtriſsima meritis, & doctrinis, quæ anno 1656. in Commitijs Generalibus ità ſanxit. *Noſtri profeſſores caueant ab omni pruritu exoticarum; minuſque cum genuina litera Sancti Thomæ cohærentium opinionum, tam in Philoſophicis, quam in Theologicis. Præcipuè verò in moralibus, vbi pretium de ſalute, ac indemnitate animarum agitur. In his porrò ſtudeant omni cautela euitare opiniones laxas, nouas, & parum tutas. Abſtineantque à paradoxis, ac monſtris recentium placitorum, ac problematum, quæ magis vanitati, & periculoſæ oſtentationi militant, quam veritati*.

VII. Pijſsimi, ac prudentiſsimi hi viri videntur edocti fuiſſe à Sancto Irenæo Martyre, qui ad hanc rem ſic ſcribit. *Cæcis cæca confabulantes ſecundum cæcitatem ipſorum: languentibus autem ſecundum languores ipſorum, & errantibus ſecundum errorem eorum: hoc non eſt ſanantium; nec viuificantium: ſed magis grauantium, & vrgentium ignorantiam ipſorum, & multis verior his lex inuenitur. Maledictum dicens omnem, qui in errorem mittat cæcum in via. Qui enim ad iuentionem miſſi erant errantium Apoſtoli, & ad viſionem eorum, qui non videbant, & ad medicinam languentium, vtique non ſecundum præſentem opinionem colloquebantur eis; ſed ſecundum veritatis manifeſtationem: nec enim quilibet homines rectè facient, ſi cæcos iam, iàmque per præcipitium ferri incipientes adhortentur inſiſtere illi periculoſiſſimæ viæ, quaſi veræ, rectæ, & quaſi benè peruenturi ſint; quis autem Medicus volens curare ægrotum, facit ſecundum concupiſcentias ægrotantis, & non ſecundum quod aptum eſt Medicinæ? quoniam autem Dominus Medicus venit eorum, qui ſe malè habent, ipſe teſtificatur dicens. Non eſt opus ſanis Medicus; ſed malè habentibus. Agnitionem verò faciebat dominus ſuis Diſcipulis, per quam & curabat*

S. Iren. l. 3. c. 5. adu. Hæreſes.

Deut. c. 27.

la-

laborantes, & peccatores à peccato coercebat. Non igitur iam ſecundum priſtinam opinionem loquebatur eis, neque ſecundum ſuſpicionem interrogantium reſpondebat eis; ſed ſecundum Doctrinam ſalutarem ſine Hipocriſi, & ſine perſona acceptione.

VIII. Hiſce omnibus ſubſcribit Sanctus Bonauentura ſic. *Dubia interpretatio præcepti eſt periculoſa: ſicut Pons ſemiputridus aquæ præcipitis, & profundæ, de quo dubium eſt, an ſub tranſeunte corruat. Velut ſi is, qui pro Chriſto maiora certamina ſubire decreuit, & omnia reliquit in ſæculo, ſe periculo committeret, pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro paruo commodo, in incerta opinione ſua, vel alterius: vt ſi Deus approbet illam opinionem, euadat ſine lucro meriti; ſi autem reprobet eam, damnetur; maximè cum tales opiniones, quandoque periculioſiores ſunt, quàm aperta tranſgreſſiones; quia vbi ſcit homo ſe delinquere, indè facilè corrigitur: vbi autem neſcit ſe peccare, & inſuper credit ſibi licere; indè nec in morte purè conuertitur, propter falſam ſpem, quod fortè licuerit, vel minus in eo peccauerit, baculo arundineo, & confracto innitens. Potuiſſet hic S. Doctor inſerere ſententiam Antemij apud Baronium. Grandis* (ait) *cautio eſt aduerſarij animum cognouiſſe. Etenim hoſtem ſentiſſe, ſuperaſſe eſt.* Nam *plus plerumque* (inquit S. Leo Papa) *periculi eſt in inſidiatore occulto, quam in hoſte manifeſto.* S. Bon. opuſ. to 2. de progeſſ Relig. proc. 5. c. 3. Baron. an. 471. n. 25. S. Leo ſer. 9. de quad.

IX. Laxarum opinionum Promotores videntur ſibi eſſe liberatores animarum ab oneribus obligationum conſcientiæ propter duritiam eorum, qui præſunt: ſicut Moyſes liberauit virga Iſraelitas à ſeruitute, ac oneribus Ægiptiorum, ac eoſdem virga duxit in terram promiſsionis lacte, ac melle manantem: ſic & hi: vndè de quodam ſigillatim dictum fertur. *Ecce qui tollit peccata mundi*, tollendo nimirum ſuis opinionibus veluti Virga Moyſis obligationem legis; quia *vbi non eſt lex, nec præuaricatio*; ſed hoc in primis tacita quędam uidetur cenſura Diuini, humanique Legiſlatoris, quod uel ignoret quid ſubditis expediat quidue poſſint; vel ſi non ignorat, tacitè arguuntur; quod viſceribus pietatis, ac patris affectu careant: ſed veluti Tyranni, ſubditorum non miſereantur, imponentes eis *onera grauia* (vt Pharao Phariſęique) *& importabilia*, quod cogitare nihil ſceleſtius). Verùm onus legis non grauat: ſed leuat; vel ſi grauat, grauat corpus, eiuſque inordinatos appetitus, qui grauant ſpiritum: ne rationem, ac Diuini Spiritus ductum ſequatur; vt inquit Sapiens. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio impedit ſenſum multa cogitantem*, & leuat ſpiritum ab oneribus peccatorum, ac paſſionum, quæ *ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*: ait Dauid; & propterea dicebat quoque Sap. c. 9. Pſal. 17.

Digitized by Google

Iob c.7. Iob. *Factus ſum mihi metipſi grauis*. Hinc Eccleſia optimè à Deo
edocta, ità canit: de lege Ieiunij, *qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas*: qui igitur exonerat obligatione legum hominem, onerat eumdem proprijs appetitibus, ac aufert, aui volanti pennas ad volandum. Currui Rotas, vt iam diximus. Nec terreat nos repugnans ſenſus, naturæque deprauata conditio: quià
Pſal.83. *benedictionem dabit Legiſlator*, & qui iubet, dabit & vires (vt in-
Pſal.67. quit Dauid) *Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ*.

X. Opinio igitùr laxa periculoſa eſt in primis: quià veritatis cognitionem diligentèr non inquirit, quàm tamèn tenetur, & poſſet melius percunctari: vndè peccat culpabili ignorantia, & poſſemus
Pſal.35. de huiuſmodi cum Dauid dicere: *Noluit intelligere, vt benè ageret*. Secundò periculoſa eſt huiuſmodi opinio laxa: quia in ſinu cordis fouet ipſum naturæ lapſæ ſenſum, ac amorem proprium, qui venenum eſt animæ (vt dicebat Seraphica illa B.Catherina Genuenſis) & in Calice aureo benignioris opinionis [vt aiunt] propinatur mortalibus potio lethalis. Solus enim in illicitis non cadit, qui ſe aliquandò, & à licitis cautè reſtringit: quià videlicèt conſtrictione religatum benè ſe Paulus inſinuat dicens: *Omnia mihi licent; ſed*
S.Greg. Mor. l.5.c. 8. *non omnia expediunt*: ità diſſerit S.Gregorius Papa. Vt autèm magis pateat, quod laxæ opiniones, ſi non abrogant mandata, ſaltèm eis derogant, enumerabuntur, quæ occurrunt, abſurda modernæ Theologiæ inferiùs.

XI. Demùm ſicut ſanguiſugæ duæ ſunt filiæ, quæ ſempèr dicunt; *affer; affer*; & inſaturabilis eſt ignis, & numquàm dicit, *ſufficit*; vt ait Salomon: ſic concupiſcentiæ hominis ſempèr dicunt *affer; af-*
Prou.c.30. Iſai.c.2. Eccl.c.1. *fer*; & ignis cupiditatis nunquàm dicit; *ſufficit*; vt dicit Iſaias: *Non eſt finis theſaurorum eius*: & Salomon; *Non ſaturatur oculus viſu; nèc auris auditu impletur*: vndè canunt etiàm quidam; *quò plùs ſunt pota, plùs ſitiuntur aqua*. Itèm *Creſcit amor nummi,*
Eccl.c.18. *quantùm ipſa pecunia creſcit*; Idcircò monet Eccleſiaſticus; *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Ergò ſicut qui ligna igni miniſtrat, magis exardeſcet ignis; ſic qui placentia ſenſibus concedit, magis ſenſus inſoleſcunt. Nàm extinguitur ignis, ſi ei ſubtrahitur materia, vel aqua apponitur, ſic minuitur concupiſcentia, ſi ei, quod
S.P. Coloſ. c.3. placet, negetur, vel quod diſplicet, imponitur; *mortificate* igitùr *membra veſtra* (ait S.Paulus) per obſeruantiam legis; eò magis, quoniàm ſi quis pro Deo operatur, à Deo maiorem gratiæ vim recipit, qua dominatur appetitibus, non autèm laxitate eos domat.
Prou. c.3. S.Mat.c. 25. *Anima enim operantium impinguabitur, & habenti dabitur*; è contrà *proptèr frigus piger arare noluit, mendicabit ergò æſtate, & non da-*

Digitized by Google

dabitur illi; Cogitationes robuſti ſempèr in abundantia; omnis autèm piger ſempèr in egeſtate erit. Abſoluit hoc caput aureo ore, ac geminea ſententia S.Ioannes Cryſoſtomus, dicens. *Tolle* ergò *hoc vitium de clero, nè velint hominibus placere, & ſine labore omnia vitia reſecantur.* Vndè liquet omnia vitia pendere, ac foueri hac Eccleſiaſticorum benignitate. Ad S.Cryſoſtomum alluſiſſe videtur S.Philippus Nerius, cùm dixit: *Datemi dieci perſone veramente ſtaccate, e mi dà l'animo con eſſe di conuertir il mondo.* Cupiditas namquè veritatem iugulat, nè veritas ſibi odium pariat.

XII. Sed vt pleniùs vera dignoſcatur Probabilitas ſequenda, diſſerendum quoquè eſt de Probabilitate falſa, ac fugienda. Nàm *Per Rectum cognoſcitur obliquum*, vt dicit S.Thomas cum Ariſtotele: & è contrà: Vndè, explicantur.

Prou. *Prou. c.21.* *S.Criſ. in c.23. Mat. hom.44.* *S.Philip. vit. l.2. c.15. n.17.* *D.Th. 1.2. q.100. ar.6*

CAP. XII.

Pſeudoprobabilia.

I. *Contrariorum eadem eſt diſciplina, & oppoſita iuxtà ſepoſita magis eluceſcunt* (inquiunt Philoſophi cum Ariſtotele) hinc S.Ambroſius ſic loquitur; *dicturus Propheta, quæ eſſet forma iuſti, antè formam expreſſit iniuſti: nequè enim poſſumus cognoſcere, quæ ſit forma iuſtitiæ, niſi cognoſcamus, quæ ſit iniquitatis effigies. Sunt enim ſibi aduerſa, atquè contraria.* Huic D.Hieronymus accedit. *Niſi* (ait) *ex comparatione virtutum, vitium non oſtenditur. Nàm contrarijs contraria intelliguntur*; Subdit idem S.Hieronymus; & idcircò agendum ſigillatim de Pſeudo probabilibus, quæ apparent eſſe probabilia, & talia non ſunt: Nàm *non omne, quod lucet, eſt aurum*; vulgò dicitur; nèc omne, quod ſplendet, eſt ignis; nàm lampyris, ſeu noctiluca videtur volatilis lucerna, ac ſtellula volans, & nihilominùs minimum volatile eſt nocturni temporis; multa enim præſeferunt ſpeciem vnius, & ſunt ex Diametro diuerſa; ſic *venena* (ait S.Hieronymus) *non dantur niſi melle circumlita, & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie, vmbraque virtutum.* Nàm & ipſe Sathanas (ait D.Paulus) *transfigurat ſe in Angelum lucis, ut fallat.* Quamobrèm etiàm Ariſtoteles monet dicens; *Non omne quod probabile videtur, etiàm probabile eſt; quandoquidèm nihil eorum, quæ uidentur probabilia extrinſecùs, & quaſi prima ſpecie tale exiſtit omninò id, quod initijs concluſionum fallaciam ſolet contingere.* Cùm Ariſtotele Diſcipulo concordat.

S.Amb. in pſ.35. *S.Hier. l.1. tom. in c.7. Math.* *Idem ſup. Eccl. c.1.* *S.Hier. l.2. ep.15.* *D.P. Cor.2. c.11.* *Ariſt. Top. l.1. c.1.*

Plato Sophiſt. l. 15 dat, & admonet Plato Magiſter; vbi ſic ait. *Eum, qui à deceptione tutus uiuere debet, à ſimilitudine ſummoperè cauere oportet. Etiàm Cani lupus maximè ferus manſuetiſſimo eſt ſimilis.* Apparentia enim probabilitatis fallax, mater plurium falſarum concluſionum eſt.

II. Intellectus namquè humanus duplici morbo laborat (vt ſæpè dicitur). 1. *Ignorantia.* 2. *Paſſione*; & hinc adulteraretur ipſius
Prou. c. 14. opinionis iudicium; vndè [dicit Sapiens] *Eſt uia, quæ uidetur homini iuſta* (en apparentia probabilitatis) *nouiſſima autèm eius*
Prou. c. 12. *deducunt ad mortem*, [en deceptio, & damnum;] & iterùm dicit;
Prou. c. 21. *Via ſtulti recta in oculis eius; qui autèm ſapiens eſt, audit conſilia; Omnis uia uiri recta ſibi uidetur*; Ecce opinio omnis ferè probabilis; *appendit autèm corda Dominus*; & ecce iudicium Dei diuer-
Prou. c. 14. ſum; vndè; *Sapiens timet, & declinat à malo*; en & diligentia; *Stultus tranſilit, & confidit*; en laxitas; hinc idem Salomon profitetur ibidem quod, *errant, qui operantur malum*; opinantur ſe benè agere, & nihilominùs malè agunt. Nàm *affectus corrumpit*
S. Tho. 1. 2. q 58. ar. 5. q. 58. ar. 5. q. 59. ar. 2. *exiſtimationem* (vt inquit D. Thomas cum Ariſtotele, & cum Platone dicente) *Reuerà nimius in ſe ipſum amor, omnium peccatorum omnibus eſt cauſa; obcæcatur quippè circa amatum, qui amat.*
Ariſt. eth. l. 3. c. 4. l. 6. c. 5. *Quapropter, qui ſe amat, cùm ſe ipſum magis quam ueritatem honorandam putet, quod iuſtum, bonum, pulchrum ſit, malè iudi-*
Plato l. 34 de legib. dial. 5. *cat. Decet ſanè eum, qui magnus vir futurus eſt, nequè ſeipſum, nequè ſua diligere; ſed iuſta ſempèr, ſiuè à ſeipſo, ſiuè ab alio generantur. Et hoc ipſo delicto accidit omnibus, vt ignorantiam ſuam eſſe ſapientiam opinentur. Hinc ſit, vt quamuis nihil* (vt ità dicam) *ſciamus, ſcire tamèn omnia arbitremur.* Hæc Plato, cui S.
S. Franc. Borg. ep. circ. S. Clem. Recogn. l. 1. Franciſcus Borgia aſſentitur cum D. Clemente Papa, quod *nubes, & fumus* excæcant homines: quibus accedit S. Gregorius Papa digna tanto Doctore ſententia: *Cùm homini facere quodlibet licet, iuſtè ſibi omne æſtimat licere, quod libet*: ſicuti in ſemetipſo ſe ex-
S. Greg. Mor l 5 c 8 Bar an. 1020. n. 4. pertum fuiſſe confeſſus eſt Sanctus Henricus Imperator contrà Sanctum Heribertum: vti refert Baronius: en vndè illuſio noſtri intellectus; & ecce quàm verum ſit, quod non omne, quod videtur probabile, probabile eſt. Ergò aperiendi oculi: *Videte, & vigilate*:
S. Mar. c. 13 inquit ipſemet Chriſtus.

III. Propterà monet iterùm Sapiens, dicendo. *Oculi tui videant*
Sap. c 4 D. Tho. 2. 2 q 53. ar. 4. S. Cir. l. 1. Apol. mor. c. 3. *recta, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Vti explicant D. Hieronymus ibidem, & D. Thomas: *Multa ſiquidèm* (inquit Cirillus) *cautela in credendo adhibenda eſt, & rei veritas omni diligentia inquirenda: Certè ſtultiſſimum eſt citò credere, & periculoſum, poſt leuem credulitatem citiùs moueri*: quarè filium monuit

Da-

Digitized by Google

Dauid dicens: *Intelligas vniuerſa, quæ facis, & quocumquè te verteris*; & filius alios ſic quoquè monet; *Siue conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis*: qua de cauſa etiàm S. Apoſtolus Ioannes admonet fideles: *Nolite omni ſpiritui credere; ſed probate, ſi ſpiritus ex Deo ſunt. Error enim* (ait Sanctus Ireneus Martyr) *ſecundùm ſemetipſum non oſtenditur, nè denudatus ſiat comprehenſibilis: ſuaſorio autem cooperimento ſubdolè adornatur, & ipſa veritate* [ridiculum eſt dicere] *veriorem ſemetipſum præſtare, vt decipiat exteriori phantaſmate rudiores. Cùm commixtum fuerit æramentum argento, quis facilè poterit, rudis cùm ſit, hoc probare?* Propterea admonuit Apoſtolos, & Diſcipulos ipſemet Dèi Filius dicendo: *Eſtote boni Trapezitæ, ſeu probati nummularij*: [vt refert etiàm Baronius] hi namquè nummos examinant, nèc leuitèr acceptant; ſed acceptant; ſic, & vos (inquit S. Paulus) *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*; *efficiamini ſiquidèm* (inquit Clemens Alexandrinus) *probi Trapezitæ, alia ſiquidèm reprobantes, quod autem bonum eſt tenentes.* Hiſce accedit D. Auguſtinus dicens; *non deſinit caro concupiſcere aduersùs ſpiritum, ſed eam nobis quantùm diuinitùs adiuti poſſumus, non ei conſentiendo, ſubdamus, vigilijs continuis* (nota) *excubantes. Nè opinio veriſimilis fallat* (nota) *ne decipiat ſermo veritatis* (nota) *ne ſe tenebræ alicuius erroris offundat* (nota): *ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur* [nota]: *ne fiat, quod non licet etiamſi libet*: vti cuidam Prouinciali Concilio in Aquitania contigit: ſicut refert Baronius, plura præcipienti, non verè probanda.

Dau. Reg. 3 c. 2. Eccl. c. 32. S. Ioa. 1. c. 4. S. Iren. præfat. l. 1. Adu. Hær. Baron. an. 34. n. 223. S. P. Theſſ. 1. c. 5. Clem. Alex. l. 1. Strom. circa fin. S. Aug. de Ciu. Dei l. 22. c. 23. Bar. an. 1034. n. 34.

IV. Sapientèr propterea ſequentem propoſitionem damnat Innocentius Vndecimus eſt autem hæc. *Generatim, dum probabilitate, ſeu intrinſeca, ſeu extrinſeca, quantumuis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſempèr prudentèr agimus*: quaſi omne quod videtur eſſe tale, ſit tale, ac quod apparet eſſe verum, ſempèr ſit verum: contra dicta ſuperius Sæpè.

Innoc. XI. prop. 3.

V. Hiſce pſeudoprobabilibus componitur *Theologia Sophiſtica* modernorum Caſiſtarum, quæ *nihil eſt aliud, quam Ars inueſtigatrix colorum, quibus quod cuique libet, coloretur, vt liceat*: ſicuti è contrà; *Sana Theologia eſt veritatis ſtudium, & notitia, qua cuique oſtenditur, quod licet; vt libeat*; de qua dicere liceret: ſicuti de virtute Seneca ſcripſit. *Nec quia delectat, placet: ſed quia placet, delectat*; & ex ſuperioribus fundamentis, & Axiomatibus oritur; ſicuti Sophiſtica ex dictis & ſequentibus Pſeudoprobabilibus.

Sen. l. 1. c. 9. de vit. Beata.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Pſeudoprobabilia replicantur, vt pleniùs percipiantur.

I. CErtiſſimum eſt, quod Intellectus noſter appetit veritatem, quam & voluntas quærere, ac amplecti debet; & cum veritas minimè patet veritatis, ſaltem legitimam Imaginem, & quærere, & colere debet.

II. Certiſſimum item eſt ex Fide, ac experientia dari in mundo mentis errores. Error autem eſt *putare verum pro falſo, vel falſum pro vero*. Exiſtimatio veri pro falſo, vel è contrà, nititur ſuperficiali, ac apparenti imitatione veri, vel falſi. Apparens imitatio aliquam præſefert conuenientiam vnius cum alio, quæ tamen ſolida non eſt, nec firmis, ac inſitis innititur rationibus: ſicuti ſunt inſignium Pictorum opera, quæ ſæpius cenſentur eſſe, quæ non ſunt, & ſimilia; ſic etiam reperitur logica vera, ac ſophiſtica; *Sana Theologia, ac Adulterina*: verùm *Aurum, & Auricalchum*: vera *Sanctitas, & Hypocriſis*: vera Probabilitas, & fallacia. Hinc diſertè Coloſſenſes Diuus Paulus monet dicens: *Videte, ne quis vos decipiat, per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum*.

S.P. Coloſ. c.2.

III. Imitatur virtutem vitium [ait Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus explicans ſuperiora D.Pauli verba] & *Zizaniam pro frumento conatur haberi, frumenti ſpeciem illud quidem præſeferens; ſed diſcernendi peritorum guſtu ſe prodens. Diabolus etiam transformatur in Angelum lucis, non, vt eo reuertatur, vbi fuit; ſed vt homines fallat: nam Incudis inſtar indomabili corde præditus, pænitere neſciens, impoſterum habet enim voluntatem, vt etiam eis vndique, qui parem Angelis vitam degunt, cæcitatis caliginem, & incredulitatis peſtilentem contagionem importet. Multi obambulant lupi veſtimentis ouium tecti; qui ouium indumenta gerunt, non tamèn vngues, & dentes eorum habent: ſed cùm manſuetam inducti ſunt pellem, & figura prætextu ſimpliciores, ac innocentes fallunt; exitiale virus impietatis ex dentibus iaculantur. Opus nobis eſt igitùr Diuina gratia, ſobria mente, pijs precibus, & oculis, nè pro frumento Zizaniam deuoremus, & per prudentiam læda-*

S.Cyril. catechеſ.4

Digitized by Google

lædamur : neuè rati ouem eſſe, qui lupus ſit , capiamur : neuè bonum Angelum, qui Diabolus eſt obſcenus ſuſpicati , obſorbeamur . Circuit enim quaſi leo rugiens, quærens quem deuoret ; vt ait Scri- S.Petr.1.
ptura : Idcircò monet Eccleſia ; Idcircò Scripturarum recitationes c.5.
fiunt . Cultus enim Diuini modus ex duobus conſtat , 1. Piorum Dogmatum certitudine, & 2. Operibus bonis exequendis . De qui- S.Math. c.
bus omnibus ait ; videte ne quis vos fallat . Similia docet S.Iſidorus 24.
Hiſpalenſis Epiſcopus : Hæc eadem repetere videtur etiàm ipſe S Iſid.ſent.
Caramuel, cùm ſic monet. *Fundamenta* (ait)*præmitto. Ex par-* l.2.c.35.
uis enim erroribus graues , & intolerabiles inferuntur interdùm , Caram. Theolog.
& expedit præmiſſas ab hominibus doctiſſimis examinari , ne ſub Fundam.
Probabilitatis ſpecie improbabiles , aut ſaltèm, non comprobabiles n.825.
aliquæ conſcientiæ ſubrepant , quæ aut expungi debeant omninò , aut ſaltèm remitti, aut alterari cautè (ait S.Iſidorus) *meditanda ,* S.Iſid.ſent.
cautoque ſenſu probanda ſunt, quæ leguntur : vt iuxtà Apoſtolica l 3.c.12.
monita , & teneamus , quæ recta ſunt , & refutemus , quæ contraria veritati exiſtunt, ſicque in bonis inſtruamur , vt à malis illæſi permaneamus .

IV. Huius exemplum habemus in S.Mathæo ; Cùm Antichriſtus S.Mat.c.24
tot ſigna falſa , ſed veriſimilia patrabit : *vt in errorem inducantur* (ſi fieri poteſt) *etiàm electi* : vt obſeruat etiàm ſupradictus S.Iſidorus. Ergò nè fallamur, diligentèr veritas eſt quærenda ; nèc cuili- S.Iſid.ſent. l.1.c.28.
bet veritatis colori, ac ſimilitudini , eſt credendum : (vt diximus) S.Cyr.ca-
ſed quæ veritatem nobis magis probant, attendenda. Si autèm pau- thec.4.ex
cioribus , ac minoribus rationibus fidimus, facilè decipiemur, quod quanaque
totis neruis contendendum eſt , nè contingat , nè fraudetur intellectus deſiderio ſuo , nèc voluntas ſuæ deſit obligationi veritatis diligentèr inueſtigandæ : Cum Chriſto , ac D.Paulo ſic admonet S.Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ; *Inſidias noxias non euitamus , niſi* S.Iſid.lib.
per ſapientiam ; Sapiens autèm omnia prudentèr examinat . Intèr de contēp. mundi.
bonum, & malum ſapiens dijudicat . G.de Sap.

V. *Nos quidèm hæc* [cùm S.Cirillo Hieroſolimitano] *tamquàm* S.Cyrill.
homines, & adortamur, & docemus, ne veſtrum ædificium ex fæ- præf.catec.
no , ſtipula, & paleis conficiatis, ne cùm opus arſerit , detrimentum patiamini : ſed vt ſit opus veſtrum, aurum , argentum , & lapides pretioſi : meum eſt dicere , tuum verò agere , Dei autem perficere . Intendamus mentem , dirigamus animum, præparemus cor . S.P.Cor,1
De Anima enim nobis certamen eſt, æternaſque res ſperamus . Nàm c.3.
viri mali [ait Salomon] *non cogitant iudicium ; qui autem inqui-* Prou.c.28
runt Dominum , animaduertunt omnia .

Digitized by Google

CAP. XIV.

Gradus Pſeudoprobabilitatis, ſeu Cenſuræ propoſitionum.

Ariſt. eth. l. 2. c. 6.
S. Dionyſ. de Diu. nom. c. 4. §. 31
Plat. Dial. 4. de Rep. in fine.

I. B*Onum eſt finiti : malum vero infiniti , & rectè agere vnicè* [dicebat apud Ariſtotelem quidam Philoſophus]. Homo ſcilicèt *vno modo bonus eſt, multiſque nefandus, etenim bonum eſt ex integra cauſa: malum verò ex ſingulis defectibus*: explicat Sanctus Dionyſius Areopagita: ſubſcribit hiſce Plato : *Vna mihi ſpecies virtutis occurrit, prauitatis innumeræ*: Cui ſubſcribit, & Plutarchus: *De virtute morali. Eorum* [inquit] *quæ agimus vnumquodque vnico tantùm modo rectè conſit : Multiplicitèr errari in eo poteſt. Sicut ſcopum attingere vnicum eſt, & ſimplex : ab eo autèm variè excedendo, deficiendoque aberratur*. Eodem ferè pacto diſſerendum videtur de veritate. Veritas eſt imago relatiua ad ſuum exemplar, cui omninò reſpondere debet : nàm Imago, ſi vel lineamentum, vel colorem vnum exemplaris non exprimat ; Imago verè non eſt ; nàm veritas [inquit Cornelius à Lapide] *conſiſtit in puncto, inindiuiſibili*. Hinc veritas doctrinæ ſuis prorsùs debet cohærere Principijs. Veritas vitæ legibus penitùs conformari : vita enim noſtra veluti Pictura eſt, quæ præcepta virtutum, tamquàm exemplar exprimere debet. Quemadmodùm autèm malum ex ſingulis defectibus, ſic & falſum ex ſingulis, quæ vel doctrinæ, vel vitæ deſunt, quæ adeſſe oportet, procedit.

Corn. in ep. ad Philip. 3. n. 39.

IX. Sermo, ac propoſitio eſt etiàm vti Imago, ſi ſermo reſpondeat doctrinæ Principijs, ac Præceptis virtutum, erit ſermo, locutioque vera ; ſin autèm diſſentiat, erit falſus ; & cùm in doctrinis plures ſint veritates peculiares, & in moralibus plura ſint præcepta virtutum, quibus & conſentaneus ſermo, & conformis debet eſſe vitæ praxis ; ſic, ſi aduerſabitur vni, vel alteri ſermo, varias ſortietur cenſuras, & qualificabitur diuerſimodè propoſitio, vel quod ſit imprudens, ac improbabilis, &c. Sunt igitùr plures gradus Pſeudo probabilitatis, ſeu plures ſunt propoſitionum Cenſuræ, quæ aſcendendo à leuioribus ad grauiores, ſic recēſentur apud Melchiorē Canum, Cæſarem Carenam, & Ioannem Caramuelem, & etiàm iuxtà Conſtanſienſe Concilium. 1. Probabilitas pluribus, & ad minimum duobus ſpectata ſapientia viris nititur ; [vt dictum eſt ſuprà] quarè ſi

Canus de locis Theo. l. 2. c. 10.
Caren. de off. Inquiſ. p. 2. c. 16.
Car. Theol. ration. l. 3. n. 406.

ſi vno tantùm nitatur, non probabilis, ſed *improbabilis* erit, quæ ſi vtrimque ſit æquè dubia, Problematica, dici videtur.

II. *Periculoſa*, quæ accedit ad errorem, & ad peccatum. Periculum enim eſt timendæ rei (cuiuſmodi eſt peccatum) appropinquatio, & acceſſus, & ideò eius praxis periculo approximat operantem.

III. *Scandaloſa*, qua quis proximo labendi præbet occaſionem, ac ponit pedibus offendiculum, & viatori foueam fodit.

IV. *Piarum aurium offenſiua*, cuius auditio pijs viris diſplicet.

V. *Mali ſonans*, quæ in ſe bona eſt; ſed ex adiunctis circumſtantijs malè ſonat. V.G. Fides iuſtificat, quæ ex circumſtantia præſenti, quod Caluiniſtæ totum tribuunt fidei, malè ſonat.

VI. *Sapiens Hæreſim*, quæ in ſe mala: ſed ex adiunctis poteſt eſſe bona V.G. Biblia Sacra ſunt falſa, in ſe eſt propoſitio mala; ſed ſi dicatur de particulari Biblia corrupta, erit bona.

VII. *Temeraria*, quæ abſquè graui fundamento aliquid graue, & conſultò præſumit aſſerere.

VIII. *Erronea*, quæ veritati (nondùm tamen ab Eccleſia definitæ) repugnat. Eſt autèm error aliud pro alio putare, actus ſcilicèt intellectus obiecto difformis: ſicut Ignorantia eſt carentia actus, vt docet D. Auguſtinus apud Gratianum. *Grat. diſt. 39. c. 12. quamuis.*

IX. *Iniurioſa*, quæ alicui ſtatui, vel graui perſonæ detrahit. *Schiſmatica*, quæ fouet in Eccleſia diſſenſionem, & *Seditioſa* in Populis.

X. *Blaſphema*, quæ Deo, vel Sanctis attribuit, quod non eſt attribuendum, vel non tribuit attribuendum.

XI. *Hæretica*, quæ veritati manifeſtæ, ac ab Eccleſia definitæ aduerſatur.

XII. Qui plures optat ſcire propoſitionum cenſuras, ad citatos confugiat auctores. Nobis hæc ſufficiant.

Qui has, ſimileſque loquuntur propoſitiones, vaniloqui, & ſeductores à D. Paulo dicuntur. Propoſitiones verò hiſce notis carentes ſunt ſana Doctrina, ad quam idem Apoſtolus hortatur Titum ſic ſcribens: *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile; vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* *D. P. Tit. c. 1.* *D. P. Tit. c. 2.*

Pp 2 CAP.

Digitized by Google

CAP. XV.

Pſeudoprobabilium Radices.

I. RAdix Sapientiæ cui reuelata eſt, etiam reuelatur erroris ra-
dix, nam (vt dictum eſt) *contrariorum eadem eſt diſciplina*
Deut. c. 17. [vt ait Ariſtoteles]: de hac radice dici poteſt, quod illa ſit, de qua
29. Moyſes dixit. *Radix germinans fel*. Verum hæc Radix: non vna;
ſed multiplex eſt. Prima autem.

II. *Radix erroris prima eſt lex malè intellecta*, contra regulas
ſuperiùs allatas, & Radices: ſicuti etiam eſt Scriptura Sacra, defe-
ctu legentium: vndè inquit Diuus Petrus de Epiſtolis Diui Pauli:
ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depra-
uant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem;
S. Clem. & ideò idem Diuus Petrus apud Sanctum Clementem Papam, &
Rec. l. 10. Martyrem ſic loquitur; *Multas, vt video, ingenioſi homines, ex*
D. Pet. ep. *his, quæ legunt, veriſimilitudines capiunt, & ideò diligenter ob-*
2. c. 3. *ſeruandum eſt, vt lex Dei, cum legitur, non ſecundùm proprij in-*
S. Clem. *genij intelligentiam legatur* (nota, an pro modernis Theologis in-
Rec. l. 10. telligi iure poſſit). *Sunt enim multa verba in Scripturis Diuinis*,
poſt med. *quæ poſſunt trahi ad ſuum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſpontè*
præſumpſit; quod fieri non oportet. Non enim ſenſum; quem ex-
trinſecus attulerit alienum, & extraneum debes quærere, quem ex
Scripturarum auctoritate confirmes; ſed ex ipſis Scripturis ſenſum
capere veritatis; & ideò oportet ab eo intelligentiam diſcere Scri-
pturarum, qui eum à Maioribus ſecundùm veritatem ſibi tradi-
tam, ſeruat. Vt & ipſe poſſit ea, quæ recta ſuſcepit, competenter
Grat. diſt. *aſſerere*. Hæc eadem ſunt apud Gratianum, & Sanctus Vincentius
37. relatū. Lirinenſis eadem ſentit. Caueant igitur, qui cogunt textum loqui
S. Vinc. Lir. iuxta ſpiritum, & conceptum ſuum: nec audiunt maiorum declara-
commonit. tiones: ſed proprios ſenſus intrudunt, & ſupponunt pro legibus;
1. c. 35. 36. 37. eoſque legis colore prætendunt: vide ad hanc rem etiam Gratia-
Grat. diſt. num. Idem quoque ſolet accidere in legendis, ac citandis libris
37. c. 34. aliorum Auctorum: [vt dicetur infra] ita vt poſſimus cum Nehe-
& d. 45. c. 18. mia dicere citantibus. *Non eſt factum ſecundùm verba hæc, quæ*
loqueris: de corde enim tuo tù componis hæc.

Car. Theo. III. *Principia ſuppoſita pro certis*, ſed reipſa ſolum apparentia:
Rat. l. 8. n. vnde ſic ſcribit Dominus Caramuel: *languent artes: laborant nugis*
899. *di-*

Digitized by Google

diſcipline, quod veterum hipotheſes, quas ipſi ſtatuerunt leuitèr noſtrates admiſerunt inconſideratè. Nulla eſt facultas, quæ non habeat multa principia valdè dubia; aliqua apertè falſa. Cuiuſmodi eſſe videtur Recentiorum Caſiſtarum Principium, nimirùm: *Qui ſequitur opinionem probabilem, relicta probabiliore; prudentèr operatur*, & ſimilia: de quibus ità Diuus Gregorius repeteret. *Recti videri appetunt: ſed tortam Regulam ſumunt*.

IV. *Ratiocinatio non legitimè deducta*, iuxta regulas ritè ratiocinandi præſcriptas à logica, non tamen ſcrupuloſa: ſed accommodata ſubiectæ materiæ, vt monet Dominus Caramuel dicens. *Præter Bonifacij regulas, ſunt multa etiam Axiomata, quæ vocantur Theologica, quod ipſis Theologi vtantur. aut etiam interdùm abutantur. Video enim ex eiſdem frequentèr Axiomatibus diuerſas, aut etiam aduerſas conſequentias deduci, quæ non poſſunt ſine præmiſſarum abuſu.* *Car. Theo. fund. p. 1. n. 789.*

V. *Argumentatio ab exemplo* [nam inquit Imperator] *legibus, non exemplis iudicandum eſt: Nec quid factum ſit* [ait Pontifex] *ſed quod erat faciendum, inſpicere debemus*; & ſana ratio etiam exemplis anteponenda eſt: vt inquit S. Auguſtinus apud Gratianum: Sicuti ſi quis pro ſcrupuloſis ſcribat viuendi regulas, hæ non erunt trahendæ in exemplum pro liberioribus in ratione viuendi; quod tamèn vſuuenit. Etenim ipſæ leges, non exempla ſunt regula, ac menſura nobis propoſita ad agendum. Inſupèr claudicat argumentatio ab exemplo; quia vnum indiuiduum, vnumque factum, ac caſus, quamuis in tot ſæpè conueniat, vt videatur eſſe omninò idem caſus, & indiuiduum; nihilominùs indiuidua ſempèr ſunt numero diuerſa, & aliqua circumſtantia, vel circumſtantiarum varia combinatione differunt; adeò vt ſicut riuulus ex minerali ſcatens fonte, quo plus decurrit, eò magis amittit fontis virtutem: ſic argumentatio ab exemplis, & ex vno ad aliud deducta, variatur, ità vt *paruulus error in principio, in fine fiat maximus*: ſicut ſi duo lineæ paralellæ, vna ab alia ſecedat in principio, nulla videatur diſtantia, at procedendo, magis deindè diſtant: ſicut Angeli, quorum infimis ſuperioris Hierarchiæ coniungitur ſupremus alterius ordinis, & tandèm maximè elucet differentia intèr Seraphim, & Angelos inferiores; & ſicut exemplari minus eſt exemplum, ità exemplum minus eſt exemplo, & ſicut imago inferior eſt originali, & imago imaginis ſempèr imperfectior; adeò vt decreſcat ſimilitudo, & procedendo diſſimilis tandèm fiat exemplari. *L. nemo C. de ſent. & interloc.* *Grat. diſt. 9. c. 11.* *Vide ſup. p. 2. c 45.*

V. *Moralia nimis ſcholaſticè, imò & ſophiſticè diſceptantur*: vndè oritur ſyllogiſmus ſophiſticus (vt inquit Ariſtoteles) *captioſus, litigioſus, fallax, ac cauillatorius*, & præſertim (ait Imperator) *Ariſt. Top. l. 1 c. 1.*

Impl. na tura ff. de verb. ſign. tor) ex propoſitionibus per ſe notis, ac veris extenditur ſenſim ratiocinatio ad falſas: *Natura nàmque cauillationis, quam Græci ſophiſma appellauerunt, hæc eſt; vt ab euidentèr veris, per breuiſſimas mutationes, diſputatio ad ea, quæ euidentèr falſa ſunt, perducatur:* Verùm *moralia moralitèr, non metaphiſicè, aut mathematicè ſunt tractanda*; ſecùs prodit *cauillatoria iuris prudentia*, & ſophiſtica Theologia, de qua B.Iacoponus Tudertinus dicit, quod quamplures damnat, & idcircò ſanctè à Summis Pontificibus in dies damnantur; & hi videntur eſſe, de quibus dicit S.Clemens, *non veritatis, ſed iactantiæ ſectatores, qui veritatem, non in ſimplicibus verbis; ſed in verſutijs, & callidis habitare creditis, & innumerabilia verborum profertis, unius uerbi nequaqu im pretio penſitanda; numquàm enim* (dicit Arnobius) *veritas ſectata eſt fucum*; Nàm ſicut Simum, & Aquilinum, ſi nimis, vel intendatur, vel remittatur, nèc naſus videatur (ait Ariſtoteles) ſic moralis, & mataphiſica ſe habent. Volunt iſti vbi ſenſus eſt, & eſſe debet planus, litteralis, & Hiſtoricus, quærere myſteria, & velut Origenes [vt innuit S. Vincentius Lirinenſis] omnia eſſe quodammodò allegorica, & quod ſignificent diuerſa, quàm ſonent; & tandèm Methaphiſicam doceri volunt, vbi aperta, & ſana traditur viuendi regula; quos & ipſe D.Paulus admonet; *Non plùs ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*; vndè etiàm ipſemet Spiritus Sanctus indicit, quod (vt innuimus ſuprà) *qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt*; quem verſiculum ſic commentatur Cornelius à Lapide; *Conſiliarius, Doctor, vel quilibet alius, qui ſophiſticè, ideſt captiosè, ambiguè, inſidiosè, acceptoriè loquitur, hic odibilis eſt Deo, Angelis, & hominibus, quibus chara eſt veritas, ſimplicitas, fidelitas, ſapientes vero, candido, puro, & ſimplici ſermone ſua mentis conceptus, ſuamque ſapientiam enunciant, ſapientiæque per rationes demonſtratiuas, vel probabiles puram veritatem indagant, ſuiſque diſcipulis promunt.*

B.Iacop. l... ſatir. 1. *S.Clem. l. 1. Rec. circa princ.* *Arnob. l. 1. adu Gent.* *Ariſt. rhet. l. 1. c. 4.* *S.Vinc. c8 mon 1. c. 23 & Bar. an. 256. n. 46.* *Eccl. c. 37.* *Cornel. comment. in Eccl. c. 34. verſ. 27*

VI. Chriſtiani namquè hominis profeſſio eſt ſimplicitas; vt exemplo Chriſti oſtendit S.Iuſtinus Martyr; *Breues eius*, (ait) *& compendioſi fuere ſermones; non enim Sophiſta, & Cauillator extitit; ideò virtus Dei, ratio, & verbum eius fuit, Non amat veritas angulos* (ait S.Bernardus) *in medio ſtat*. Idem repetit S.Bonauentura; vndè Tertullianus ſic ſcribit; *Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum*; Filiuſque Salomon à Patre Dauid didicit, qui Deo ſic confitebatur; *Scio Deus meus, quod probas corda, & ſimplicitatem diligas; vndè & ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa hæc*. Hinc reſcripſit etiàm Adrianus Papa apud Gratia-

S.Iuſtin. Apolog. 1. pro Chriſt. *S.Bern. ſer. de Aſc. Do.* *S.Bon. opuſ. 10. 2. de proc. Rel. proc. 6. c. 28* *Tert. l. de præſcr. c. 7.* *Sap. c. 1.* *Paral. 1 c. 29.*

Digitized by Google

tianum. *Regnum Dei in ſimplicitate Fidei eſt, & in contentione ſermonis*, & idcircò ipſemet Chriſtus reuelauit S. Birgittæ, ac iuſſit, vt moneret quemdam Regem, dicens; *Caueat præcipuè, ne nouas adinuentiones, & ſubtilitates inducat*; quod exemplo cuiuſdam ſimplicis Chriſtiani in magna Synodo Nicena confirmatur; ſic reſpondentis Philoſopho Gentili. *Deus dedit nobis mentem apertam, ac ſimplicem, vt credamus: non vt diſputemus*. Idem ferè dicit S. Spiridion ſimplex, ac Paſtor ouium, & animarum, eodem tempore, & loco. Hinc iuſtè occurrit nouis commentis, & conqueritur Summus Pontifex Alexander Septimus quod noſtra tempeſtate. *In rebus ad conſcientiam pertinentibus, modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela*. Nam Spiritus bonus Dei ipſe eſt, qui corda fidelium illuſtratione docet, & docendo deducit in viam rectam, hic autem non inuenitur ab his, qui tentant illum curioſis cogitationibus; ſed *cum ſimplicibus ſermocinatio eius*. *Nec mirum* (inquit Sanctus Franciſcus Borgia) *ſit, ibi abeſſe communicationem, vbi non eſt ſimplicitas*.

Grat. diſt. 37. c. 6. *S. Birg. reu. extr. c. 73.* *Baron. an. 325. n. 45.* *Baron. an. 325. n. 2.* *Prou. c. 9.* *S. Borg. ep. Circ. n. 12.*

VII. *Præciſiones, ac Reflexiones, Reduplicationes, vel Formalitates*, quæ in ſpeculatiuis proſunt, in practicis ſæpiùs fallunt. Actus enim indifferentes ſuaptè natura, vel in ſpecie; ſi coniungantur hic, & nunc alicui circumſtantiæ malæ, deſinunt eſſe indifferentes, & fiunt mali ſimplicitèr: quia actus hic, & nunc ſunt affecti tali circumſtantia, quæ determinat eorum indifferentiam ad malum: *malum enim ex ſingulis defectibus*. Cui Seneca aſſentitur: imò probat Diuus Bernardus; nec præſcindere licet, cum Prudentia ad ſingulas circumſtantias conſiderandas nos obliget, & ad circumſpectionem, ac cautionem nos vrgeat (vt dicemus). Ergò non erunt ampliùs cenſiderandi, ac iudicandi tamquam indifferentes; quia iam ſunt re vera determinati, & errant, qui determinatum iudicarent indifferens: nam iudicium verum eſt, quando conformatur rei; *ab eo* enim [ait Ariſtoteles] *quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa*. V.G. ieiunare eſt per ſe bonum: eleemoſynam dare ſimilitèr bonum, attamen ſi in praxi, & de facto fiant ob vanamgloriam, erunt actus repræhenſibiles, ſicut Phariſæorum. Item comedere indifferens eſt; ſi nihilominus fiat cum ſcandalo puſillorum, malum erit: vt ait Sanctus Paulus quia actus iſti in hoc Indiuiduo non ſunt ampliùs indifferentes; ſed mali; quia cum iunguntur cum ſcandalo, & damno Proximi, & ex adiunctione peccati alterius, fiunt & ipſi peccaminoſi. Sint nobis Magiſtri huius doctri-

Sen. ep. 82. *S. Ber ep. 7. n. 4. 5.* *S. P. Rom. c. 14. & Corint. 1. c. 8.*

Digitized by Google

ctrinæ Sancti Eccleſiæ Doctores S. Auguſtinus, & S. Thomas ità di-
S. Aug. to. 4 l. contra mendac. c. 7. D. Th. 2. 2 q. 110. ar. 3 centes: *Non itaquè animus ex facto excuſatur, quandò dicitur aliquid non ex animo fieri, quod tamèn non fieret, niſi animus faciendum eſſe decerneret. Intereſt quidèm plurimùm, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat; ſed ea, quæ conſtant eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt: Ea quippè opera hominum, ſicut cauſas habuerint bonas, ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc ſunt mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata. Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus eſt, ſi fit cauſa miſericordiæ cum recta fide, ſicut concubitus coniugalis, quandò fit cauſa generandi. Hæc, atque huiuſmodi ſecundùm ſuas cauſas opera ſunt bona, vel mala; quià eadem ipſa ſi habeant malas cauſas in peccata vertuntur: velut ſi iactantiæ cauſa pauper paſcitur; aut laſciuiæ cauſa cum vxore concumbitur: aut filij generantur non vt Deo; ſed vt Diabolo nutriantur: Cùm verò iam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel certa talia: quis eſt qui dicat, cauſis bonis eſſe facienda, vt vel peccata non ſint, vel quod eſt abſurdius, iuſta peccata ſint? quis eſt qui dicat, vt habeamus, quod demus pauperibus faciamus furta diuitibus, aut teſtimonia falſa vendamus, maximè ſi non indè innocentes læduntur; ſed nocentes potiùs damnaturis iudicibus eruuntur.* Nàm *id quod* eſt malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quià ad hoc quod aliquid ſit bonum, requiritur, quod omnia rectè concurrant. *Bonum enim eſt ex integra cauſa; malum verò ex ſingularibus defectibus*, (vt Dionyſius dicit de Diuinis nominibus capite quarto, & innuimus) qui verò ſimiles actiones ex circumſtantijs malis determinatis ad malum adhuc Indifferentes aſſereret in Hæreſim Heluitarum delaberetur: vti docent Cardinalis Pallauicinus, & Cardinalis Baronius. Hinc ſapientèr Pontifex damnat ſequentem propoſitionem: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcientèr adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multotiès eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortalitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta nè à Domino malè tractetur, nè toruis oculis aſpiciatur, nè domo expellatur: quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona;* nèc vlla eſt vtilitas, quæ peccati damnum compenſet; vt dicetur iterùm.

Pallau. hiſ. Conc. l. 3. c. 3. Baron. an. 385. n. 4.

VIII. Nequè *Reduplicatio*, vel *Formalitas* excuſat. V. G. Non poteſt Filius optare mortem Patri, & ſi non, vt malum Patris; ſed vt bonum proprium, quià in indiuiduo, ac concreto non diſcernuntur in Patris morte, malum Patris, & bonum Filij; Si autèm quæ

re-

reipſa coniunguntur, ſufficeret cogitatione diſiungere, iàm de facto nullum reperiretur peccatum; quià *nullus intendens ad malum operatur* (inquit S. Thomas cum D. Dionyſio) nèc *malum deſideratur, niſi virtute boni adiuncti. Per ſe autèm eſt infinitum, & pratèr voluntatem, & intentionem*: ſed omnis Bonum intendit: nàm etiàm qui peccat, non vult peccatum, vt malum, vt Dei offenſam, ſed vt bonum ſibi, vel delectabile, vel vtile, vel honorificum. Nàm peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad Creaturam, & quià ad creaturam conuertitur ipſam Deo præferendo, ideò peccat: vndè ſic Deus per Ieremiam conquæritur: *Me dereliquerunt, & foderunt ſibi Cyſternas diſſipatas*. Huic doctrinę diſertè ità ſubſcribit Sanctus Auguſtinus. *Si diligentèr conſideratur, fortè ipſum nemo peccare velit; ſed proptèr aliud ſit, quod vult, qui peccat. Omnes quippè homines, qui ſcientes faciunt, quod non licet, vellent licere. Vſque adeò ipſum peccare nemo appetit propter hoc ipſum; ſed proptèr illud, quod ex eo conſequitur*. Ergò Formalitas huiuſmodi non prodeſt: nec *Reduplicatio*, quæ Formalitatem comitatur.

D. Tho. 1.2 q. 72. ar. 1. S. Dion. de Diu. nom. c. 7.

Ierem. c. 2. *S. Auguſt. apud Grat. cau. 15. q. 1. c. merito.*

IX. Reflexio quoquè plerùmque non proderit; quià cognitio *directa*, ac ſimplex dirigere nos debet: vt ait Salomon: *Simplicitas iuſtorum diriget eos*: & *in ſimplicitate cordis*, non in ſubtilitate Reflexionis quærendus eſt nobis Deus (vti monet Sapiens). Sæpè enim reflexa cognitio, ac reflexum iudicium eſt contrarium cognitioni directæ, ac ſincero mentis dictamini. Reflexio namquè menti quandoquè intrudit, quod ipſi priùs non arridebat, eſtque veluti Fur, qui non intrat per oſtium cognitionis rectæ; ſed aliundè veluti per feneſtras, vt videtur quodammodò, & ipſa Reflexio captiuare intellectum, non dono Fidei tot miraculis illuſtratæ in obſequium Chriſti: ſed ingenij arte in obſequium ſui, ſuæque voluptatis: dicam quod mihi contingit: Renuebat mens mea conſentire ſuperiori opinioni dicenti eſſe licitum optare mortem Patris, & ſi non vt malum Patris, ſed vt bonum Filij. Verùm reflectens ad Auctorum numerum, ac nomen; ergò nè (me ſic arguebam) ipſe ſolus ero ſapientior alijs; & ego Argus, cæteri Talpæ! Intolerabilis eſt dementia, ac ſuperbia cordis mei! quamobrèm iàm incipiebam eam mihi perſuadere: at breui prodiuit eiuſdem à Summo Pontifice condemnatio: ſic de cæteris philoſophari licebit. Cognitionis directæ fons eſt ſana antiquorum Doctrina, ac principia legitimarum reſolutionum: *Omnis* enim *doctrina ex praexiſtenti ſit cognitione*. Reflexæ verò cognitionis fons, ac fundamentum ſæpè eſt propria perſuaſio, ac mobilis opinio, ſuprà quam veluti ſupèr arenam, alia mobilior fundatur Reflexio, daturque ferè proceſſus in infinitum; quià *nul-*

Prou. c. 11. Sap. c. 1.

Digitized by Google

Sen. ep. 16. *lus terminus falſo eſt* (inquìt Seneca): Eo autèm magis cauenda eſt *Reflexio*, quo plerùmque cadit ſupèr Doctores, non omni exceptione maiores, quibus tanta non eſſet præſtanda Fides; vel cadit ſupèr alia ſimilia parui pendenda.

X. Obitèr notandum eſt, quod aliud eſt facere, vel inducere ad malum proptèr bonum. Aliud vti alterius malo (quod impediri nequit) ad alterius bonum. Aliud gaudere de cauſa mala proptèr effectum bonum. Aliud gaudere de bono effectu ex cauſa mala. Primum non licet: Secundum verò licet. Deus enim non eſt auctor peccati, ſed peccatis noſtris vtitur ad commendandam magnam miſericordiam ſuam, & ad augendum per cordis contritionem meritum noſtrum; vti cum D. Auguſtino docet D. Thomas; Gaudet de effectu Redemptionis ex mala cauſa voluntatis peſſimæ Hebræorum, qui, *dùm proprio incumbunt ſceleri, famulati ſunt Redemptori*: vti prædicat S. Leo. *Fecit enim Deus per Iudæos neſcientes; vndè redimerentur ſcientes, & confunderentur negantes. Neſciunt enim quid boni nobis operati ſunt malo ſuo*; ſubdit S. Auguſtinus.

S. Tho. 2. 2. q. 78. ar. 4. & q. 98. ar. 4. S. Leo ſer. 11. de paſſ. Dom. S. Aug. ſer. 256. de Temp.

CAP. XVI.

De noxia ſubtilitate, ac ſalutari ſimplicitate.

Gen. c. 3. I. *SErpens erat callidior cunctis animantibus terræ*: ſuaque nimia calliditate ſemetipſum, ac humanum perdidit genus, Diuinæque addixit vindictæ. Idem vſuuenit callidis [ſerpentis inſtar] noſtræ tempeſtatis Doctoribus (vt innuimus cum Diuo Bonauentura), qui nimia ſubtilitate quamplures perdunt. Verùm obijciunt hi: Sacra reprehendit Scriptura Filios Ephraim eo, quod nimia columbæ ſimplicitate laborantes amiſiſſent cor; vndè Propheta dicit. *Ephraim, quaſi Columba ſeducta, non habens Cor*. Ergò cauenda ſimplicitas, & ſectanda calliditas; vt monet ipſe Chriſtus dicens. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*.

Oſea c. 7.

II. Similem obiectionem S. Franciſco Elias magna præditus humana Sapientia propoſuit; Eamdemque Sanctus Franciſcus ſoluit, *Heu Franciſce ſimplex* (dixit Elias Sapiens) *ac illiterate, vt quid hæc tua indiſcretio, ac ſimplicitas? Præclaros Ordinis viros Religionis Columnas confundis, & hoc tuo Idiotiſmo Religionem tuam peſſumda-*

Lucas Rudingus in Opuſc. S. Franc. to. 3. Proph. 15.

dabis. Cui ſtatim B. Pater ſecretum audiens cordis murmur, inquit: imò Frater Elias. Tu illam faſtuoſa tua pompoſitate, & carnis prudentia deſtruis, tuique ſimiles ordinem ad nihilum ducent. Sed heu miſelle, nec in illa mori tibi concedetur. Quod ità factum eſt. Nam faſtu humano tumens, poſtquam in Miniſtrum Generalem electus eſt, laxiores Ordini dimiſit habenas; plura contra Regulæ puritatem molitus eſt &c. Volo enim (alibi dixerat Seraphicus Magiſter) *Fratres meos Diſcipulos Euangelicos eſſe, ſicque in notitia veritatis proficere; quod in ſimplicitate concreſcant, vt ſimplicitatem columbinam à prudentia Serpentina non ſeparent, quos Magiſter eximius ore ſuo benedicto coniunxit dicens. Eſtote prudentes, ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ.* Simeon Salus, ſeu fatuus indicat erraſſe Originem; quia non ſimplex; ſed nimis ſapiens eſſe voluit; ſic & ego timeo (Diui Apoſtoli uerbis utor) *ne ſicut Serpens Hauam ſeduxit aſtutia ſua; ità corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* *Ib idem Opuſ. to. 3. colloq. 15.* *Baron. an. 548. n. 18.*

III. Animaduertendum uerò, quod nullo modo mens mea eſt Scholaſticam Theologiam improbare; vel cum Abbate illo coram Tridentina Synodo deprimere, [ut refert Cardinalis Pallauicinus]. Hanc enim profiteor Catholicæ Eccleſiæ permaximè ſaluberrimam, utpotè quæ argumentorum gladios ad uulnera aduerſariorum acuit, & rationum numerum ità diſponit; ut ipſa dici poſſit, *Terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata*; uel hæc mihi uidetur eſſe Turris Dauid, & quod *mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium*. Verùm quia & Hypocriſis Sanctitatis pallio cooperitur; & Lupus ouina pelle contegitur; ſic Pſeudoctorum uitio euenit, ut quandoque fallacia nomine Theologiæ Scholaſticæ glorietur. Hinc & ego cum Dominico Soto Scholaſticam ueram ab Adulterina Secerno, & hanc Sophiſticā cum B. Iacopono Tudertino abiuro, profiteorque cum Diuo Paulo. *Non plus ſapere, quam oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem*. Nam Deus omnia in Sapientia fecit: Sapientia uerò, *omnia in pondere numero, & menſura diſpoſuit*, adeòut ultrà, citraque eiuſdem diſpoſitionem extrà limites fiant Diuinæ Sapientiæ. Ergò inſipientèr fiunt; imò nulla fiunt, cum dicit Philoſophus, quod *Definitiones ſunt veluti numeri*, quibus ſi addas, aut demas, uel unitatem, uariètur numeri ſpecies. Propterea *Simum, & Aquilinum* ſi plus iuſtò intendatur, uèl remittatur Simum, uel Aquilinum non erit ampliùs; ſic Philoſophandum de morali loquendi, ac differendi ratione; nam omnia ſuis debent reſpondere principijs; hæc eadem ſentire uidetur Caramuel dicens. *Nolo examinare, an idem ſit* non nolle, & uelle. *Nolo diſquirere* *Card. Pal. Hiſt. Conc. Trid. l. 7. c. 5.* *Cant. c. 6.* *Cant. c. 4.* *Sap. c. 11.* *Caram. Theol. fund. n. 819.*

An nolle *ſit* uelle non? Hæc *enim nimis ſubtilia ſunt*, & *ſupra neceſſitatem loci*, & *temporis vt ſupra Iuriſtarum* Cotburnum.

Senec.l.1. ep.49.

IV. Abſoluat hoc caput uno lumine naturali fretus Seneca ſic ſcribens Lucillo. *Si me nolueris per deuia ducere; faciliùs ad id quo tendo, perueniam. Nam* (ut ille ait Tragicus) *veritatis ſimplex oratio eſt. Ideòque illam implicare non oportet: nec enim quicquam minus conuenit, quam ſubdola iſta calliditas animis conantibus magna. Aperta docent*, & *ſimplicia bonitatem:* iam ſcripſerat antè. En ex Senecæ ſententia, & ex naturalis luminis dictamine quanti ſit facienda ad bonitatem moralem ſimplicitas. Sed diſertiùs idem Philoſophus antiquam, & ſanam Sapientiam à Recentiorum ſophiſtica, ac adulterina ità diſcriminat. *Antiqua* (inquit) *Sapientia nihil aliud, quam facienda & vitanda præcepit. Et tunc longè meliores erant viri, poſtquam docti prodierunt, boni deſunt* (nota). *Simplex enim illa*, & *aperta virtus in obſcuram*, & *ſolertem Scientiam verſa eſt, docemurque diſputare* (nota), *non viuere*. Studeamus ergo & nos, ut cum Diuo Paulo dicere poſſimus. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis* (nota) & *Sinceritate Dei*, & *non in Sapientia carnali; Sed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo*. Similia uerbo, & exemplo docuit Magnus Philippus Nerius; fortaſſe hic aptari uideretur illud dictum S.Bonifacij Epiſcopi, & Martyris dicentis. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis vtuntur Calicibus* [uti referunt Gratianus, & Baronius]; ſic nunc Sapientia Recentiorum lignea, uerba aurea, atque ſubtilia.

Lib.1. ep. 48. — *Sen.ep.95.* — *S.P.Cor.2. c.1.* — *Grat.diſt. 1.veſ.de conſec. Bar.an. 755.n.46.*

CAP. XVII.

Aliæ Radices Pſeudoprobabilium peiores prioribus.

Pontif.c.de pæn.cum infirm.

I. VT hominis ægritudo ſanetur, perquirenda eſt morbi cauſa, vt hæc remoueatur: nàm *ceſſante cauſa, ceſſat effectus*; inquit etiàm Summus Pontifex: ſic vt mentis errores ſanentur, eorumdem eſt origo inueſtiganda: quarè hìc aliæ peiores prioribus, errorum cauſæ patefiunt.

Eccl.c.10.

Initium omnis peccati eſt ſuperbia: (inquit Sapiens); ſic omnium ferè errorum intellectus mater eſt præſumptio: hæc quamplures ex-

excæcat (aiebat B.Catherina Genuenſis illuſtratiſſima à Deo miris *B.Cath.*
Cæleſtis Sapientiæ ſplendoribus , & ab hominibus illuſtrata inſigni- *Ill.p.3.c.*
bus encomijs) . Nàm *ſcientia inflat* [ſubdit S.Paulus] & vertigi- *34.*
nem efficit , & quæ moderata decorat , nimia dedecorat (vndè in- *S.P. Cor.1.* *c.8.*
quit Ezechiel) ; *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo* ; & qui nimis *Ezech.c.*
ſcire ſe iactant , ſtupidi fiunt ; propterea [inquit Sapiens] *Nè plùs* *28.*
ſapias , quàm neceſſe eſt , nè obſtupeſcas : cui ſubſcribit S.Gregorius *Eccl.c.7.*
Papa : *prudentiam ſuam* [ait] *plurimam oſtendunt , qui videri præ* *S Gregor.* *Mor.l.17.*
alijs prudentiores appetunt . Vndè fit plerùmque , vt cùm moderatè *c.11.& l.*
ſapere neſciunt , etiàm fatua loquantur . Obſtaculum nàmque (re- *23.c.10.*
petit idem) *Veritatis eſt tumor mentis* ; *quià dum inflat , obnubi-* *S.Gregor.* *Moral.l.*
lat : *ſic in mente* (inquit iterùm S.Gregorius) *ſuperbia , ſicut in* *24.c.13.*
oculis caligo generatur quo ſe hæc latiùs dilatat , eò vehementiùs lu-
men anguſtat . Conantur tamèn hi dogmata legibus contraria, legi-
bus ipſis velare , & tamquàm legibus conſentanea venditare , & ſub
nomine , ac colore legis , ſuas opiniones docent ; *Theologus noſter*
(repeteret S.Bernardus) *verbis legis , legem impugnat* ; & idcircò
apud Ieremiam dicunt : *Sapientes nos ſumus , & lex Domini nobiſ-* *S.Ber. ep.*
cum eſt : vti faciebant ſeniores Iudęorum & Phariſęi : *Seniorum* *369.*
enim (inquit S.Ireneus) *ipſorum traditio , quam ex lege obſeruare* *Ierem.c.8.* *S.Iren. Ad*
fingebant , contraria erat legi , quæ data eſt per Moyſem . Propter *uerſ.Her.*
hoc , & Iſaias ait ; *Caupones tui miſcent vinum aqua , oſtendens ,* *l.4.c.25.*
quod auſtero Dei præcepto miſcerent Seniores aquatam traditionem ;
ideſt aggredientes adulteratam legem , & contrariam legi , ſicut &
Dominus fecit manifeſtum dicens eis : quarè vos tranſgredimini
præceptum Dei proptèr traditionem veſtram ? Non ſolùm autèm
per prauaricationem fruſtati ſunt legem Dei , miſcentes vinum
aqua ; ſed & ſuam legem contrariam ſtatuerunt , quæ vſquè adhuc
Phariſaica vocatur . In qua quædam quidèm auferunt , quædam
verò addunt , quædam autèm quemadmodùm volunt , interpretan-
tur , quibus vtuntur ſingulariter Magiſtri eorum . De iſtis dixit
Ieremias ; *Arrogantia tua decepit te , & ſuperbia cordis tui* : cui *Ier.c.49.*
ſubdit S.Paulus : *dicentes ſe eſſe ſapientes , ſtulti facti ſunt* . Nàm *S.P.Rom.* *c.1.*
(inquit Sapiens) *Superbus , & arrogans vocatur indoctus* . *Prou.c.21.*

II. *Aliqui ſunt , qui plùs credunt Magiſtro , ac Rabbinis , quàm*
Moyſi ; plùs Interpreti , quàm Legislatori : Doctoribus , quàm Su-
perioribus : Nàm quemadmodùm , *qui tetigerit picem , inquinabi-* *Eccl. c. 13.*
tur ab ea , & qui communicauerit ſuperbo , induet ſuperbiam ; ſic
qui commmunicauerit cum homine aliqua opinione affecto, eadem
quoquè opinione afficietur ; naturale namquè eſt *opinionibus homi-*
num tangi (inquit Seneca) : nàm cùm ſint homines eiuſdem ſpeciei, *Sen.ep. 16.*
eaſdem ſolent pati affectiones ; multò magis ſi ſint ejuſdem Gentis :

ite-

Digitized by Google

S. P. Cor. 1. c. 5. iterùm magis ſi ſint eiuſdem Regionis, vel Religionis, vel profeſſionis, veluti etiàm Diſcipulus, ac Magiſter: affectus namquè facit,
Galat. c. 5. vt facilè videatur bonum; quod amatur; & *modicum fermentum totam maſſam corrumpit:* Hinc dicit Ariſtoteles, quod *in quærenda*
Ariſt. met. l. 2. c. 3. *veritate multùm valet conſuetudo, & ſicuti conſueuimus, ità dignamur dici*; & de hac veritate legitur exemplum valdè Eccleſiæ perniciosum, de Didymo, eiuſque amicis, & aſſeclis in doctrina Origenis: vt refert Baronius: ad hanc rem ſic etiàm ſcribit Sanctus
Baron. an. 372. n. 94. Auguſtinus.

III. *Quoniàm procliue eſt humanum genus, non ex momentis ipſius libidinis; ſed potiùs ſuæ conſuetudinis æſtimare peccata, ſit ple-*
S. Aug. de Doctr. Christ. l. 3. c. 10. to. 3. *rumquè, vt quiſque hominum ea tantùm culpanda arbitretur, quæ ſuæ regionis, & temporis homines vituperare, atquè damnare conſueuerunt, & ea tantùm probanda, atquè laudanda, quæ conſuetudo eorum, cum quibus viuit, admittit. eoque contingit, vt ſi quod Scriptura, vel præceperit, quod abhorreret à conſuetudine audientium, vel quod non abhorreret, culpauerit, ſi animum eorum iàm verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent. Non autèm præcipit Scriptura, niſi CHARITATEM, nèc culpat, niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum: Intelligebam*
S. Clem. Recog. ad Ia ob. l. 1. (diceret etiàm nunc S. Clemens Papa, & Martyr) *quod ſententiæ, ac definitiones rerum non pro natura ſua, ac veritate cauſarum; ſed*
S. Vincent. com. 1. c. 25 *pro ingenijs defendentium falſa imaginarentur, aut vera*; hoc idem videtur innuere S. Vincentius Lirinenſis.

Saul. Reg. 1. c. 19. IV. Videtur accidere huiuſmodi hominibus, ſicut contingit ſeruis Saul, qui in medio Prophetarum prophetabant, & ipſi, ſicut etiàm ipſe Saul. Videntur hi imitari Hebræos profitentes Doctrinam Thalmud, qui tradit Doctores præferendos Moyſis
Sixt. Sen. Bibl. l. 2. v. tal. legi: vt refert Syxtus Senenſis, & innuit S. Hieronymus, & dixit, ac præcauit ipſemet Chriſtus dicens. *In vanum me colunt, docentes*
S. Hier. l. 2. comment. in c. 15. Math. *Doctrinas, & præcepta hominum*. Etenim audiens quidam damnationem Propoſitionum à Summis Pontificibus reſpondit. *Noſtri Doctores diuerſa docent*, cui alter uerè pius dixit. *Ego certiſſimus ſum Chriſtum Filium Dei dediſſe claues Regni Cælorum. D. Petro, & Succeſſoribus, non autem eas dediſse tali, vel tali Doctori*. Inſupèr ſcio præceptum nobis eſſe in Scripturis obediendum eſſe
S. Luc. c. 10 Præpoſitis, ac Poteſtatibus ſublimioribus; ſunt enim miniſtri, & os Dei ſuperiores, & illis teſtatus eſt Chriſtus; *qui vos audit, me audit. Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Quare Deo, eiuſ-
D. Thom. 2. 2. q. 10. ar. 12. que Filio obtemperabo in ſuo Vicario, ac Legatis. Hanc eamdem ſententiam profitebatur S. Thomas cum Venerabili Beda
Baron. an. 34. n. 148. apud Baronium. *Maximam habet* [ait S. Thomas] *auctoritatem*

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſempèr eſt in omnibus æmulanda; quià, & ipſa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet: vndè magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm auctoritati, vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cuiuſcumque Doctoris - Audiant Moderni Caſiſtæ, & ea re caueant, nè de ipſis dicat Iob: *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius*. Cùm & ipſe Caramuel dicat, eo vſquè probabiles eſſe opiniones, quouſquè à Summo Pontifice, vel Sacra Congregatione non fuerint reiectæ. *Præclara eſt in hac re apud Platonem Socratis ſententia ità monentis; Vos ſi mihi aſſentiamini, non Socrati credite, ſed veritati*. *Iob.c.24.* *Car.Theo. Fund. p.2. n.12.43. 46.* *Plato l.29. Phædo.*

CAP. XVIII.

Doctorum Conſulta quanti facienda.

I. *OMnis regula generalis patitur exceptionem*: vt vulgò dicitur: nàm generi plures adueniunt differentiæ, quæ diuerſas conſtituunt ſpecies; quamobrèm legibus vniuerſalitèr latis cæpit deſiderari Doctorum interpretatio [inquit Imperator]: Eſt autèm Doctor, qui poſt exactum in aliqua facultate ſtudium accepit à competente Principe, poteſtatem interpretandi emergentes ambiguitates ex Regulis, ac Principijs eiuſdem facultatis. Interpretatur enim Doctor, non auctoritatiuè, & iudicialitèr, ſed ſcholaſticè, & doctrinalitèr. Doctor namquè à Doctrina dicitur. *Omnis autèm doctrina* (inquit Ariſtoteles) *& omnis diſciplina diſcurſiua ex præexiſtenti fit cognitione*. *L. neceſſarium ff. de orig. Iur.* *Ariſt.Poſt. l.1.c.1.*

II. Hinc Summus Pontifex cum D.Hieronymo, ac Sàlomone quemlibet Doctorem admonet, dicens: *Nè innitaris prudentiæ tuæ; prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda, uel dicenda uidentur Patrum Decretis præponit*: inquit S.Hieronymus: quibus & ipſe Ariſtoteles ſubſcribit dicens. *Probatæ leges id maximè uetant, nè quis ſe legibus ſapientiorem uelit oſtendere*. Non enim Princeps concedit illis pro arbitrio ius condendæ legis; ſed ex legibus, quænam ſit legis, ac Legiſlatoris voluntas, dat declarandi facultatem; nàm omnis Doctorum reſponſio ex præexiſtentibus debet oriri Radicibus, & eorumdem concluſio, ac conſultum debet poſſe reſolui ad illas, tamquàm ad principia moralia; ſecùs non eſſet Doctor, ſed illuſor, & ſeductor, & de eiuſmodi, ac ſimilibus iterùm diceret Ieremias: *Verè mendacium operatus eſt, ſtylus mendax* *C Ne innitaris. De Conſt.* *Ierem. 8.*

Digitized by Google

dax Scribarum . Nàm ſicut Doctrina ex primis principijs , veluti riuulus ex fonte deducitur, ſic doctrina ipſi debet poſſe reduci, veluti riuulus ad ipſum fontem: ſecus non eſſet ſana doctrina: ſic etiam docet Ariſtoteles in Analiticis: nam Methodus tradendæ doctrinæ eſt duplex. 1. *Compoſitionis*, quando à fundamentis, ac principijs incipimus, vt ad vlteriora progrediamur. 2. *Reſolutionis*, quando ab ipſis Reſolutionibus, ac reſponſis particularibus regredimur, veluti filo Ariadnes ad prima principia: vt ſic ad ianuam ſcientiæ reuertamur, & agnoſcamur an per oſtium intrauerimus, vel aliundè.

III. Doctor enim eſt veluti Ciſterna, quæ alieni fontis acquis repletur: vndè eidem dicitur, quod prius ſit *Concha*, quam ſit *Canalis*; vt monet Sanctus Bernardus: priùs Ciſterna, quæ aliundè repleatur; deindè fiat fons, qui alios repleat. *Bibe aquam* [ait Salomon] *de Ciſterna tua, deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuede*. Huic cum Diuo Paulo indicit Sanctus Vincentius Lirinenſis. *Depoſitum cuſtodi, ideſt, quod tibi creditum, non quod à te inuentum eſt. Aurum accepiſti: aurum redde: nolo mihi alia pro alijs ſubijcias. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod anteà obſcuris credebatur: eadem, quæ didiciſti, doce; vt cum dicas nouè, non dicas noua*. Debet enim cum Chriſto Doctorum omnium Magiſtro reuerentèr profiteri. *Doctrina mea, non eſt mea: ſed eius, qui miſit me. Nàm qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit*. Ergò Doctor ſi à ſemetipſo non loquitur, & iuxtà proprium ſenſum, nèc gloriolam propriam quærit, debet profiteri Doctrinam Summi Pontificis mittentis, ſi Theologus, vel Canoniſta ſit; vel Principis, ſi Legiſta. Ipſe nàmque Doctor non eſt liber legis: ſed Index, vt poſſit cum Michæa Propheta, dicere: *Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te*. Proptereà D. Hieronymus Celantiam hiſce monet; *Nequè eorum te ſeducat error, qui ex arbitrio ſuo eligunt, quæ potiſſimum Dei mandata faciant, quæue quaſi vilia, ac parua deſpiciant, nèc metuant, ne ſecundam Diuinam ſententiam minima contemnendo paulatim decipiant*. D. Hieronymo arridet S. Auguſtinus ſic: *Non afferamus* (ait) *ſtateras doloſas, vbi appendamus, quod volumus* (nota) *& quomodò volumus pro arbitrio noſtro* (pondera) *dicentes hoc graue, hoc leue eſt: ſed afferamus Diuinam ſtateram de Scripturis Sanctis*.

S. Bern. ſer. 15. ſupra Cant.
Prou. c. 5.
S. Vincent. commonit. 1. c 27.
S. Ioa. c. 7.
Michæ. c. 6.
S. Hier. ep. 20. l. 2.
S. Auguſt. apud Gr. t. can. 24. q. 1. c. non.

IV. Monendi igitùr ſunt iterùm Doctores, quod ipſi debent legem quaſi lucernam præferre, eamque ponere ſupèr candelabrum explicationis, vt omnes lumen videant, non ſuarum opinionum: ſed lumen Sacrarum legum: nàm *lucerna pedibus meis verbum*

tuum

tuum (nota) *& lumen ſemitis meis*; canebat Dauid; Dei verbum, non hominis commentum lucerna eſt; vndè de quolibet Doctore intelligi poteſt, quod à S.Ioanne Euangeliſta dictum eſt de S.Ioanne Baptiſta: *Non erat ille lux; ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine*; Sic Doctor non eſt lux, nèc ipſius opinio lex; ſed veluti teſtis, quid lex iubeat; non eſt auctor ipſe legis; ſed interpres. *Vnus enim* (inquit S.Ambroſius) *verus Magiſter eſt, qui ſolus non didicit, quod omnes doceret: Homines autèm diſcant priùs, quod doceant, & ab illo accipiunt, quod alijs tradant*. Vtinàm ità vſuueniat, nèc adſint, qui Doctorali dignitate inſigniti, veluti Regio Sigillo donati, hac contrà Regem abutantur, ſuas opiniones legis nomine decorantes, contrà ipſius legis ſententiam. Cùm tamèn, & ipſa Sanctorum Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, & ſimilium dicta Sacris Canonibus ſint poſtponenda [vt ſcribit Leo Papa apud Gratianum] cùm ab Eccleſia ſumant & ipſi auctoritatis robur; *Numquid igitùr* [loquar cum Iſaia] *gloriabitur ſecuris contrà eum, qui ſecat in ea? Aut exaltabitur Serra contrà eum, à quo trahitur? quomodò ſi eleuatur virga contrà eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtiquè lignum eſt*. Attendant Recentiores an doctrinali auctoritate inflentur aduersùs eleuantem eos; & attendant an imitari videantur Lutherum, qui Danielis verbis gloriabatur dicens. *Spiritus, ſapientia, & intelligentia ampliores inuentæ ſunt in me*; vti refert Adrianus Sextus in Breui ad Ducem Saxoniæ, anno 1522. Si hæc ſentis; *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te, & dixiſti in corde tuo: Ego ſum, & pretèr me, non altera*; ſcilicèt ſapientia. *Arrogantia ſiquidèm* (confirmat Ieremias) *tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: ergò ne plùs ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas*: monet Eccleſiaſticus. Cui reſpondet Apoſtolus; *Non plùs ſapere, quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem: & cauendum* (ſunt verba Platonis) *ne vltrà quàm doceat, ſapientes facti, clàm vos ipſos deprauetis*.

Pſal. 118. *S.Ioan.c.1.* *S.Amb.l.1. c.1.off.* *Grat. diſt. 20.c.11. de libellis.* *Iſa.c.10.* *Dan.c.5.* *Iſa.c.47.* *Ierem.c.49* *Eccl.c.7.* *S.P.Rom. c.12.* *Plato l.24. Gorgias.*

V. Si Doctor diuinarum rerum ſcientiam profiteatur, *Theologus* nuncupatur; ſi verò profiteatur Iuris poſitiui, ac Sacrorum Canonum cognitionem, *Canoniſta* appellatur; ſi Iuris Cæſarei, ac Imperatoriarum legum notitiam, dicitur *Legiſta*. Demùm ſi ſpiritualium rerum, ac interioris hominis peritiam profiteatur, *Pater ſpiritualis, Director, & Dux ſpiritualis* dicitur. *Theologus* in materia Iuris Diuini, tàm veteris, quàm noui cæteris Doctoribus præponitur. *Canoniſta*, in materia Iuris Canonici, ac Pontificij. *Legiſta* in materia legali, ac Iuris Ciuilis. *Vnuſquiſque enim in ſua Arte ſapiens eſt* (inquit Eccleſiaſticus) *& tractant fabrilia fabri* ... Poeta vulgus ait. *S.Auguſtinus præfertur in ſubtilitatibus* *Eccl.c.38.*

ac quæſtionibus. *S.Hieronymus in translationibus, ac exponendis ſcripturis*. *S.Ambroſius in ſermonibus*; *S.Gregorius Papa in moralibus*: ità monet B.Angelus à Clauaſio.

B.Ang ſumm.Angel.v.opinio.

VI. Doctor autèm in ſpiritualibus triplici debet pollere virtute, vt idoneus ſit Doctor, & Ductor; nè cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadant (vt aiunt cum D.Thereſia S.Franciſcus Saleſius, & Ioannes Auila, & dicitur in libro inſcripro Italicè *B.Catherina Genuenſis illuſtrata*) 1. *Scientia* illius facultatis, quam profitetur, veluti Theologiæ moralis. 2. *Prudentia* diſcernendi particularia, quæ cuique congruunt, quantùm, quomodò, quandò; & cum cæteris circumſtantijs. 3. *Bonitas morum*, quæ paſſionum fumum diſperdat, & lumen à Deo luminum Patre obtineat, ad diſcretionem ſpirituum. Hiſce ſubſcribit iterùm S.Thereſia Seraphica Magiſtra ſpiritualium. Prima dos eſt *rara*: Secunda *rarior*. Tertia *longè rarior*: omnium collectio *rariſſima*; vt indicat Spiritus Sanctus dicens: *Conſiliarius ſit tibi vnus ex mille*; vt explicant Cornelius à Lapide, & Diuus Saleſius. Hiſce accedit Plato. *Cenſeo in eo* [ait] *qui alicuius probaturus ſit animam, vtrùm illa quidèm rectè inſtituta ſit, nunc tria potiſſimùm requiri*: *ſcientiam primò*: *deindè opinionem prudentis, ſcilicèt atquè beneuoli*: *tertiò audaciam*. *Nàm multos equidèm reperio, qui me propterea recto examine probare non poſſunt, quod ſapientes non ſunt*. *Alij verò Sapientes quidèm ſunt*; *ſed veritatem quidèm mihi dicere nolunt*. *Peregrini iſti ſapientes quidèm ſunt, meque diligunt*: *verùm deeſt eis audacia*. Præſens caput ſequenti illuſtratur.

Eccl.c.6. Diu. Sales Introd.p.1. c.14. Plato.l.24. Gorgias.

CAP. XIX.

Doctorum opinio, quæ æſtimanda.

I. SPiritus Sanctus Doctor veritatis increatus *non loquitur à ſemetipſo*: *ſed quæcumque audiet, loquetur* [inquit Sanctus Ioannes]. Ergò multò magis homo ex ſe Doctor falſitatis (*eſt enim Omnis homo mendàx*) non debet loqui à ſemetipſo, & ex propria opinione; ſed quæcumque audiet à Petro Dei Vicario loqui debet; ſicuti Gregorius, & cum eo Sanctus Raymundus de Pegnafort repetunt ex Concilio Moldenſi, ac Salomon. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Doctor enim eſt veluti lucerna. *Lucerna autem* (inquit Sanctus Ambroſius) *lucere non poteſt, niſi aliundè lumen acceperit*; *quia ne-*

S.Ioan.c.16. Pſal.115. Conc.mil. Salom.l.3.ne innitaris de conſt. S.Ambr. comment. in Luc.l.7. c.11.

nemo noſtrum ſcit niſi, qui diſcit. Subdit Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis: hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus, ac Sanctus Baſilius Magnus; non ex proprio ingenio: ſed ex maiorum ratione, ac auctoritate interpretabantur Diuinam, ac Sacram Scripturam: (videbantur facto ipſo profiteri D. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi ſententiam) quod *inueſtigationem veri multorum eſt quærere; ſed paucorum eſt inuenire*: nec ipſi ex paucis Inuentoribus ſe putabant: & ideò aliorum inhærebant ſententijs, iuxtà Sancti Iſidori monitum. *Diſce, quod neſcis, ne Doctor inutilis inueniaris: ante ſis auditor, quàm Doctor, per diſciplinam magnum accipiens nomen, & bonum quod didiceris, doce, diſcendi, & docendi ne contemnas ſtudium. Doctrina quantò plus fuerit data, tantò plus abundat.*

S.Iſid.orig. ſeu Ethim. l.1.c.1. Breu.Rom. 9. Maij. S.Iſidor. ſent.l.2 c.1. S.Iſidor.l. de contemptu mundi c.de doct.

II. Doctoris enim opinio debet eſſe *probabilis*, ſeu *veriſimilis*. Veriſimilis autem eſt, quæ legi congruit: *lex enim eſt veritas* [vt inquiunt Dauid, & Plato]. Ergò ſi legi non eſt ſimilis, non eſt probabilis. Ergò ſpernenda. Opinio namque hominis per ſe præciſe non eſt colenda. *Dominus enim ſcit cogitationes hominum; quoniam vana ſunt; vani autem* (inquit Sapiens) *ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Scientia verò Dei non ſubeſt; vbi Diuinarum legum, ac humanarum (quibus à Diuina Scriptura parere iubemur) ignorantia ineſt, & multò magis ſi diſſonantia adeſt, ac vana ſciendi præſumptio. Quamobrèm.

Pſal.118. Pſal.

III. Cum de Doctorum opinione agimus, monitum auditorem volo, quod duplex Doctoris opinio aſſignanda videtur. 1. Opinio in primis: opinio Iuris potius dicenda cenſetur, eſtque ea, quæ iuri, vel naturali, vel Diuino, vel humano inhæret. Nam ſicuti Imperator Iuſtinianus quia veterum Iuriſconſultorum ſententijs robur impertit, ſuas appellat ſic dicens: *Omnia meritò noſtra facimus: quià ex nobis omnis eis impertitur auctoritas*: ità enim opinio, cui ius fauet, *opinio Iuris* nuncupanda videtur. 2. *opinio* verò, quæ nulli iuri, ſed vni, ac mero Doctoris placito inhæret, nec alio roboratur fundamento, quam *Ipſe dixit*; opinio Doctoris dictitatur. Eſt enim Recentior Theologus, qui docet noua; non vetera noua; vt loquitur S. Vincentius Lirinenſis.

Imp. de concept. ff. de Trib. §. 9.

IV. Huius modi diſtinctio colligi videtur etiàm ex Iſaiæ verbis inſinuantis dari Doctrinam ſanam glorificantem Dominum, & Doctrinas hominum irritantes Deum, quæ omnia apud S. Matheum ab ipſo Chriſto confirmantur. Prior Doctrina eſt ſcientia Dei: Altera eſt opinio, & commentum hominum. Vbi autèm non ſubeſt ſcientia Dei, ineſt cogitationum vanitas (vt dixit Sapiens): Scientia autèm Dei abeſt, vbi non adeſt cognitio veritatis. Cognitio ve-

Iſai.c.24. 29. S.Mat.c.15. S.Mar.c.7.

Digitized by Google

ritatis non adeſt, vbi abeſt conformitas cognitionis cum re : res,
Pſal.118. cui debet eſſe cognitio conformis, eſt lex (vt dicit Pſaltes) : *Lex tua veritas*. Lex verò Dei legibus Principum iubet obſequium præſtari : vndè ex Superioribus innoteſcit, ſi non adeſt conformitas opinionis, nèc formalis. [quià neglecta ſit requiſita inueſtigandæ veritatis diligentia] opiniones hominum, ac Doctrinæ erunt mendacium, ac Somnium, ac Recentiores hiſce imaginarijs commentis, & Doctrinis ſeſe illudent. Non enim fons ſapientiæ eſt noſtra opinio : vti videbantur profiteri quondam Carpocratiani, & alij apud D.Dhomam : ſed *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis* [ait
D.Tho.1.p.q 85.ar.2 Eccl c.5. Iſai.c.56. Sapiens] qui Fons in omnes leges, veluti in riuos decurrit. Caueant ergò nè de ipſis prædicet Iſaias : *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valentes latrare, videntes vana: dormientes, & amantes ſomnia : ſicut autèm ſomniat ſitiens* (ſunt eiuſdem Iſaiæ verba) *& bibit, & poſtquàm fuerit experge-*
Iſai.c.29. *factus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt* : ſic qui propriarum opinionum ſomnia ſectantur, ſitim ſciendæ veritatis non explent ; ſed cùm expergefacti fuerint *ex ſpiritu ſoporis*, per ipſummet Prophetam prædicto, inuenient ſe vacuos. Proptereà :

S.Franc. opuſc.10.3. collat.15. ¶ V. Fratres (ait S.Franciſcus) *qui ſcientiæ curioſitate ducuntur, in die tribulationis inuenient manus ſuas vacuas ; ideò vellem eos magis roborari virtutibus, vt cùm tempus tribulationis venerit, ſecum haberent Dominum in anguſtia. Ventura eſt enim tribulatio, quandò libri ad nihilum vtiles in feneſtris, & lateribus proÿcientur : Nolo fratres meos cupidos eſſe ſcientiæ, & librorum ; ſed volo eos fundari ſuper ſanctam humilitatem, & imitari puram ſimplicitatem, ſanctam orationem, & Dominicam paupertatem. Hæc via ſola eſt ſecura ad propriam ſalutem, & aliorum ædificationem ; quoniàm Chriſtus, ad cuius imitationem vocati ſunt Fratres, hanc ſolam nobis oſtendit, & docuit verbo paritèr, & exemplo. Multi Fratres occaſione ædificandi alios, dimittent vocationem ſuam, videlicèt ſanctam humilitatem, puram ſimplicitatem, orationem, & deuotionem, atquè Dominam noſtram paupertatem. Et continget illis, quò vndè magis putabant imbui, ſeu impleri deuotione ; & accendi amore, & illuminari Dei cognitione proptèr intellectum Scripturæ ; indè occaſionalitèr remanebunt intùs frigidi, & vacui, & ſic ad priſtinam vocationem redire non poterunt ; quià tempus viuendi ſecundùm vocationem ſuam in vano, & falſo ſtudio amiſerunt* : qui iterùm ſic eoſdem hortatur.

VI. *Nè appetatis Fratres vocari Magiſtri ſcientes nomen Magi-*
S Franc. t.3.collat. 19. *ſterÿ ſoli ipſi Chriſto conuenire, per quem omnia facta ſunt opera. Ego vellem libentèr ſcire facere omnia : ſed nollem eſſe Magiſter,*

nec

nèc Magiſtri nomine inſigniri ; nèc ex tali nomine contrà verbum Chriſti in Euangelio prohibentis facere viderer ; quià melius eſt eſſe humilem cum paupercula ſua ſcientia, quàm ſi eſſet poſſibile ſcire, facere omnia mirabilia, & magnalia, & præſumere contrà glorioſi Magiſtri humilia documenta. Nàm nomen Magiſterij nemini conuenit, niſi Domino Ieſu Chriſto, cuius perfecta ſunt opera, & mandauit vt nullus ſupèr terram Magiſter vocaretur, nèc vocari præſumeret; quia vnus ſolus, & verus abſquè defectu in Cœlis eſt Magiſter benedictus Chriſtus, qui eſt Deus, homo, & vita, Conditor mundi, laudabilis, & glorioſus in ſæcula ſæculorum. Amen. Cui ſeruit à lingua Summus Pontifex ipſius Chriſti immediatus Vicarius, & propterea ſecundus à Chriſto Magiſter Eccleſiæ: vt diximus ſupra, & dicemus infrà. *Par.4.c.1. &c.*

VII. *Audite Filij diſciplinam Patris* [vt monet Salomon] *& attendite vt ſciatis prudentiam in omni tempore.* Imò audiant vniuerſi Recentiores Sanctiſſima Seraphici Patriarchæ monita: nec vlterius iactent dicentes. *Nos Doctores ſumus. Noſtrum eſt declarare quid peccatum, quidue Conſcientia à fidelibus exigat. Summus Pontifex declaret fidei dogmata. Nos verò morum præcepta enucleabimus.* Hi ſenſus, ſenſus ſunt Recentiorum, & hi tanti Patriarchæ apertè diſſonant monitis, qui tamen potuiſſet cum D.Paulo profiteri. *Puto, quod & ego ſpiritum Dei habeam.* *Prou.c.8.* *1.Cor.4. c.7.*

CAP. XX.

Doctores qui cauendi.

I. NOn omnis Doctor eſt doctus; nec omnis doctus eſt probus: quamobrem vel defectu doctrinæ, vel exceſſu paſſionis, aut malitiæ, prodire poſſunt minus tuta conſilia: propterea diſertis verbis vnumquemque monet Eccleſiaſticus. *A conſiliario ſerua animam tuam; prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas, & ipſe enim animo ſuo cogitabit: & ſtet è contrariò videre quid tibi eueniat.* Sic exponit Cornelius à Lapide ibidem. *Attendite* idcircò (dicit Chriſtus) *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autèm ſunt lupi rapaces.* Huiuſmodi Doctores arguebat Ieremias (vt alibi dictum eſt): *Quomodò dicitis Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt: verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum: verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. A Propheta vſq; ad Sacerdotem cuncti faciunt men-* *Eccl.c.37. v.9.* *S.Math.c.7* *Ier.c.8.*

da-

ctrinæ Sancti Eccleſiæ Doctores S. Auguſtinus, & S. Thomas ità dicentes: *Non itaquè animus ex facto excuſatur, quandò dicitur aliquid non ex animo fieri, quod tamèn non fieret, niſi animus faciendum eſſe decerneret. Intereſt quidèm plurimùm, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat; ſed ea, quæ conſtant eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt: Ea quippè opera hominum, ſicut cauſas habuerint bonas, ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc ſunt mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata. Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus eſt, ſi fit cauſa miſericordiæ cum recta fide, ſicut concubitus coniugalis, quandò fit cauſa generandi. Hæc, atque huiuſmodi ſecundùm ſuas cauſas opera ſunt bona, vel mala; quià eadem ipſa ſi habeant malas cauſas in peccata vertuntur: velut ſi iactantiæ cauſa pauper paſcitur; aut laſciuiæ cauſa cum vxore concumbitur: aut filij generantur non vt Deo; ſed vt Diabolo nutriantur: Cùm verò iam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel certa talia: quis eſt qui dicat, cauſis bonis eſſe facienda, vt vel peccata non ſint, vel quod eſt abſurdius, iuſta peccata ſint? quis eſt qui dicat, vt habeamus, quod demus pauperibus faciamus furta diuitibus, aut teſtimonia falſa vendamus, maximè ſi non indè innocentes læduntur; ſed nocentes potiùs damnaturis iudicibus eruuntur.* Nàm *id quod* eſt malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quià ad hoc quod aliquid ſit bonum, requiritur, quod omnia rectè concurrant. *Bonum enim eſt ex integra cauſa; malum verò ex ſingularibus defectibus*, (vt Dionyſius dicit de Diuinis nominibus capite quarto, & innuimus) qui verò ſimiles actiones ex circumſtantijs malis determinatis ad malum adhuc Indifferentes aſſereret in Hæreſim Heluitarum delaberetur: vti docent Cardinalis Pallauicinus, & Cardinalis Baronius. Hinc ſapientèr Pontifex damnat ſequentem propoſitionem: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcientèr adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multotiès eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortalitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta nè à Domino malè tractetur, nè toruis oculis aſpiciatur, nè domo expellatur: quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona;* nèc vlla eſt vtilitas, quæ peccati damnum compenſet; vt dicetur iterùm.

S. Aug. to. 4 l. contra mendac. c. 7.
D. Tho. 2. 2 q. 110. ar. 3
Pallau. hiſ. Conc. l. 3. c. 3.
Baron. an. 185. n. 4.

VIII. Nequè *Reduplicatio*, vel *Formalitas* excuſat. V.G. Non poteſt Filius optare mortem Patri, & ſi non, vt malum Patris; ſed vt bonum proprium, quià in indiuiduo, ac concreto non diſcernuntur in Patris morte, malum Patris, & bonum Filij; Si autèm quæ re-

Digitized by Google

reipſa coniunguntur, ſufficeret cogitatione diſiungere, iàm de facto nullum reperiretur peccatum; quià *nullus intendens ad malum operatur* (inquit S. Thomas cum D. Dionyſio) nèc *malum deſideratur, niſi virtute boni adiuncti. Per ſe autèm eſt infinitum, & pratèr voluntatem, & intentionem*: ſed omnis Bonum intendit: nàm etiàm qui peccat, non vult peccatum, vt malum, vt Dei offenſam, ſed vt bonum ſibi, vel delectabile, vel vtile, vel honorificum. Nàm peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad Creaturam, & quià ad creaturam conuertitur ipſam Deo præferendo, ideò peccat: vndè ſic Deus per Ieremiam conquæritur: *Me dereliquerunt, & foderunt ſibi Cyſternas diſſipatas*. Huic doctrinę diſertè ità ſubſcribit Sanctus Auguſtinus. *Si diligentèr conſideratur, fortè ipſum nemo peccare velit; ſed proptèr aliud ſit, quod vult, qui peccat. Omnes quippè homines, qui ſcientes faciunt, quod non licet, vellent licere. Vſque adeò ipſum peccare nemo appetit propter hoc ipſum; ſed proptèr illud, quod ex eo conſequitur*. Ergò Formalitas huiuſmodi non prodeſt: nec *Reduplicatio*, quæ Formalitatem comitatur.

D. Tho. 1. 2. q. 72. ar. 1. S. Dion. de Diu. nom. c. 7.

Ierem. c. 2. S. Auguſt. apud Grat. cau. 15. q. 1. c. merito.

IX. Reflexio quoquè plerùmque non proderit; quià cognitio *directa*, ac ſimplex dirigere nos debet: vt ait Salomon: *Simplicitas iuſtorum diriget eos*: & *in ſimplicitate cordis*, non in ſubtilitate Reflexionis quærendus eſt nobis Deus (vti monet Sapiens). Sæpè enim reflexa cognitio, ac reflexum iudicium eſt contrarium cognitioni directæ, ac ſincero mentis dictamini. Reflexio namquè menti quandoquè intrudit, quod ipſi priùs non arridebat, eſtque veluti Fur, qui non intrat per oſtium cognitionis rectæ; ſed aliundè veluti per feneſtras, vt videtur quodammodò, & ipſa Reflexio captiuare intellectum, non dono Fidei tot miraculis illuſtratæ in obſequium Chriſti: ſed ingenij arte in obſequium ſui, ſuæque voluptatis: dicam quod mihi contingit: Renuebat mens mea conſentire ſuperiori opinioni dicenti eſſe licitum optare mortem Patris, & ſi non vt malum Patris, ſed vt bonum Filij. Verùm reflectens ad Auctorum numerum, ac nomen; ergò nè (me ſic arguebam) ipſe ſolus ero ſapientior alijs; & ego Argus, cæteri Talpæ! Intolerabilis eſt dementia, ac ſuperbia cordis mei! quamobrèm iàm incipiebam eam mihi perſuadere: at breui prodiuit eiuſdem à Summo Pontifice condemnatio: ſic de cæteris philoſophari licebit. Cognitionis directæ fons eſt ſana antiquorum Doctrina, ac principia legitimarum reſolutionum: *Omnis* enim *doctrina ex praexiſtenti ſit cognitione*. Reflexæ verò cognitionis fons, ac fundamentum ſæpe eſt propria perſuaſio, ac mobilis opinio, ſuprà quam veluti ſupèr arenam, alia mobilior fundatur Reflexio, daturque ferè proceſſus in infinitum; quià *nullus*

Prou. c. 11. Sap. c. 1.

Digitized by Google

Sen. ep.16. *lus terminus falſa eſt* (inquit Seneca): Eo autem magis cauenda eſt *Reflexio*, quo plerumque cadit ſuper Doctores, non omni exceptione maiores, quibus tanta non eſſet præſtanda Fides; vel cadit ſuper alia ſimilia parui pendenda.

X. Obiter notandum eſt, quod aliud eſt facere, vel inducere ad malum propter bonum. Aliud vti alterius malo (quod impediri nequit) ad alterius bonum. Aliud gaudere de cauſa mala propter effectum bonum. Aliud gaudere de bono effectu ex cauſa mala. Primum non licet: Secundum verò licet. Deus enim non eſt auctor peccati, ſed peccatis noſtris vtitur ad commendandam magnam miſericordiam ſuam, & ad augendum per cordis contritionem meritum noſtrum; vti cum D. Auguſtino docet D. Thomas; Gaudet de effectu Redemptionis ex mala cauſa voluntatis peſſimæ Hebræorum, qui, *dùm proprio incumbunt ſceleri, famulati ſunt Redemptori*: vti prædicat S. Leo. *Fecit enim Deus per Iudæos neſcientes; vndè redimerentur ſcientes, & confunderentur negantes. Neſciunt enim quid boni nobis operati ſunt malo ſuo*; ſubdit S. Auguſtinus.

S. Tho. 2. 2. q. 78. ar. 4. & q. 98. ar. 4.
S. Leo ſer. 11. de paſſ. Dom.
S. Aug. ſer. 256. de Temp.

CAP. XVI.

De noxia ſubtilitate, ac ſalutari ſimplicitate.

Gen. c. 3. I. *SErpens erat callidior cunctis animantibus terræ*: ſuaque nimia calliditate ſemetipſum, ac humanum perdidit genus, Diuinæque addixit vindictæ. Idem vſuuenit callidis [ſerpentis inſtar] noſtræ tempeſtatis Doctoribus (vt innuimus cum Diuo Bonauentura), qui nimia ſubtilitate quamplures perdunt. Verùm obijciunt hi: Sacra reprehendit Scriptura Filios Ephraim eo, quod nimia columbæ ſimplicitate laborantes amiſiſſent cor; vndè Propheta dicit. *Ephraim, quaſi Columba ſeducta, non habens Cor*. Ergò cauenda ſimplicitas, & ſectanda calliditas; vt monet ipſe Chriſtus dicens. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*.

Oſeæ c. 7.

II. Similem obiectionem S. Franciſco Elias magna præditus humana Sapientia propoſuit; Eamdemque Sanctus Franciſcus ſoluit, *Heu Franciſce ſimplex* (dixit Elias Sapiens) *ac illiterate, vt quid hæc tua indiſcretio, ac ſimplicitas? Præclaros Ordinis viros Religionis Columnas confundis, & hoc tuo Idiotiſmo Religionem tuam peſſumda-*

Lucas Rudingus in Opuſc. S. Franc. to. 3. Proph. 15.

dabis. Cui ſtatim B. Pater ſecretum audiens cordis murmur, inquit: imò Frater Elias. Tu illam faſtuoſa tua pompoſitate, & carnis prudentia deſtruis, tuique ſimiles ordinem ad nihilum ducent. Sed heu miſelle, nec in illa mori tibi concedetur. Quod ità factum eſt. Nam faſtu humano tumens, poſtquam in Miniſtrum Generalem electus eſt, laxiores Ordini dimiſit habenas; plura contra Regulæ puritatem molitus eſt &c. Volo enim (alibi dixerat Seraphicus Magiſter) *Fratres meos Diſcipulos Euangelicos eſſe, ſicque in notitia veritatis proficere; quod in ſimplicitate concreſcant, vt ſimplicitatem columbinam à prudentia Serpentina non ſeparent, quos Magiſter eximius ore ſuo benedicto coniunxit dicens. Eſtote prudentes, ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ.* Simeon Salus, ſeu fatuus indicat erraſſe Originem; quia non ſimplex; ſed nimis ſapiens eſſe voluit; ſic & ego timeo (Diui Apoſtoli uerbis utor) *ne ſicut Serpens Heuam ſeduxit aſtutia ſua; ità corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.*

Ib idem Opuſ. to. 3. colloq. 15.

Baron. an. 548. n. 18.

III. Animaduertendum uerò, quod nullo modo mens mea eſt Scholaſticam Theologiam improbare; vel cum Abbate illo coram Tridentina Synodo deprimere, [ut refert Cardinalis Pallauicinus]. Hanc enim profiteor Catholicæ Eccleſiæ permaximè ſaluberrimam, utpotè quæ argumentorum gladios ad uulnera aduerſariorum acuit, & rationum numerum ità diſponit; ut ipſa dici poſſit, *Terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata*; uel hæc mihi uidetur eſſe Turris Dauid, & quod *mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Verùm quia & Hypocriſis Sanctitatis pallio cooperitur; & Lupus ouina pelle contegitur; ſic Pſeudoctorum uitio euenit, ut quandoque fallacia nomine Theologiæ Scholaſticæ glorietur. Hinc & ego cum Dominico Soto Scholaſticam ueram ab Adulterina Secerno, & hanc Sophiſticā cum B. Iacopono Tudertino abiuro, profiteorque cum Diuo Paulo. *Non plus ſapere, quam oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem.* Nam Deus omnia in Sapientia fecit: Sapientia uerò, *omnia in pondere numero, & menſura diſpoſuit*, adeòut ultrà, citraque eiuſdem diſpoſitionem extrà limites fiant Diuinæ Sapientiæ. Ergò inſipientèr fiunt; imò nulla fiunt, cum dicit Philoſophus, quod *Definitiones ſunt veluti numeri*, quibus ſi addas, aut demas, uel unitatem, uariètur numeri ſpecies. Proptereà *Simum, & Aquilinum* ſi plus iuſtò intendatur, uèl remittatur Simum, uel Aquilinum non erit ampliùs; ſic Philoſophandum de morali loquendi, ac diſſerendi ratione; nam omnia ſuis debent reſpondere principijs; hæc eadem ſentire uidetur Caramuel dicens. *Nolo examinare, an idem ſit* non nolle, & uelle. *Nolo diſquirere*

Card. Pal. Hiſt. Conc. Trid. l. 7. c. 5.

Cant. c. 6.

Cant. c. 4.

Sap. c. 11.

Caram. Theol. fund. n. 819.

Digitized by Google

An nolle *ſit* uelle non? Hæc *enim nimis ſubtilia ſunt*, *& ſupra neceſſitatem loci*, *& temporis vt ſupra Iuriſtarum* Cotburnum.

Senec. l. 1. ep. 49. IV. Abſoluat hoc caput uno lumine naturali fretus Seneca ſic ſcribens Lucillo. *Si me nolueris per deuia ducere; faciliùs ad id quo tendo, perueniam. Nam* (ut ille ait Tragicus) *veritatis ſimplex oratio eſt. Ideòque illam implicare non oportet: nec enim quicquam minus conuenit, quam ſubdola iſta calliditas animis conantibus magna. Aperta docent, & ſimplicia bonitatem:* iam ſcripſerat antè. En ex Senecæ ſententia, & ex naturalis luminis dictamine quanti ſit facienda ad bonitatem moralem ſimplicitas. Sed diſertiùs idem Philoſophus antiquam, & ſanam Sapientiam à Recentiorum ſophiſtica, ac adulterina ità diſcriminat. *Antiqua* (inquit) *Sapientia nihil aliud, quam facienda & vitanda præcepit. Et tunc longè meliores erant viri, poſtquam docti prodierunt, boni deſunt* (nota). *Simplex enim illa, & aperta virtus in obſcuram, & ſolertem Scientiam verſa eſt, docemurque diſputare* (nota), *non viuere.* Studeamus ergo & nos, ut cum Diuo Paulo dicere poſſimus. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis* (nota) *& Sinceritate Dei, & non in Sapientia carnali; Sed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo.* Similia uerbo, & exemplo docuit Magnus Philippus Nerius; fortaſſe hic aptari uideretur illud dictum S. Bonifacij Epiſcopi, & Martyris dicentis. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis vtuntur Calicibus* [uti referunt Gratianus, & Baronius]; ſic nunc Sapientia Recentiorum lignea, uerba aurea, atque ſubtilia.

(Lib. 1. ep. 48. — Sen. ep. 95. — S. P. Cor. 2. c. 1. — Grat. diſt. 1. veſ. de conſec. Bar. an. 755. n. 46.)

CAP. XVII.

Aliæ Radices Pſeudoprobabilium peiores prioribus.

Pontif. c. de pæn. cum infirm. I. VT hominis ægritudo ſanetur, perquirenda eſt morbi cauſa, vt hæc remoueatur: nàm *ceſſante cauſa, ceſſat effectus*; inquit etiàm Summus Pontifex: ſic vt mentis errores ſanentur, eorumdem eſt origo inueſtiganda: quarè hìc aliæ peiores prioribus, errorum cauſæ patefiunt.

Eccl. c. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*: (inquit Sapiens); ſic omnium ferè errorum intellectus mater eſt præſumptio: hæc quamplures ex-

Digitized by Google

excæcat (aiebat B.Catherina Genuenſis illuſtratiſſima à Deo miris B.Cath.
Cæleſtis Sapientiæ ſplendoribus, & ab hominibus illuſtrata inſigni- Vit.p.3.c.
bus encomijs). Nàm *ſcientia inflat* [ſubdit S.Paulus] & vertigi- 34.
nem efficit, & quæ moderata decorat, nimia dedecorat (vndè in- S.P.Cor.1.
quit Ezechiel); *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo*; & qui nimis c.8.
ſcire ſe iactant, ſtupidi fiunt; propterea [inquit Sapiens] *Nè plùs* Ezech.c.
ſapias, quàm neceſſe eſt, nè obſtupeſcas: cui ſubſcribit S.Gregorius 28.
Papa: *prudentiam ſuam* [ait] *plurimam oſtendunt, qui videri præ* Eccl.c.7.
alijs prudentiores appetunt. Vndè fit plerùmque, vt cùm moderatè S Gregor.
ſapere neſciunt, etiam ſatua loquantur. Obſtaculum nàmque (re- Mor.l.17.
petit idem) *Veritatis eſt tumor mentis; quià dum inflat, obnubi-* c.11.& l.
lat: ſic in mente (inquit iterùm S.Gregorius) *ſuperbia, ſicut in* 23.c.10.
oculis caligo generatur quo ſe hæc latiùs dilatat, eò vehementiùs lu- S.Gregor.
men anguſtat. Conantur tamèn hi dogmata legibus contraria, legi- Moral.l.
bus ipſis velare, & tamquàm legibus conſentanea venditare, & ſub 24.c.13.
nomine, ac colore legis, ſuas opiniones docent; *Theologus noſter*
(repeteret S.Bernardus) *verbis legis, legem impugnat*; & idcircò
apud Ieremiam dicunt: *Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſ-* S.Ber.ep.
cum eſt: vti faciebant ſeniores Iudęorum & Phariſęi: *Seniorum* 369.
enim (inquit S.Ireneus) *ipſorum traditio, quam ex lege obſeruare* Ierem.c.8.
fingebant, contraria erat legi, quæ data eſt per Moyſem. Proptèr S.Iren.Ad
hoc, & Iſaias ait; Caupones tui miſcent vinum aqua, oſtendens, uerſ.Her.
quod auſtero Dei præcepto miſcerent Seniores aquatam traditionem; l.4.c.25.
ideſt aggredientes adulteratam legem, & contrariam legi, ſicut &
Dominus fecit manifeſtum dicens eis: quarè vos tranſgredimini
præceptum Dei proptèr traditionem veſtram? Non ſolùm autèm
per prauaricationem fruſtati ſunt legem Dei, miſcentes vinum
aqua; ſed & ſuam legem contrariam ſtatuerunt, quæ vſquè adhuc
Phariſaica vocatur. In qua quædam quidèm auferunt, quædam
verò addunt, quædam autèm quemadmodùm volunt, interpretan-
tur, quibus vtuntur ſingularitèr Magiſtri eorum. De iſtis dixit
Ieremias; *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui*: cui Ier.c.49.
ſubdit S.Paulus: *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Nàm S.P.Rom.
(inquit Sapiens) *Superbus, & arrogans vocatur indoctus*. c.1.
Prou.c.21.

II. *Aliqui ſunt, qui plùs credunt Magiſtro, ac Rabbinis, quàm*
Moyſi; plùs Interpreti, quàm Legislatori: Doctoribus, quàm Su-
perioribus: Nàm quemadmodùm, *qui tetigerit picem, inquinabi-* Eccl.c.13.
tur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam; ſic
qui commmunicauerit cum homine aliqua opinione affecto, eadem
quoquè opinione afficietur; naturale namquè eſt *opinionibus homi-*
num tangi (inquit Seneca): nàm cùm ſint homines eiuſdem ſpeciei, Sen.ep.16.
eaſdem ſolent pati affectiones; multò magis ſi ſint ejuſdem Gentis:
ite-

S.P.Cor.1. iterùm magis ſi ſint eiuſdem Regionis, vel Religionis, vel profeſſio-
c.5. nis, veluti etiàm Diſcipulus, ac Magiſter: affectus namquè facit,
Galat. c.5. vt facilè videatur bonum; quod amatur; & *modicum fermentum to-*
tam maſſam corrumpit: Hinc dicit Ariſtoteles, quod *in quærenda*
Ariſt.met. *veritate multùm valet conſuetudo, & ſicuti conſueuimus, ità di-*
l.2.c.3. *gnamur dici*; & de hac veritate legitur exemplum valdè Eccleſiæ
pernicioſum, de Didymo, eiuſque amicis, & aſſeclis in doctrina
Baron. an. Origenis: vt refert Baronius: ad hanc rem ſic etiàm ſcribit Sanctus
372.n.94. Auguſtinus.

III. *Quoniàm procliue eſt humanum genus, non ex momentis ip-*
ſius libidinis; ſed potiùs ſuæ conſuetudinis æſtimare peccata, fit ple-
S.Aug.de Doctr. *rumquè, vt quiſque hominum ea tantùm culpanda arbitretur,*
Chriſt.l.3. *quæ ſuæ regionis, & temporis homines vituperare, atquè damnare*
c.10.to.3. *conſueuerunt, & ea tantùm probanda, atquè laudanda, quæ con-*
ſuetudo eorum, cum quibus viuit, admittit. eoque contingit, vt ſi
quod Scriptura, vel præceperit, quod abhorreret à conſuetudine
audientium, vel quod non abhorreret, culpauerit, ſi animum eo-
rum iàm verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent.
Non autèm præcipit Scriptura, niſi CHARITATEM, nèc culpat,
niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum: *Intelligebam*
S.Clem. Recog.ad (diceret etiàm nunc S.Clemens Papa, & Martyr) *quod ſententiæ,*
Iacob.l.1. *ac definitiones rerum non pro natura ſua, ac veritate cauſarum; ſed*
S.Vincent. *pro ingenijs defendentium falſa imaginarentur, aut vera*; hoc idem
com.1.c.25 videtur innuere S.Vincentius Lirinenſis.

Saul. Reg. IV. Videtur accidere huiuſmodi hominibus, ſicut contingit
1.c.19. ſeruis Saul, qui in medio Prophetarum prophetabant, &
ipſi, ſicut etiàm ipſe Saul. Videntur hi imitari Hebræos profiten-
tes Doctrinam Thalmud, qui tradit Doctores præferendos Moyſis
Sixt.Sen. legi: vt refert Syxtus Senenſis, & innuit S.Hieronymus, & dixit, ac
Bibl.l.2.v. t.41. præcauit ipſemet Chriſtus dicens. *In vanum me colunt, docentes*
S.Hier.l.2. *Doctrinas, & præcepta hominum*. Etenim audiens quidam dam-
comment. nationem Propoſitionum à Summis Pontificibus reſpondit. *No-*
in c.15. Math. *ſtri Doctores diuerſa docent*, cui alter uerè pius dixit. *Ego certiſ-*
ſimus ſum Chriſtum Filium Dei dediſſe claues Regni Cælorum. D.
Petro, & Succeſſoribus, non autem eas dediſſe tali, vel tali Docto-
ri. Inſupèr ſcio præceptum nobis eſſe in Scripturis obediendum eſ-
S.Luc.c.10 ſe Præpoſitis, ac Poteſtatibus ſublimioribus; ſunt enim miniſtri,
& os Dei ſuperiores, & illis teſtatus eſt Chriſtus; *qui vos au-*
dit, me audit. Qui vos ſpernit, me ſpernit. Quare Deo, eiuſ-
D.Thom.2 que Filio obtemperabo in ſuo Vicario, ac Legatis. Hanc eam-
2.q.10. ar 12. dem ſententiam profitebatur S. Thomas cum Venerabili Beda
Baron. an. apud Baronium. *Maximam habet* [ait S.Thomas] *auctoritatem*
34.n.148. *Ec-*

Digitized by Google

Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſempèr eſt in omnibus æmulanda; quià, & ipſa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet: vndè magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm auctoritati, vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cuiuſcumque Doctoris - Audiant Moderni Caſiſtæ, & ea re caueant, nè de ipſis dicat Iob: *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius.* Iob.c.24. Cùm & ipſe Caramuel dicat, eo vſquè probabiles eſſe opiniones, quouſquè à Summo Pontifice, vel Sacra Congregatione non fuerint reiectæ. *Præclara eſt in hac re apud Platonem Socratis ſententia ità monentis; Vos ſi mihi aſſentiamini, non Socrati credite, ſed veritati.* Car.Theo. Fund. p.2. n.12.43. 46. Plato l.29. Phædo.

CAP. XVIII.

Doctorum Conſulta quanti facienda.

I. O*Mnis regula generalis patitur exceptionem*: vt vulgò dicitur: nàm generi plures adueniunt differentiæ, quæ diuerſas conſtituunt ſpecies; quamobrèm legibus vniuerſalitèr latis cæpit deſiderari Doctorum interpretatio [inquit Imperator]: Eſt autèm Doctor, qui poſt exactum in aliqua facultate ſtudium accepit à competente Principe, poteſtatem interpretandi emergentes ambiguitates ex Regulis, ac Principijs eiuſdem facultatis. Interpretatur enim Doctor, non auctoritatiuè, & iudicialitèr, ſed ſcholaſticè, & doctrinalitèr. Doctor namquè à Doctrina dicitur. *Omnis autèm doctrina* (inquit Ariſtoteles) *& omnis diſciplina diſcurſiua ex præexiſtenti fit cognitione.* L. neceſſarium ff. de orig. Iur. Ariſt.Poſt. l.1.c.1.

II. Hinc Summus Pontifex cum D.Hieronymo, ac Sàlomone quemlibet Doctorem admonet, dicens: *Nè innitaris prudentiæ tuæ; prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda, uel dicenda uidentur Patrum Decretis præponit*: inquit S.Hieronymus: quibus & ipſe Ariſtoteles ſübſcribit dicens. *Probatæ leges id maximè uetant, nè quis ſe legibus ſapientiorem uelit oſtendere.* Non enim Princeps concedit illis pro arbitrio ius condendæ legis; ſed ex legibus, quænam ſit legis, ac Legiſlatoris voluntas, dat declarandi facultatem; nàm omnis Doctorum reſponſio ex præexiſtentibus debet oriri Radicibus, & eorumdem concluſio, ac conſultum debet poſſe reſolui ad illas, tamquàm ad principia moralia; ſecùs non eſſet Doctor, ſed illuſor, & ſeductor, & de eiuſmodi, ac ſimilibus iterùm diceret Ieremias: *Verè mendàcium operatus eſt, ſtylus mendax* C Ne innitaris. De Conſt. Ierem. 8.

dax Scribarum . Nàm ſicut Doctrina ex primis principijs , veluti riuulus ex fonte deducitur, ſic doctrina ipſi debet poſſe reduci, veluti riuulus ad ipſum fontem: ſecus non eſſet ſana doctrina: ſic etiam docet Ariſtoteles in Analiticis: nam Methodus tradendæ doctrinæ eſt duplex. 1. *Compoſitionis*, quando à fundamentis, ac principijs incipimus, vt ad vlteriora progrediamur. 2. *Reſolutionis*, quando ab ipſis Reſolutionibus, ac reſponſis particularibus regredimur, veluti filo Ariadnes ad prima principia: vt ſic ad ianuam ſcientiæ reuertamur, & agnoſcamur an per oſtium intrauerimus, vel aliundè.

III. Doctor enim eſt veluti Ciſterna, quæ alieni fontis acquis repletur: vndè eidem dicitur, quod prius ſit *Concha*, quam ſit *Canalis*; vt monet Sanctus Bernardus: priùs Ciſterna, quæ aliundè repleatur; deindè fiat fons, qui alios repleat. *Bibe aquam* [ait Salomon] *de Ciſterna tua, deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuede*. Huic cum Diuo Paulo indicit Sanctus Vincentius Lirinenſis. *Depoſitum cuſtodi, id eſt, quod tibi creditum, non quod à te inuentum eſt. Aurum accepiſti: aurum redde: nolo mihi alia pro alijs ſubijcias. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod anteà obſcuris credebatur: eadem, quæ didiciſti, doce; vt cum dicas nouè, non dicas noua*. Debet enim cum Chriſto Doctorum omnium Magiſtro reuerentèr profiteri. *Doctrina mea, non eſt mea: ſed eius, qui miſit me. Nàm qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit*. Ergò Doctor ſi à ſemetipſo non loquitur, & iuxtà proprium ſenſum, nèc gloriolam propriam quærit, debet profiteri Doctrinam Summi Pontificis mittentis, ſi Theologus, vel Canoniſta ſit; vel Principis, ſi Legiſta. Ipſe nàmque Doctor non eſt liber legis: ſed Index, vt poſſit cum Michæa Propheta, dicere: *Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te*. Proptereà D. Hieronymus Celantiam hiſce monet; *Nequè eorum te ſeducat error, qui ex arbitrio ſuo eligunt, quæ potiſſimum Dei mandata faciant, quæue quaſi vilia, ac parua deſpiciant, nèc metuant, ne ſecundam Diuinam ſententiam minima contemnendo paulatim decipiant*. D. Hieronymo arridet S. Auguſtinus ſic: *Non afferamus* (ait) *ſtateras doloſas, vbi appendamus, quod volumus* (nota) *& quomodò volumus pro arbitrio noſtro* (pondera) *dicentes hoc graue, hoc leue eſt: ſed afferamus Diuinam ſtateram de Scripturis Sanctis*.

S. Bern. ſer. 15. ſupra Cant.
Prou. c. 5.
S. Vincent. commonit. 1. c. 27.
S. Ioa. c. 7.
Michæ. c. 6.
S. Hier. ep. 20. l. 2.
S. Auguſt. apud Gr. t. can. 24. q. 1. c. non.

IV. Monendi igitùr ſunt iterùm Doctores, quod ipſi debent legem quaſi lucernam præferre, eamque ponere ſupèr candelabrum explicationis, vt omnes lumen videant, non ſuarum opinionum: ſed lumen Sacrarum legum: nàm *lucerna pedibus meis verbum*

tuum

Digitized by Google

tuum (nota) *& lumen ſemitis meis*; canebat Dauid; Dei verbum, non hominis commentum lucerna eſt; vndè de quolibet Doctore intelligi poteſt, quod à S.Ioanne Euangeliſta dictum eſt de S.Ioanne Baptiſta: *Non erat ille lux; ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine*; Sic Doctor non eſt lux; nèc ipſius opinio lex; ſed veluti teſtis, quid lex iubeat; non eſt auctor ipſe legis; ſed interpres. *Vnus enim* (inquit S.Ambroſius) *verus Magiſter eſt, qui ſolus non didicit, quod omnes doceret: Homines autèm diſcant priùs, quod doceant, & ab illo accipiunt, quod alijs tradant*. Vtinàm ità vſuueniat, nèc adſint, qui Doctorali dignitate inſigniti, veluti Regio Sigillo donati, hac contrà Regem abutantur, ſuas opiniones legis nomine decorantes, contrà ipſius legis ſententiam. Cùm tamèn, & ipſa Sanctorum Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, & ſimilium dicta Sacris Canonibus ſint poſtponenda [vt ſcribit Leo Papa apud Gratianum] cùm ab Eccleſia ſumant & ipſi auctoritatis robur; *Numquid igitùr* [loquar cum Iſaia] *gloriabitur ſecuris contrà eum, qui ſecat in ea? Aut exaltabitur Serra contrà eum, à quo trahitur? quomodò ſi eleuatur virga contrà eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtiquè lignum eſt*. Attendant Recentiores an doctrinali auctoritate inflentur aduersùs eleuantem eos; & attendant an imitari videantur Lutherum, qui Danielis verbis gloriabatur dicens. *Spiritus, ſapientia, & intelligentia ampliores inuentæ ſunt in me*; vti refert Adrianus Sextus in Breui ad Ducem Saxoniæ, anno 1522. Si hæc ſentis; *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te, & dixiſti in corde tuo: Ego ſum, & præter me, non altera*; ſcilicèt ſapientia. *Arrogantia ſiquidèm* (confirmat Ieremias) *tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: ergò ne plùs ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas*: monet Eccleſiaſticus. Cui reſpondet Apoſtolus; *Non plùs ſapere, quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem: & cauendum* (ſunt verba Platonis) *ne vltrà quàm doceat, ſapientes facti, clàm vos ipſos deprauetis*.

Pſal. 118. S.Ioan.c.1. S.Amb.l.1. c.1.off. Grat. diſt. 20.c.11. de libellis. Iſa.c.10. Dan.c.5. Iſa.c.47. Ierem.c.49 Eccl.c.7. S.P.Rom. c.12. Plato l.24. Gorgias.

V. Si Doctor diuinarum rerum ſcientiam profiteatur, *Theologus* nuncupatur; ſi verò profiteatur Iuris poſitiui, ac Sacrorum Canonum cognitionem, *Canoniſta* appellatur; ſi Iuris Cæſarei, ac Imperatoriarum legum notitiam, dicitur *Legiſta*. Demùm ſi ſpiritualium rerum, ac interioris hominis peritiam profiteatur, *Pater ſpiritualis, Director, & Dux ſpiritualis* dicitur. *Theologus* in materia Iuris Diuini, tàm veteris, quàm noui cæteris Doctoribus præponitur. *Canoniſta*, in materia Iuris Canonici, ac Pontificij. *Legiſta* in materia legali, ac Iuris Ciuilis. *Vnuſquiſque enim in ſua Arte ſapiens eſt* (inquit Eccleſiaſticus) *& tractant fabrilia fabri* tum m Poeta vulgus ait. *S.Auguſtinus præfertur in ſubtilitatibus* Eccl.c.38.

ac quæſtionibus. S.Hieronymus in tranſlationibus, ac exponendis ſcripturis. S.Ambroſius in ſermonibus; S.Gregorius Papa in moralibus: ità monet B.Angelus à Clauaſio.

B.Ang ſumm. Angel. v. opinio.

VI. Doctor autèm in ſpiritualibus triplici debet pollere virtute, vt idoneus ſit Doctor, & Ductor; nè cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadant (vt aiunt cum D.Thereſia S.Franciſcus Saleſius, & Ioannes Auila, & dicitur in libro inſcripro Italicè *B.Catherina Genuenſis illuſtrata*) 1. *Scientia* illius facultatis, quam profitetur, veluti Theologiæ moralis. 2. *Prudentia* diſcernendi particularia, quæ cuique congruunt, quantùm, quomodò, quandò; & cum cæteris circumſtantijs. 3. *Bonitas morum*, quæ paſſionum fumum diſperdat, & lumen à Deo luminum Patre obtineat, ad diſcretionem ſpirituum. Hiſce ſubſcribit iterùm S.Thereſia Seraphica Magiſtra ſpiritualium. Prima dos eſt *rara*: Secunda *rarior*. Tertia *longè rarior*: omnium collectio *rariſſima*; vt indicat Spiritus Sanctus dicens: *Conſiliarius ſit tibi vnus ex mille*; vt explicant Cornelius à Lapide, & Diuùs Saleſius. Hiſce accedit Plato. *Cenſeo in eo* [ait] *qui alicuius probaturus ſit animam, vtrùm illa quidèm rectè inſtituta ſit, nunc tria potiſſimùm requiri: ſcientiam primò: deindè opinionem prudentis, ſcilicèt atquè beneuoli: tertiò audaciam. Nàm multos equidèm reperio, qui me proptereà recto examine probare non poſſunt, quod ſapientes non ſunt. Alij verò Sapientes quidèm ſunt; ſed veritatem quidèm mihi dicere nolunt. Peregrini iſti ſapientes quidèm ſunt, meque diligunt: verùm deeſt eis audacia.* Præſens caput ſequenti illuſtratur.

Eccl. c. 6. Diu. Sales Introd. p. 1. c. 14. Plato. l. 24. Gorgias.

CAP. XIX.

Doctorum opinio, qua æſtimanda.

I. SPiritus Sanctus Doctor veritatis increatus *non loquitur à ſemetipſo: ſed quæcumque audiet, loquetur* [inquit Sanctus Ioannes]. Ergò multò magis homo ex ſe Doctor falſitatis (*eſt enim Omnis homo mendàx*) non debet loqui à ſemetipſo, & ex propria opinione; ſed quæcumque audiet à Petro Dei Vicario loqui debet; ſicuti Gregorius, & cum eo Sanctus Raymundus de Pegnafort repetunt ex Concilio Moldenſi, ac Salomon. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Doctor enim eſt veluti lucerna. *Lucerna autem* (inquit Sanctus Ambroſius) *lucere non poteſt, niſi aliundè lumen acceperit; quia ne-*

S.Ioa. c. 16. Pſal. 115. Conc. mil. Salom. l. c. ne innitaris de conſt. S. Ambr. comment. in Luc. l. 7. c. 11.

Digitized by Google

nemo noſtrum ſcit niſi, qui diſcit. Subdit Sanctus Iſidorus Hiſpa- *S.Iſid.orig.*
lenſis: hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus, ac Sanctus Baſilius *ſeu Ethim.*
Magnus; non ex proprio ingenio: ſed ex maiorum ratione, ac au- *l. 1.c.1.*
ctoritate interpretabantur Diuinam, ac Sacram Scripturam: (vide- Breu.Rom.
bantur facto ipſo profiteri D. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi ſenten- *9. Maij.*
tiam) quod *inueſtigationem veri multorum eſt quærere*; *ſed pauco-* *S.Iſidor.*
rum eſt inuenire: nec ipſi ex paucis Inuentoribus ſe putabant: & *ſent.l.2 c.1*
ideò aliorum inhærebant ſententijs, iuxtà Sancti Iſidori monitum.
Diſce, quod neſcis, ne Doctor inutilis inueniaris: ante ſis auditor, *S.Iſidor.l.*
quàm Doctor, per diſciplinam magnum accipiens nomen, & bo- *de contem-*
num quod didiceris, doce, diſcendi, & docendi ne contemnas *ptu mundi*
ſtudium. Doctrina quantò plus fuerit data, tantò plus abun- *c.de doct.*
dat.

II. Doctoris enim opinio debet eſſe *probabilis*, ſeu *veriſimilis*.
Veriſimilis autem eſt, quæ legi congruit: *lex enim eſt veritas* [vt *Pſal.118.*
inquiunt Dauid, & Plato]. Ergò ſi legi non eſt ſimilis, non eſt pro-
babilis. Ergò ſpernenda. Opinio namque hominis per ſe præciſe
non eſt colenda. *Dominus enim ſcit cogitationes hominum; quoniam* *Pſal.*
vana ſunt; vani autem (inquit Sapiens) *ſunt omnes homines, in qui-*
bus non ſubeſt ſcientia Dei. Scientia verò Dei non ſubeſt; vbi Di-
uinarum legum, ac humanarum (quibus à Diuina Scriptura parere
iubemur) ignorantia ineſt, & multò magis ſi diſſonantia adeſt, ac
vana ſciendi præſumptio. Quamobrèm.

III. Cum de Doctorum opinione agimus, monitum auditorem
volo, quod duplex Doctoris opinio aſſignanda videtur. 1. Opinio
in primis: opinio Iuris potius dicenda cenſetur, eſtque ea, quæ iu-
ri, vel naturali, vel Diuino, vel humano inhæret. Nam ſicuti Im-
perator Iuſtinianus quia veterum Iuriſconſultorum ſententijs
robur impertit, ſuas appellat ſic dicens: *Omnia meritò noſtra faci-* *Imp.de*
mus: quià ex nobis omnis eis impertitur auctoritas: ità enim opi- *concept. ff.*
nio, cui ius fauet, *opinio Iuris* nuncupanda videtur. 2. *opinio* verò, *de Trib. §.*
quæ nulli iuri, ſed vni, ac mero Doctoris placito inhæret, nec alio *9.*
roboratur fundamento, quam *Ipſe dixit*; opinio Doctoris dicita-
tur. Eſt enim Recentior Theologus, qui docet noua; non vetera
noua; vt loquitur S. Vincentius Lirinenſis.

IV. Huius modi diſtinctio colligi videtur etiàm ex Iſaiæ verbis
inſinuantis dari Doctrinam ſanam glorificantem Dominum, & Do- *Iſai.c.24.*
ctrinas hominum irritantes Deum, quæ omnia apud S. Matheum *29*
ab ipſo Chriſto confirmantur. Prior Doctrina eſt ſcientia Dei: Al- *S.Mat.c.15*
tera eſt opinio, & commentum hominum. Vbi autèm non ſubeſt *S.Mar.c.7.*
ſcientia Dei, ineſt cogitationum vanitas (vt dixit Sapiens): Scien-
tia autèm Dei abeſt, vbi non adeſt cognitio veritatis. Cognitio ve-

Digitized by Google

ritatis non adeſt, vbi abeſt conformitas cognitionis cum re: res,
Pſal. 118. cui debet eſſe cognitio conformis, eſt lex (vt dicit Pſaltes): *Lex tua veritas*. Lex verò Dei legibus Principum iubet obſequium præſtari: vndè ex Superioribus innoteſcit, ſi non adeſt conformitas opinionis, nèc formalis. [quià neglecta ſit requiſita inueſtigandæ veritatis diligentia] opiniones hominum, ac Doctrinæ erunt mendacium, ac Somnium, ac Recentiores hiſce imaginarijs commentis, & Doctrinis ſeſe illudent. Non enim fons ſapientiæ eſt noſtra opinio: vti videbantur profiteri quondam Carpocratiani, & alij apud D.Dhomam: ſed *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis* [ait
D. Tho. 1. p. q. 85. ar. 2. Eccl. c. 5. Iſai. c. 56. Sapiens] qui Fons in omnes leges, veluti in riuos decurrit. Caueant ergò nè de ipſis prædicet Iſaias: *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia: ſicut autèm ſomniat ſitiens* (ſunt eiuſdem Iſaiæ verba) *& bibit, & poſtquàm fuerit experge-*
Iſai. c. 29. *factus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt*: ſic qui propriarum opinionum ſomnia ſectantur, ſitim ſciendæ veritatis non explent; ſed cùm expergefacti fuerint *ex ſpiritu ſoporis*, per ipſummet Prophetam prædicto, inuenient ſe vacuos. Propterea.

S. Franc. opuſc. to. 3. collat. 15. ¶ V. Fratres (ait S. Franciſcus) *qui ſcientiæ curioſitate ducuntur, in die tribulationis inuenient manus ſuas vacuas; ideò vellem eos magis roborari virtutibus, vt cùm tempus tribulationis venerit, ſecum haberent Dominum in anguſtia. Ventura eſt enim tribulatio, quandò libri ad nihilum vtiles in feneſtris, & lateribus proÿcientur: Nolo fratres meos cupidos eſſe ſcientiæ, & librorum; ſed volo eos fundari ſuper ſanctam humilitatem, & imitari puram ſimplicitatem, ſanctam orationem, & Dominicam paupertatem. Hæc via ſola eſt ſecura ad propriam ſalutem, & aliorum ædificationem; quoniàm Chriſtus, ad cuius imitationem vocati ſunt Fratres, hanc ſolam nobis oſtendit, & docuit verbo paritèr, & exemplo. Multi Fratres occaſione ædificandi alios, dimittent vocationem ſuam, videlicèt ſanctam humilitatem, puram ſimplicitatem, orationem, & deuotionem, atquè Dominam noſtram paupertatem. Et continget illis, quò vndè magis putabant imbui, ſeu impleri deuotione; & accendi amore, & illuminari Dei cognitione proptèr intellectum Scripturæ; indè occaſionalitèr remanebunt intùs frigidi, & vacui, & ſic ad priſtinam vocationem redire non poterunt; quià tempus viuendi ſecundùm vocationem ſuam in vano, & falſo ſtudio amiſerunt*: qui iterùm ſic eoſdem hortatur.

S. Franc. t. 3. collat. 19. VI. *Nè appetatis Fratres vocari Magiſtri ſcientes nomen Magiſterÿ ſoli ipſi Chriſto conuenire, per quem omnia facta ſunt opera. Ego vellem libentèr ſcire facere omnia: ſed nollem eſſe Magiſter, nec*

Digitized by Google

nèc Magiſtri nomine inſigniri ; nèc ex tali nomine contrà verbum Chriſti in Euangelio prohibentis facere viderer ; quià melius eſt eſſe humilem cum paupercula ſua ſcientia, quàm ſi eſſet poſſibile ſcire, facere omnia mirabilia, & magnalia, & præſumere contrà glorioſi Magiſtri humilia documenta. Nàm nomen Magiſterij nemini conuenit, niſi Domino Ieſu Chriſto, cuius perfecta ſunt opera, & mandauit vt nullus ſupèr terram Magiſter vocaretur, nèc vocari præſumeret; quia vnus ſolus, & verus abſquè defectu in Cælis eſt Magiſter benedictus Chriſtus, qui eſt Deus, homo, & vita, Conditor mundi, laudabilis, & glorioſus in ſæcula ſæculorum. Amen. Cui ſeruit à lingua Summus Pontifex ipſius Chriſti immediatus Vicarius, & propterea ſecundus à Chriſto Magiſter Eccleſiæ: vt diximus ſupra, & dicemus infrà. *Par.4.c.1.&c.*

VII. *Audite Filij diſciplinam Patris* [vt monet Salomon] *& attendite vt ſciatis prudentiam in omni tempore.* *Prou.c.8.* Imò audiant vniuerſi Recentiores Sanctiſſima Seraphici Patriarchæ monita: nec vlterius iactent dicentes. *Nos Doctores ſumus. Noſtrum eſt declarare quid peccatum, quidue Conſcientia à fidelibus exigat. Summus Pontifex declaret fidei dogmata. Nos verò morum præcepta enucleabimus.* Hi ſenſus, ſenſus ſunt Recentiorum, & hi tanti Patriarchæ apertè diſſonant monitis, qui tamen potuiſſet cum D. Paulo profiteri. *Puto, quod & ego ſpiritum Dei habeam.* *1.P:Cor.4.c.7.*

CAP. XX.

Doctores qui cauendi.

I. NOn omnis Doctor eſt doctus; nec omnis doctus eſt probus: quamobrem vel defectu doctrinæ, vel exceſſu paſſionis, aut malitiæ, prodire poſſunt minus tuta conſilia: propterea diſertis verbis vnumquemque monet Eccleſiaſticus. *Eccl.c.37. v.9.* *A conſiliario ſerua animam tuam; prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas, & ipſe enim animo ſuo cogitabit: & ſtet è contrariò videre quid tibi eueniat.* Sic exponit Cornelius à Lapide ibidem. *Attendite* idcircò (dicit Chriſtus) *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autèm ſunt lupi rapaces.* *S.Math.c.7* Huiuſmodi Doctores arguebat Ieremias (vt alibi dictum eſt): *Quomodò dicitis Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt: verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum: verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. A Propheta vſq; ad Sacerdotem cuncti faciunt menda-* *Ier.c.8.*

da-

Iſa,c.30. *dacium, dicentes: Pax: Pax: cùm non eſſet Pax* ; quibus Iſaias quoquè ſic minatur; *væ filij deſertores* [dicit Dominus] *vt faceretis Conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſupèr peccatum*, vt ſuperiùs

S.Mat.c.23 diximus. Huiuſmodi Doctores ſic moneri à Chriſto videntur. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, Hypocritæ, qui clauditis Regnum Cælorum antè homines*: vbi ſic exponit S.Cryſoſtomus. *Regnum Cælo-*

S.Cryſ.ho. 44. *rum dicuntur Scripturæ; quia in illis inſertum eſt regnum Cælorum. Ianua eorum Intellectus earum; vel regnum eſt beatitudo cæleſtis, ianua autèm eius eſt Scriptura, per quam introitur ad eam. Clauicularij autèm ſunt Sacerdotes, quibus creditum verbum docendi, & interpretandi Scripturas. Clauis eſt verbum ſcientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis. Adapertio eſt interpretatio vera. Quomodò claudebant Scripturas Sacerdotes? Aliud pro alio interpretantes. Nèc ipſi intrant in veritatem Scripturæ proptèr auaritiam: nequè alios intrare permittunt proptèr ignorantiam.*

XI. Verùm contrà hos Doctores, qui ſe accommodant hominum ingenio, & accommodatitio ſenſu [vt dicitur] eis loquuntur, Theologique accommodatu dici queunt, valdè clamat Ezechiel;

Ezech.c.13 ſimiles eſſent hi Scribis, & Phariſæis, quos Chriſtus ſic arguit:

S.Mat.c.15 *quarè vos tranſgredimini mandatum Dei proptèr traditionem ve-*

S.Marc.c.7 *ſtram. In vanum me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum, relinquentes mandatum Dei, tenetis traditionem homi-*

S.Mat.c. 23. *num. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam; vt faciatis vnum proſelytum; & cùm fuerit factus, facitis eum Filium gehennæ duplo quàm vos*: quæruntur ſanè Aſſeclæ, clientes, Filij, diſcipulique ſpirituales ſub nomine ſalutis æternæ; ſed re vera pro aura, auroue. Vtinam nunquam adueniat illa

S.P.Tim. 2.c.4. tempeſtas, de qua ad Timotheum ſcribit Apoſtolus. *Erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, Sed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur; in qua abſconde-*

Eſdra l.4 c.5. *tur veritatis via* (vt prædixit Eſdras), & vtinam ſempèr nobis dies affulgeat, qua per Ieremiam dicit Dominus: *Dabo vobis Paſtores*

Ier.c.3. *iuxtà cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina.*

XII. Nemo igitur Doctorum ſit, qui imitetur Conſtantium quondam Imperatorem, qui cum ei opponeret D. Euſebius Vercellenſis Canones Eccleſiæ, ipſe reſpondit. *Quod ego volo, pro Canone ſit.*

Baron.an. 355.n.23. *Me enim ſic loquentem ſuſtinent Epiſcopi Syriæ*; ſic aliqui Recentiores numerant alios complures, qui eos citant, & ideò exiguot, vt eis credatur à cæteris, quaſi Canonibus; vt hìc Imperator. Caueant

ta-

Digitized by Google

tamèn ne ſint ex illis de quibus conqueritur Deus per Haiam dicens. *Tranſgreſſi ſunt leges*, *mutauerunt ius*, & ne factis quidem cum Anaſtaſio audeant Imperatore dicere. *Nos iubere volumus*; *non nobis iuberi*; hos Imperatores dolet Caramuel, quod plures Recentiores ſequantur, eorumque ſenſum ſic canendo refert. *Iſa. c.24. Baron. an. 517 n.46. Car. Theo. Fhnd.20;.*

Sic libuit ſentire. Stetit pro mente voluntas.
Munus erit veſtrum dogmata noſtra ſequi.
Nulla fides veſtrum oculis eſt debita; plena
Verbis; ſed noſtris eſt adhibenda fides.

IV. Vtinam ſentirent de ſeipſis, quemadmodùm de ſeipſo ſenſit celeberrimus Thomas de Vio Cardinalis Caietanus ſic ſcribens: *Omnes moneo, vt dictorum tantum rationes videant; atque examinent; & ſic acquieſcant, vel refutent. Non enim tanti ſum, nec ſic arrogans: vt meam proponam auctoritatem; ſed eatenus dico hic, & vbique, quatenus reddita ratio teſtatur. Propterea vbi defecero, Correctori, vt adiutori, gratias agam.* Sequutus eſt Cardinalis iſte exempla Sanctorum Auguſtini, & Hieronymi (vt refert Gratianus diſtinct.9. ferè tota) & Hieronymus præſertim, qui cum conſuleretur à Summo Pontifice Damaſo, nihilominus ipſe Conſtantinopolim perrexit, vt Sanctum Gregorium Nazianzenum, ac Didymum conſuleret (vt etiam refert Baronius. Nam *Animus moderatus* [inquit Plato in Phędone] *& prudens Ducem ſpontè ſequitur.* *Caiet. in praf. cōmen. prima par. D.Thoma. Baron. an. 379.n.17.*

V. Non abs re erit ſenſum Cornelij à Lapide hic referre circa Doctorum ſententias, & electionem; ſic enim ſcribit. *Error* (inquit) *in fide eſt Atheiſmus*, *Paganiſmus*, *Saraceniſmus*, *Hæreſis*; *Atheo enim Atheiſmus*, *Pagano Paganiſmus*, *Saraceno Saraceniſmus*, *Hæretico Hæreſis videtur recta fides, rectaque via ad ſalutem: at nouiſſima eius ducunt ad mortem*, *& gehennam*. *Error in moribus eſt*, *quo quis licitum putat*, *& honeſtum*, *legique Dei conforme*, *quod difforme eſt*, *inboneſtum*, *& illicitum*. *Id autem crebrò accidit* (nota) *cum quis nimis indulget*, *& credit iudicio*, *vel ſuo*, *vel imperitorum*, *aut prauorum Conſiliariorum*, *Magiſtrorum*, *Confeſſariorum*, *&c. Quarè tacitè hic monet Salomon; ne quis confidat ſuo iudicio*, *vel aliorum*, *niſi nouerit* (nota) *eos peritos eſſe*, *& probos*. *Imprudens enim*, *& infelix eſt*, *qui ſequens ductum malorum Conſiliariorum*, *vel Confeſſariorum rogatus*: *quò vadis? Reſpondet*. *Quò iſti me ducunt*: *iſti enim ſe*, *ſuoſque aſſeclas ducunt ad mortem*. *Corn. in Prou. c.14. v.14.*

VI. Vndè conſtat, quod non ex opinione, ſeu Conſilio Author; ſed ex Auctore opinio, ac ſententia eſt penſanda. Author verò non ex nomine: ſed ex ſpectata ſapientia, ac probitate eſt cenſendus: ſicuti etiã

de-

L.3.Teſtiū ff.de Teſt. declarat Imperator, quod non dicto Teſtis; ſed Teſti dicenti eſt credendum; ſi nimirum omni exceptione maior ſit, ſuæque dictionis rationem reddat: *Teſtium* enim *Fides diligentèr eſt examinanda* (ait idem Imperator ibidem): Hinc circumfertur Axioma eiuſdem Imperatoris. *Teſtibus, non Teſtimonijs credendum eſt*. Hodiè autèm piaculum eſt, ſi cuiuſuis Auctoris libello non credatur; cùm ſæpè quis ſit ille, ignoremus, niſi ex fallaci fortaſsè fama: nè tędeat nos cum D. Auguſtino ſic repetere: *Elige tibi conſiliarios bonos Deum timentes, & veritatem amantes. Sæpè etenim adulatores blanda facie decipiunt animas audientium ſe, & perpetua mortis laqueis interimunt. De talibus enim dicit Pſalmiſta. Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent; confuſi ſunt; quoniam ſpreuit eos, & Apoſtolus dicit; Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Vnuſquiſque ad ædificationem, non ad deſtructionem placeat proximo ſuo; quià non omnis amicus conſiliarius eſſe poterit, dicente Scriptura: Amici tibi ſint multi, Conſiliarius autèm vnus*. Similia ſentit, & ſcribit S. Bernardus, hanc propterea commendans ſententiam: *Sermo à Propheta: Conſilium à Sapiente quærendum eſt*. Admodùm ſalubris eſt hæc admonitio, ideò dicetur.

D.Aug.lib. de ſalutar. doc.c.6.1.4.

S.Ber. ep.89.

CAP. XXI.

Iterùm, Doctores qui ſequendi, quiue cauendi.

I. Recentiores malunt eſſe lucifugi, & noctuæ, quam luculenti, vt Aquilæ; quibus propterea aſſuetis nocti, ſi ſcintillet aliquis ſapientiæ radius, ipſis hic vnus radiolus videtur Sol: quò adeò ſe clareſcere arbitrantur, vt nemo ipſis clarior æſtimetur: ſin autèm aliqua maioris ſcientię lux reſplendeat illis, hæc minus caſtigatorum morum nubecula aliquandò offunditur; adeò vt vel ſcientiæ defectu, vel paſſionum exceſſu ſæpè adulteretur eorum iudicium: hinc *cauendum ab hominibus, & à fermento Phariſæorum*, ſeu *Doctrina*: monuit ipſe Chriſtus, & animaduertamus, quem conſulimus, & cuius conſilio in rebus æterni ponderis vtimur; quià (inquit S. Hieronymus) *in omni conditione, & gradu optimis mixta ſunt peſſima*; & ideò ad Paulinum ità ſcribit; *Noli reſpicere ad phaleras, & nomina vana Catonum. Eſſe Chriſtianum grande eſt, non videri, & neſcio, quomodò plus placent mundo; qui Chriſto* di-

S.Mat.c.16

S.Hier.ep.13.l.2.ad Ruſticum.

S Hier.ep.14.l.2.ad Paulinum.

diſplicent; & iterùm ibidem ad Ruſticum monet: *De aliquo enim dicitur; Intus Nero; foris Cato, totus ambiguus. Prima Leo, poſtrema Draco; Media ipſa Chimæra*; & ad Letam ſic iterùm monet: *Venena non dantur niſi melle circumlita, & uitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie, umbraque uirtutum*. Ideò ſimilitudo eſt maximoperè cauenda; vt ait Plato. Falſi enim Prophetæ in veſtimentis veniunt ouium: Hinc *Perrarum* [ſcribit ad Celantiam idem S.Hieronimus] *atquè difficile idoneos huius itineris comites reperire; quin autèm multi hac ire ſe ſimulant, & per diuerſa errorum diuerticula ad viam multitudinis reuertuntur; ideòque timendum eſt ne quos Duces recti huius itineris habere nos credimus, & comites habeamus erroris. Si igitur inueniuntur exempla, quæ nos per hanc ducant viam* (de qua Chriſtus apud S.Mathæum) *& rectum Euangelij tramitem teneant, ſequenda; ſin verò ea vel deficiunt, vel deficere putantur, Apoſtolorum forma vniuerſis propoſita eſt. Si periculum eſt imitari illos, de quibus dubitas, an ſint imitandi, hunc certè imitari tutiſſimum eſt, atquè eius veſtigia ſequi, qui dixit; Ego ſum Via, Veritas, & Vita. Nunquàm enim errat, qui ſequitur veritatem*, & tandèm ad Euſtochium ſic ſcribit: *Si quid ignoras, ſi quid de Scripturis dubitas, interroga eum, quem vita commendat, excuſat ætas, fama non reprobat*. Quid autèm ſupèr hac re dicant & alij, audiamus, vt audientes recogitemus corde.

Idem ep. 15 l. 2. ad Letā

Idem. ep. 20 l. 2. ad Celantiam.

S.Mat. c. 7

S.Hier. ep. 17. l. 2. ad Euſtochiū.

II. *Keplerus doctiſſimè in Dioptrica* (refert, & differit cum eo Caramuel in *Theologia fundament. Dedicatoria Lectori Diuino*) dicit. *Habet opticè firmiſſima pro his argumenta. Illud ſolùm cauendum, nè nobis accidat, quod veteribus, vt alteri optices oculo nimiùm ſecurè confidentes in prouidenda hac Planetarum orbita, alterum Phyſices oculum claudamus, & ſic quod vtriuſque, & Optices, & Phyſices rationibus, ex æquo tribuendum erat, ſoli Opticæ tribuentes rursùm à ſcopo aberremus*, quæ verba ad Theologiam moralem digniſſimè transferri poſſunt. *Video auctores, quos Pyracmontes, Brontes, & Steropes meritò dixeris cæcos auferre; qui aurè reguntur, garriunt, quæ audierunt; & quæ in alijs legerunt, in ſuos libros diligentèr tranſcribunt: Hi ſunt Cyclopes, & clauſo oculo Phyſico, tantùm optico vtuntur, & Reſolutiones omnes ſuas Principio illo, Ipſe dixit, ſuccollant. Video & alios, qui clauſo oculo optico, tantùm vtuntur Phyſico; qui in ſuo ſenſu abundantes, nullum auctorem legunt, nullum curant; & hi etiam me iudice Cyclopes ſunt, & intèr animoſitatis incendia, & vanæ gloriæ fumum, formant fulmina, quibus latentis veritatis exploratores omnes appetant. Quid ergò acturi ſumus, vt oculati, Diuinique, & non potiùs Myopes cæci, & Cyclopes dicamur? Aperire*

duos oculos, Opticum, Phyſicum; authenticum, & Rationalem; nè nobis accidat, quod veteribus, vt alteri oculo [hoc eſt auctoritatis humanæ] *nimirùm ſecurè confidentes; in peruidenda Moralium Reſolutionum orbita alterum oculum* [hoc eſt Rationem] *occludamus: & ſic quod vtrique oculo* (auctoritati, ſcilicèt, & Rationi) *ex æquo tribuendum erat, aut auctoritati destitutæ, aut Rationi auctoritate vacuæ, & aere pendenti tribuentes, rursùm ab ſcopo aberremus. Tales debemus eſſe, qui libros ſcribimus, qui libros legimus; aliàs enim nèc ſinè errore ſcribere, nèc legere ſinè inuidia poterimus.*

III. Idem in *Dedicatoria eximijs DD Magiſtris: Multi malunt docti dici, quàm eſſe. Multi non proprias, ſed aliorum opiniones exſcribunt. Nonnulli* (& hoc ſcio certò) *malunt contrà dictamen loqui, quàm incurrere in Doctorum cenſuram. Rarò ſtudent; & rarò; nèc omnes tanto ingenio ſunt præditi, quantum ſubtilitas Moralis Theologiæ requirit. Tractant Ethicam, & Politicam aliqui, qui Methaphyſicam ignorant: & non pauci, qui Logicam; & audactèr affirmant non requiri ad Moralia Realium ſcientiarum cognitionem: ſed neſcio quod* prudentiale Iudicium. *Ergò exorbitent quantùm illi voluerint, ego veritatem tantùm ſtudio, & labore quæſitam, tanta fælicitate inuentam proptèr Andabatarum vmbratiles opinationes non relinquo. Obſeruo enim in aliquibus noſtræ ætatis Theologis intolerabilem Dialecticæ rei ignorantiam; ſæpè enim concluſiones componunt, quæ non niſi ab incompoſſibilibus fundamentis enaſcuntur. Hoc vitium conabor effugere, &ità haurire theſes, vt conſiſtere poſſint, ſi ad prima Principia reducentur.*

IV. Demum in Dedicatoria: *Omnibus viris doctis: ſic ſentio,* (ait) *ſic pronuncio, Sic aſſero. Non eſt dignus eximio VIRI DOCTI vocabulo, qui non ſit alter Benedictus; alter Gratianus; alter Lombardus; alter Comeſtor, & alter etiam Iuſtinianus.* Benedictus pietate. Gratianus Canonum ſcientia. Lombardus Theologiæ Magiſterio; Comeſtor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ notitia. Iuſtinianus legum peritia. *Informe Theologorum vulgus, cum aliquam propoſitionem audit, ſuperficietenus intelligit; Magiſtri eamdem intelligunt ter magis; nam præter ſuperficialem ſenſum aſſequuntur; & profundum, & altum: profundum, quia diſcurſu ad prima fundamenta perueniunt; altum, quia indè ad Corollaria vltima dialecticantur. Vbi enim Theologus periculoſiùs exorbitare poteſt, quam in Ethicis? Væ illi, ſi improbabilia doceat; væ etiam illi, ſi certò tenenda dedoceat. Væ ſi cæcus, vt contingere ſolet, ipſe ſit, & cæcos deductare præſumat. Tu igitur Lector candide, comede volumen iſtud,*

Digitized by Google

iſtud, Philoſophiam, Theologiam, & Ethicam [has enim facultates illud continet] maſtica, deuora, digere, & eris Comeſtori ſimilimus; Opinionem opinioni compone, & eris Sententiarum Magiſter; omnis tua cogitatio, aut operatio à Gratia Dei ſemper incipiat, & in eam ſemper deſinat, & correſpondebis Gratiano, & VIRI DOCTI *cognomentum mereberis. Profectò ſi ſis ſemel* VIR DOCTVS, *eris &* BENEDICTVS.

V. Confirmat huiuſmodi verba Regula. 1. Societatis Ieſu, ſic præcipiens quod qui præeſt Collationibus moralis Diſciplinæ ſit, *Vir non tantum Doctrina, verum etiam Pietate, ac prudentia illuſtris.* Eadem cum Caramuele docent Martinus Becanus, & Henricus Caniſius, & cum ipſis Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis ſuperiora hiſce comprobare cenſetur. *Omnis vtilis Doctor plebibus ſubiectis, ità ſe præſtare debet; atquè inſiſtere doctrinæ, vt quanto claret verbo, tanto clareſcat, & merito. Nam quod Apoſtolus Timotheo præcipit cum omni Imperio docere: non hortatur ad tumorem ſuperbiæ; ſed ad bonam actionem, & vitæ auctoritatem; videlicèt ne libertatem præberet peccandi, ſi benè doceret, & malè viueret.* Vndè & Dominus: qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit, minimus erit in Regnó Cælorum. *Vides quod auctoritate Magiſterij caret, qui quod docet, non faciat. Sicut in numiſmate Metallum, figura, & pondus inquiritur. Ità in omni Doctore Eccleſiaſtico, quid ſequatur, quid doceat quomodo viuat. Per qualitatem igitur Metalli Doctrina; per figuram ſimilitudo Patrum; per pondus humilitas deſignatur. Qui verò ab his tribus diſcrepauerit non metallum, ſed terra erit.* Ergò ſit Doctor Metallum per ſolidam Doctrinam; ſit figuratum Metallum per conformitatem ad Patrum ſententias; ſit ponderoſum per humilitatem virtutum catenam, ad hæc S. Iſidorus ſcribit iterùm.

S. Iſid ſent. l. ... c. ...

VI. *Verbum ſempèr præcedant opera: quod ore dicis, opere imple; quod verbo doces, operibus oſtende. Eſto non ſolum Magiſter; ſed imitator virtutis.* Ergò patet ex ipſius etiam Caramuelis ſententia, quod non omnes Doctores ſunt Docti, nec omnibus Doctoribus eſt credendum, niſi ſint probi [& vt ipſe loquitur] *Benedicti, & Gratiani:* hiſce auctoritatem infallibilem impertit ipſemet Deus per os Eccleſiaſtici ironicè, ac negatiuè ſic loquentis. *Cum viro irreligioſo tracta de Sanctitate, & cum iniuſto de Iuſtitia; cum timido de bello, cum impio de pietate, cum inhoneſto de honeſtate: cum pigro de multa operatione: ne attendas his* (nota) *in omni conſilio. Sed* (nota) *cum viro Sancto aſſiduus eſto, quemcumque cognoueris obſeruantem timorem Dei.* Ergò Conſiliarius & Sapiens, & probus requiritur: vndè de quolibet Doctore, qui conſulitur verè dici opor-

S. Iſidor. l. de contēpt. mundi c. de Doctrina.

Eccl. c. 37.

Digitized by Google

S.Mat.c.22 teret; *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum. Dic ergò nobis quid tibi videtur?* Quæ Doctrinæ, ac Pietatis dotes ſimul iunctæ, cum raræ ſint in terris, rara quoque erit boni conſultoris electio (vt innuit Sapiens dicens): *Conſiliarius ſit tibi* S.Luc.c.11. *vnus de mille*: quænam eſt igitur Recentiorum Prudentia, ut cuilibet indiſtinctè credi iubeant; niſi quod velint ſubiacere Dei commi- Ezech.c.13 nationi per Ezechielem; *eo quod deceperit populum meum dicentes Pax, & non eſt Pax*. Qui claui aurea Domus ſapientiæ gloriantur decorari, ac Doctoris titulo inſigniri, non tamen ad ueritatis penetralia ingrediuntur, & ingredi cupientes ſuis Doctrinis auertunt, ſiſtuntque in limine: quibus Chriſtus minatur dicens. *Væ vobis Legiſperitis: qui trahitis clauem Sapientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis*. Eſt enim *moderna Theologia Ars declinandi ingenium, ac linguam in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Hinc vt conſcientia laxa, ac ſine Dei timore ſignificetur, dicitur *Conſcientia Theologi*. & miraculum ferunt, ſi Theologus bonam habet conſcientiam. Proh dolor.

CAP. XXII.

Numerus Doctorum non ſufficit ad iuſtificandam actionem.

I. MVltitudo eſt plurimorum indiuidorum Collectio. Hęc autèm triplex eſt: vti videre licet in Romana quondam Republica. Plebs, ac vulgus vilium perſonarum collectio, de qua Virgilius. *Scinditur incertum, ſtudia in contraria, vulgus*. *Senatus* Illuſtrium Perſonarum cætus. Populus, qui ex vtroque componitur: hanc etiàm videri licet in Republica Chriſtiana. *Plebs* Fidelium hominum multitudo. *Sacer Senatus*, Collegium Apoſtolicum Cardinalium, ac Sacra Congregatio. Vniuerſalis Eccleſia, ac *Populus Chriſtianus*, qui omnes complectitur. Eodem ferè pacto videtur philoſophandum de multitudine *Doctorum*: quorum eſt *Plebs*: *Senatus*, & *Vniuerſitas*. Huic Princeps, Paſtor, ac Caput Summus eſt Pontifex, cuius aſſiſtrix, ac infallibilis Conſiliaria eſt Dei Patris Sapientia, ac Spiritus Sancti inſpiratio, quæ dat intelligentiam.

II. Non omnis autèm multitudo rectè ſapit, ac iudicat: nèc ſolus

lus numerus Auctorum ſufficit, vt acquieſcamus: vndè [inquit Imperator]; *ſed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, & æquiùs eſt, iudicate; cùm poſſit forſitan, & deterioris ſententia, & multas, & maiores in aliqua parte ſuperare*: Eidem conſentit Summus Pontifex; dicens; quod in electionibus, non ſolùm requiritur *maior pars*; *ſed & ſanior*: vt vult etiàm Ariſtoteles (vt dictum eſt ſuprà). Nam (inquit D.Bernardus) *cùm multi ſint vocati, pauci verò electi, non eſt magnum argumentum ad faciendam rei dubiæ fidem, id eſſe laudabile, quod à multis laudatur*: *ſed in omni negotio* (dicit iterùm D.Bernardus) *validiſſimum argumentum eſt ad faciendam rei dubiæ fidem, id ſempèr eſſe meliùs, quod placet bonis, malis autèm diſpliceat*: Diuo Bernardo conſentit Sanctus Bonauentura: ſic dicens: *Si plurium* (ait) *opponas ineptias in præmiſſis, habet æmulos plurimos vitium, rariſſimos diſciplina: non à pluribus; ſed ab honeſtioribus forma ſumenda eſt*: in hanc venit ſententiam Gerſo; Hinc dicitur in Exodo: *Nè ſequaris turbam ad faciendum malum, nec plurimorum iudicio acquieſcas, vt à vero deuies*. Ità ſentit etiàm D.Thomas, & S.Auguſtinus ſic diſſerens contrà Manichæos: *Apud paucos quoſdam eſt veritas. Hæc appetunt omnes, quæ maiorum auctoritate firmata ſunt. Aſſequuntur autèm perpauci, agunt pauciores, clareſcunt pauciſſimi. Non numero, ſed merito eſt cenſenda veritas*: cum Superioribus ità ſentit, & Plato: *An ignoras, in quouis ſtudio viles, & nullius pretij homines permultos eſſe? Probos verò paucos, eoſque maximo in pretio habendos eſſe?* Eadem ſentit in libro nuncupato *Criſto*. *Non ad modum nobis curandum eſt, quid de nobis multi loquantur; ſed quid dicat Is vnus, qui intelligit iuſta, & iniuſta, atquè ipſa Veritas*: cui accedit S.Hieronymus. *Intèr ipſos ſectare meliores; quia in omni conditione, & gradu optimis mixta ſunt peſſima*: ob huiuſmodi rationes iterùm Sapientiſſimus profitebatur Plato: *Non ignoro prudenti viro paucorum Sapientum magis, quàm multorum inſipientium iudicium eſſe verendum*. Extollit hanc Platonis ſententiam S.Ioannes Cryſoſtomus ſic dicens: *Vera multitudo eſt in probatione virtutis, non in numero; Elias vnus erat; ſed mundus hic erat indignus illo: nè mihi dicas in magno numero ſumus. Hoc frigidorum hominum eſt. Non in numeri multitudine* (repetit), *ſed in virtutis probitate multitudo conſiſtit. Hæc dico, non quod in veſtri multitudinis inimicus ſim, ſed quod omnes probatos eſſe velim, nèc multitudinem confidere: ſicut arena maris erat multitudo populi: ſed vnus ſaluauit eos. Vnus erat Moyſes, & omnibus plura potuit; Vnus erat Ieſus: ſed vnus ſexcentis millibus plùs potuit. Nè ſatagamus hoc, vt multi dumtaxat fiant; ſed antè hoc, vt pro-*

ba-

Imper. de Conc.ſſ.§. ſed neque. Pont.C.cũ inter c. & dilect.c. dudum de elect. S.Bern. epi 377. S.Bern. ep. 388. S.Bon.opuſ. tom.2 ſpecul. diſcip. part.2 c.11 Gerſ.to 1. prop facta conſtant.& c lumn. Exod.c.23. D.Tho.2.2 q.70.ar.2. S.Aug.contra Manic. de vtilitate credendi c.7. Plato Enthydemus lib.18. Plat. Crit. l.28. S.Hier. ep. 13.l.2.ad Ruſt. Plat.l.25. Conuiu. S.Cryſ. ho. 24.ſup. Act. Apoſt. & Hom.40 ad popul. Antioch. Idem ſup. 2.Corint. ho.2.

Digitized by Google

babiles . Nemo domum ſpecioſam priùs vult facere ; ſed priùs firmam, & probatam, & tunc ſpecioſam . Demùm ità concludit ; *ſicut plurimùm ualet, cùm adeſt uirtus: ità ſi adſit malitia, nihil prodeſt multitudo . Valet enim, & multitudo quotiès adeſt Virtus.*

Reg.3 c.22. Reg.3.c.18.

III. Exemplum habetur in libro 3. Regùm, vbi quadringenti circitèr Prophetæ, quibus credebat Rex, & Populus Iſrael, decipiebant eos. Vnus autèm Michæas veritatem profitebatur. Vnus quoquè erat Elias Propheta Domini; quadringenti, & quinquaginta Prophetæ Baal. Vnus Athanaſius contrà tot Arianos; Imò contrà ferè Orbem vniuerſum verā Doctrinam propugnabat. Vnus D. Euſebius Vercellenſis in Concilio Mediolanenſi Arianorum contrà eos, & etiàm contrà Imperatorem. Plures contrà Diuum Gregorium Nazianzenum, pauci verò pro eo. Vuus Auguſtinus contrà tot Epiſcopos Donatiſtas. Nàm *Paucorum eſt recta cum libertate ſententia*: Oraculum hoc prodiuit ex ore Sancti Clementis Papæ, & Martyris; hoc idem oraculum confirmat Pius Secundus Succeſſor eiuſdem S.Clementis in Cathedra Petri, ità ſcribens ad Ludouicum Galliæ Regem: *Scriptura* (inquit) quæ ait: *ubi multa Conſilia, ibi ſalus, Conſiliorum multitudinem, non requirit; ſed maturitatem, & digeſtionem, quæ res in paucis, quàm in multis faciliùs reperitur; nequè enim honeſtas, aut iuſtitia multitudine facilè ſuadetur, quæ uarijs affectionibus agitata, ad prona frequentèr inclinat confuſione: ſubita eſt conſulentium multitudo, nequè benè res ſe habet; ubi ſuffragia numerantur, non ponderantur; Sæpè enim fit ut maior pars meliorem uincat.* Eadem cum Clemente Martyre ſentit Clemens Alexandrinus nixus Diuo Paulo. *Sunt enim* [inquit cum Apoſtolo] *multi inobedientes, uaniloqui, mentem decipientes.* Non omnibus ergò dictum eſt; *Vos eſtis ſal terræ. Sunt enim aliqui etiam ex his qui uerbum audiunt marinis piſcibus ſimiles, qui cùm ab ipſo ortu in ſalſo nutriantur, ſalibus tamèn ad condiendum indigent.*

Baron.an. 355.n.23 Baron.an. 381.n.66. S.Clem.l.1. Recogn. Corn.a Lap. in prouerb. Salom c.11 ver.14. S.Clem. Alex.l.b.1. ſtromat. paulo ante medium.

IV. Tantò magis aduertendum eſt in multitudine Auctorum, quò ſæpiùs lector non aſſequitur ipſorum mentem, vel non ex profeſſo; ſed obitèr rem illam tractat auctor; alijſque de cauſis cauendum eſt valdè: vndè (inquit, & Caramuel) aduertendum eſſe in legendis Auctoribus: Nàm aliquandò ſunt Doctores; ſed non docti; repetendum enim ſæpè foret cùm D.Hieronymo illud Poetæ: *Scribimus indocti, doctique poemata paſſim.* Hoc idem innuiſſe videtur S.Paulus Timotheo ſcribens: *Coaceruabunt ſibi Magiſtros: libertini* (vt explicat Cornelius à Lapide ibi) *coaceruabunt; hoc eſt quamplures abſque delectu colligunt Doctores ac Magiſtros.* Vndè

Car.Theol. fund.p.1.n. 197. & Theol. Rat.lib.10. ſeuer.arg. n.1280. S Hieron. Prol. Sac. Scrip. ad Paulinum. S.P.Tim.2. c 4.

&

Digitized by Google

& Diuus Bonauentura aduertit, ac monet, quod *Sacra Scriptura in magna cautelà eſt legenda. Maius autèm periculum eſt deſcendere ad Summas Magiſtrorum; quia aliquandò magnus eſt in eis error, & credunt ſe habere, & intelligere Originalia, & non intelligunt, imò eis contradicunt*. Demùm.

S.Bon.lib. lumin. Ecleſ.ſer.19.

Aliquandò loquuntur Auctores *narratiuè*, vel *obiectiuè*,, vel *interrogatiuè*, vel *ad hominem*, & *ex conceſſis*. Aliquandò torquentur ad alium ſenſum, qui ſi legerentur *in fronte*, diuerſum ſonarent, & ſimilia. Quandoque etiam Auctores in quibuſdam circumſtantijs talia ſenſerunt, quæ alio loco, & tempore non ſentirent. Hinc S. Franciſcus Borgias monet dicens. *Sanctorum Patrum ſcripta attentè legat, nec audactèr, quæ ab illis dicta ſunt, proferat. Illi enim ſæpè, vt tempora tùm ferebant, cum ſcriberent, & quo fine ſcribebant, non errarunt, nonnulla dixerunt, quæſi in hoc ſæculo incidiſſent, non erant dicturi*.

S.Borg. de Ratione concion. c.

CAP. XXIII.

Doctores Sancti ſequendi.

I. ANimæ oculus eſt intellectus, quo omnia videt; imò & iudicat: verùm duo uel excæcant hunc oculum, vel ſaltèm obnubilant, eiuſque adulterant iudicium. Sunt autem. 1. Ignorantia. *Mater cunctorum errorum*(vt ait Concilium Toletanum apud Gratianum) 2. Varius affectus, quaſi fumus, ſeu potius vitrum coloratum, quo diuerſum 'apparet oculis obiectum. Nam *affectus*(inquit Ariſtoteles) *ſunt, quibus homines commoti, differentèr iudicant*: *vndè* [ſequitur idem Ariſtoteles] *Iudices, cum de præſentibus, ac determinatis iudicent, fit, vt cum ament, vel oderi nt, ſua quoque vtilitas connexa ſit, non ſatis queant veritatem perſpicere; Sed propria vel voluptas; vel dolor iudicia obumbret*; [idem ait Philoſophus] *qualis vnuſquiſque eſt, talis ei finis videtur*. Philoſopho conſentit Diuus Thomas: qui propterea dicit, quod *ad rectam rationem agibilium, quæ eſt Prudentia, requiritur, quod homo habeat virtutem moralem, quæ paſſiones reprimit*. Nam [inquit Diuus Franciſcus Borgias] *ex incircumciſa voluntate, & amore proprio aliud etiam incommodum ſequitur, nempè, quod denſiſſima quædam nubes ex corde immortificato exoritur, quæ ipſi præſentiam Domini conſpectus obſcurat, atque tollit*. Eidem aſſentit Sanctus Cle-

Grat. diſt. 38. c. Ignor.

Ariſt. Rh. l.2.c.1. & l. 1.c.1.

Ariſt. eth. l.3.c.4. l.6. c.5.

S.Tho.1.2. q.58.ar.5.

S.Borg. ep. 2.circul. de medijs &c.

Digitized by Google

S.Clem.l.1. Clemens Papa, & Martyr cum Sancto Thoma. Omnia confirmat
Recogn. Sanctus Gregorius Papa ſic. *Hi* (ait) *qui adbuc vitiorum bello*
S.Tho. 1.2. *ſubiacent, nequaquam per prædicationis vſum praeſſe Magiſterio*
q.94.ar.6. *cæterorum debent.* Diuo Gregorio Eccleſiæ Doctori aſſociatur &
S.Greg. mor.l.23.c. Sanctus Ambroſius alter eiuſdem Eccleſiæ Doctor, ſic monet. *Ad-*
6. *uertimus, quod in acquirendis conſilijs plurimum adiungat vitæ*
S.Amb.off. *probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, frugalitatis*
l.2.c.12.17. *gratia. Quis enim in cano fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Quomodò enim eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe, cui me committere paro*, & paulo poſt. *Talis debet eſſe, qui conſilium alteri det, vt ſeipſum alijs præbeat ad exemplum bonorum operum in Doctrina, in integritate, ingrauitate, vt ſit eius ſermo ſalubris, atque irreprahenſibilis, conſilium vtile, vita honeſta, ſententia decora, &c.*

II. Duo è contra ſunt, quæ intellectum illuminant, ac perficiunt. 1. *vera rerum ſcientia*. 2. *virtus moralis*, affectuum moderatrix: vt dictum eſt. His duobus purgatur mentis acies, rectèque dijudicat: quamobrèm Ariſtoteles inquit, quod. *Studioſus homo* (ſeu
Ariſt. eth. virtuoſus) *rectè ſingula iudicat, & ſingulis in rebus, id ipſi videtur,*
l.3.c.4. *quod verè eſt tale.* Hinc eſt quod Doctores Sancti magnæ ſint authoritatis. In primis etenim omnem adhibuere operam die, noctuque in lege Domini meditantes; vt ſanam compararent Doctrinam.

III. Inſupèr Sanctis tamquàm amicis plurima nota facit Deus: *dat enim ſapientiam diligentibus ſe* (vt inquit Sapiens); propterea
Eccl.c.1. in Sanctis, cùm ſit edomita concupiſcentia non tranſuertit (vt ſolet ipſius inconſtantia) ſenſum intellectus [vt inquit Sapiens]; ſed ipſi
Sap.c.4. mundo corde, ſaniſque oculis cuncta claré perſpiciunt, & idcircò *Spiritualis omnia iudicat* (vt inquit D.Paulus), & S.Dauid hac de
S.P.Cor. 1. cauſa Deo canebat gratias; *Supèr ſenes intellexi, quia mandata*
c.2. *tua quæſiui*; & quiſque ipſorum partam doctrinam alijs tradit cum
Pſal.118. D.Paulo; *non in ſermone adulationis, nequè in occaſione auaritiæ,*
S.P.Theſſ. *nequè quærentes ab hominibus gloriam*; ſed ob vnum Dei honorem,
1.c.2. animarum, veritatiſque zelum; vndè eis hac etiàm de cauſa credendum. Plùs igitùr videt oculus Doctoris Sancti, quàm viderint ſeptem Sapientes totius Græciæ in ſapientiſſimis eorum ſpeculationibus, ac quàm poſſint perſpicere de excelſis montibus plurimi Spe-
Eccl.c.37. culatores. Etenim *Anima viri ſancti* (inquit Sapiens) *enunciat aliquandò vera, quàm ſeptem circumſpectores, ſedentes in excelſo ad ſpeculandum*. Nàm *dilectio Dei, quæ eſt honorabilis ſapientia* [vt inquit Eccleſiaſticus) eſt ſpiritus *ſubtilis. acutus, omnia per-*
Eccl.c.1.

ſpi-

ſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, & attingit vbiquè proptèr *Sap.c.7.*
ſuam munditiam (vt ait Sapiens.)

IV. Hinc mihi eluceſcit quàm Sapiens, & Sanctum ſit D.Philip- *Vit.l.2.c.3.*
pi Nerij monitum, ſic dicentis: *eos legite libros, quorum Auctores* *n.12.*
litera S. prænotantur; Sancti ſcilicèt nuncupantur; cuiuſmodi
ſunt S.Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, Aliíque viri Sancti.
Quinimò ex ore ipſiuſmet Dei exiuit hoc monitum ad Sanctam
Birgittam; vt ipſa ſæculi Principibus indiceret: vt *in difficultatibus* *S.Birg. re-*
ſequerentur conſilia timentium Deum; non cupidorum. Eademmet *uelat.ex*
ſentit, & repetit S.Bonauentura. Nàm *Deus ſuum ſapientiæ ſpiri-* *trau. c 75.*
tum (inquit Cornelius à Lapide) *intelligentem, & ſanctum com-* *& ant. l.*
municauit Sanctis Patribus, Eccleſiæ Doctoribus, vti S.Athana- *8.c.2.&*
ſio, S.Baſilio, S.Nazianzeno, S.Cryſoſtomo, S.Hieronimo, S.Am- *20.*
broſio, S.Gregorio, S.Bernardo, ac deindè S.Thomæ Aquinati, qui *S.Bonau.*
tam Sanctus fuit, quam Doctus, & intelligens, indèque dictus eſt *opuſ.10.2.*
Doctor Angelicus, & S. Bonauenturæ, qui Charitatis ardorem *tr.2.de*
Sapientia coniunxit, ac Lectorem tam amore Dei accendit, quam *ſex alis*
cognitione rerum Diuinarum illuminat: ideòque dictus eſt Doctor *Seraph.c.7.*
Seraphicus. Hi duo ſui æui fuere quaſi oculi, imò Sole; ſed quis *Corn. in l.*
eſt hic ſimilis iſtis, & laudabimus eum? Cum præſertim plures San- *ſapient. c.*
ctitatem ſimulent, & hypocriſim præſeferant: vndè ipſemet Chri- *7.verſ. 22.*
ſtus admonet dicens. *attendite à falſis Prophetis*, & Propheta Da-
uid exclamat ad Dominum: *Saluum me fac Domine: quoniam de-* *Pſal.11.*
fecit Sanctus. Ergò patefit, quod Sanctis ab Eccleſia iam agnitis
fidendum ſit: quibus tamen Neoterici nouas audent leuitèr præpo-
nere opiniones.

V. Verùm dicet aliquis neminem eſſe præſumendum malum;
imò bonum; quià *Charitas non cogitat malum* (vt inquit S.Paulus) *S.P.Cor.1.*
quod à S.Bernardo diſertè explicatur in ſermone quodam. Ergò ſi *c.13.*
quilibet bonus eſt putandus, multò magis Doctor Religioſus, & *S.Bern.*
Confeſſarius. Etenim ſi approbatur ab Epiſcopo, & exponitur au- *ſer.40.in*
diendis Confeſſionibus, idoneus eſt cenſendus. Hoc ſiquidèm ve- *Cant.*
rum eſt intèr pares, & militat cùm non agitur de vitando periculo;
cùm verò quis eſt ſuperior, vel diſcrimen eſt proprij damni; tunc
Prudentia, & Charitas exigunt, vt iudicemus, non *per definitio-*
nem, ſed per ſuppoſitionem, & conditionatè, vt ſic malum faciliùs
præcaueamus; vt docent S.Thomas, & S.Bernardus ibidem. *Nul-* *S.Tho.2.2.*
lum autèm periculum eſt maius ſalute animarum. Ergò maximè in *q.60. ar.4.*
hac re cauendum ab hominibus, & videndum attentè, cui noſmet- *ad 3.*
ipſos credamus; *nèc enim omnibus credendum eſt; ſed nèc omnibus* *S. Bern. ep.*
decredendum eſt [inquit S.Bernardus.] De hac etiàm re ſic, & ip- *248. ad*
ſe Seneca monet; *Tù omnia cum amico delibera, ſed de ipſo priùs.* *Eug.pro*
ſapien:i. *Sen.ep 3.*

Poſt amicitiam credendum eſt, antè amicitiam iudicandum. Diù cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit. Nam Amicus Eccl.c.6. *fidelis protectio fortis* (inquit Eccleſiaſticus), *qui autem inuenit illum, inuenit Theſaurum. Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum. Amico fideli nulla eſt comparatio.* At tam pretioſus Theſaurus non eſt obuius: ſed ſæpè abſconditus in humilium, ac timentium Deum Prou.c.4. corde; hinc *Audite* (monet Sapiens) *Filij diſciplinam Patris*; & audite quoque Fratres Magni Patris conſilium. *Eos frequentiùs, & impenſius legite libros, quorum Authores litera S. prænotantur.* Cæteros autem ne deſpiciatis: ſed videte, cui credatis. Vti monuit etiam Epiſcopum Gebennenſem Arducionem nomine Sanctus Bernardus ſic. *Omnia fac cum conſilio; nec tamèn omnium, aut* S.Bern.ep.28. *quorumcumque: ſed tantùm bonorum.* Quod monitum ſic repetit Sanctus Franciſcus Saleſius & ipſe Epiſcopus Gebennenſis. S.Fran. l.6 ep.43. *Sanctus Bernardus ſcribens ad quendam ex meis* [inquit Sanctus Franciſcus] *prædeceſſoribus Arducionem Epiſcopum Gebennenſem: omnia* (*dicit ille*) *fac cum conſilio paucorum, qui ſint pacifici, ſapientes, & boni.* Vndè maximoperè elucet ex Sanctis Sancta noſtra Doctrina, & eo magis eiuſmodi eſſe innoteſcit, quo Recentiorum ſententiæ, qui alia procedunt via, à Diuinæ Legis ſemitis ſeccedunt, & inde in abſurda prolabuntur: vti reuelant ſequentia capita, & præſertim proximum.

CAP. XXIV.

Noua Diuinæ Legis à Recentioribus Caſiſtis interpretatio.

I. VT Dei iram declinarent, nomenque ſibi celebrarent, ac noua via aſcenderent in Cęlum, meditati ſunt inania Filij Adam. Nam ſtatuerunt ædificare Turrim, cuius cacumen pertin-Gen.c.11. geret ad Aſtra. Verum Deus eos confudit (vt Geneſis narrat): ſic noſtra tempeſtate Recentiores Caſiſtæ docentes opinionem ſupra Sen.ep.16. opinionem (*nullus enim terminus falſo eſt*: ait Seneca) videntur velle ædificare doctrinæ Turrim, qua declinetur ira Dei, remouendo peccatum iræ Diuinæ fomitem: nam de quodam ipſorum gloriantur dici. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Eodemque tempore comparare ſibi nominis celebritatem ſtudent, ac veluti ſcalis ſecretis

Digitized by Google

tis ducere homines in Paradiſum ; Dicunt enim : *qui noſtram profitetur Doctrinam, Tutus eſt ; vita viuet .* At confunduntur per os Summorum Pontificum , Diuinæ Legis legitimorum interpretum ; [vt dicetur etiam in quarta parte] quibus interim per Ezechielem ſic minatur Deus . *Væ Prophetis inſipientibus , qui ſequuntur ſpiritum ſuum ; dicentes, ait Dominus : cum Dominus non miſerit eos, & perſeuerauerunt confirmare ſermonem.* *Ezech. c. 13.*

II. Via ſiquidem ad vitam, non eſt Doctorum opinio : ſed Diuinæ legis veritas ; vndè Chriſtus reſpondit . *Si vis ad vitam ingredi , ſerua mandata :* *Mat. c.19.* *omnia autem mandata tua veritas* [ait Dauid] *& lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis,* *Pſal. 118.* propterea ipſe de ſe profitebatur Dauid : *viam veritatis elegi : iudicia tua non ſum oblitus*, *Pſal. 118.* (qui iterùm Deo canit) . *Beatus homo , quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum .* *Pſal. 93.* *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes ; ſed non vt lex tua , lex enim tua veritas .* Si ergò Recentiores ſuas docent opiniones , non benè docent , & *qui exiſtimationi hominum ſeruiendum putat , à recto, bonoque diſcedit : quia non eſt in noſtra poteſtate , vt virtus pro ſuis meritis honeſtetur :* *Pſal. 118.* addit Lactantius Firmianus . Nam *Iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa* (canit Dauid) ; cætera omnia iudicia Iudicio Dei , vt ſint recta congruere oportet , quæ in legibus mundo manifeſtantur . *Lactan. de falſ. ſap. l.3.c.8.* Quam iuſtè propterea condemnentur plures Propoſitiones à Papis ſequens patefaciet mandatorum Dei examen . *Pſal. 18.*

I. Mandatum Dei.

Deum tuum adorabis , & illi ſoli ſeruies . Hoc primum Decalogi mandatum magnoperè diſtrahunt Moderni Caſiſtæ : nàm Martinus Becanus refert quorumdam opinionem dicentium : licet adorare Idolum , & illi incenſum offerre, modò fiat animo ſimulandi : ſinè interna voluntate profitendi falſam ſectam . Huic mandato derogant etiàm Propoſitiones ſequentes damnatæ ab Innocentio Vndecimo , ſcilicèt 4. 5. 6. 7. minuunt enim obligationem colendi Deum frequentioribus actibus Fidei, & dilectionis . *Exod. c. 20. Deut. c. 6. S Mat. c. 4. Becan. tr. de virtut. Theolog. c. 10. q 5.*

II. Mandatum.

Non aſſumes nomen Dei in vanum: Contrà hóc Dei mandatum militant Propoſitiones damnatæ ab Innocentio Vndecimo, ſcilicèt, 24. 25. 26. quæ aſſerunt poſſe vocari Deum in Teſtem mendacij leuis, & iurare ſinè animo iurandi, & iurare cum reſtrictione mentali. *Deus* enim *non irridetur* [vt ait S.Paulus]. Ergò non eſt vocandus in teſtem rei leuis; multò minùs falſæ, nèc animo veluti iocandi.

S.P. *Gal.* *c.6.*

III. Mandatum.

Memento, vt diem Sabbati ſanctifices. Verùm noſtri Moderni ſic dicunt: *Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus*. Iuſtè propterea damnata ab Innocentio Vndecimo, & eſt Propoſitio 52.

IV. Mandatum.

Honora Patrem, & Matrem tuam. Aduerſantur huic Propoſitiones damnatæ ab Innocentio Vndecimo, ſcilicèt, 14. quæ ſic dicit: *Licitum eſt cupere mortem Patris, non quidèm, vt malum Patris; ſed vt bonum recipientis; quià nimirùm ei obuentura eſt pinguis hæreditas*: & 11. *Licitum eſt filio gaudere de Parricidio Parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, proptèr ingentes diuitias indè ex hæreditate conſecutas*.

V. Mandatum.

Non occides. Hoc mandatum, quo homo Summi Dei Imago prohibetur occidi; adeò parui fit à Modernis, vt vnus aureus ſatis ſit, vt impunè poſſit quis iſtud tranſgredi: ſic enim ait Propoſitio 31. damnata ab Innocentio Vndecimo. *Regularitèr occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei*. Aduerſantur etiàm huic mandato eiuſdem Pontificis Propoſitiones 30. 32. 34. 35. ab illo ſcilicèt damnatæ: hoc enim modo hæ ad ipſos Pontifices ſpectant.

Digitized by Google

VI. Mandatum.

Non mœchaberis. Opponitur huic Propoſitio 41. Alexandri Septimi, quæ ſic dicit: *Non eſt obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, ſi hæc nimis eſſet vtilis ad oblectamentum concubinarij, vulgò Regalo, dùm deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ culpæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.* Itèm Innocentij Vndecimi Propoſitiones 9. 48. & 49.

VII. Mandatum.

Non furaberis. Aduerſantur huic Præcepto Propoſitiones Innocentij Vndecimi, ſcilicèt. *Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiàm in graui, & 39. quæ aſſerit, quod qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati:* Itèm eiuſdem Propoſitio 37. 38.

VIII. Mandatum.

Non loqueris contrà proximum tuum falſum. Interpretantur hoc mandatum ſic Recentiores: *Si quis vel ſolus, vel coràm alijs ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intrà ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuera non mentitur, nèc eſt periurus: Itèm: Probabile eſt non peccare mortalitèr, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat, & ſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia*, ſi huiuſmodi vigeret Doctrina; Non eſſet vnquàm falſum teſtimonium; quià quilibet loquendo reſponderet menti ſuæ per Reſtrictionem mentalem benè diſpoſitæ ad euitandam falſitatem. Ergò ſuperfluum, ac vanum videretur prædictum mandatum: Niſi fortè ſimplicibus velimus inijci laqueos ad caſum; quod diſſonat Rationi, ac Charitati.

IX. Man-

Digitized by Google

IX. Mandatum.

Non concupiſces vxorem proximi tui : Huic repugnare videtur Propoſitio 40. Alexandri Septimi, quæ permittit etiàm carnalia oſcula, ſic enim ait: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.*

X. Mandatum.

Non concupiſces rem proximi tui: non ſolùm Recentiores docent poſſe deſiderari; ſed etiàm cum morte Domini eiuſdem rei. Audite Propoſitionem 13. ab Innocentio Vndecimo damnatam, *Si cum debita moderatione facias, potes abſquè peccato mortali, de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidèm ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum*. Vide lector oppoſitam Dei mandatis Doctrinam. Vndè.

Meritò Chriſtus Ieſus ſicuti Scribis, & Phariſæis, ſic iterùm exprobraret Recentioribus dicendo: *Benè irritum feciſtis præceptum Dei; vt traditionem veſtram ſeruetis* : de quibus etiàm dicit Pſaltes, quod; *Errauerunt ab vtero locuti ſunt falſa*: Nàm Recentiora ingenia, cùm ſecedant ab vtero Eccleſiaſticæ doctrinæ, ſeu ab antiqua, & ſana morum diſciplina, loquuntur falſa; & vtinàm non contingat illis etiàm flere, dicendo: *Errauimus à via veritatis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis*. De huiuſmodi neſcio an ſcribat Apoſtolus: *Mali homines, & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes*: & Dauid quoquè Rex canat: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; ſed non vt lex tua; nàm lex tua veritas*. De huiuſmodi Doctoribus conquerebatur Iſaias, dicens: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam*. *Argentum tuum, ideſt* (vt explicat hic Lyranus) *lingua Doctorum, & Sacerdotum verſum eſt in ſcoriam, ideſt à veritate in falſitatem per malam legis expoſitionem*: & Fabula Rabbinorum facta eſt veritas Recentiorum, quam referunt Cornelius à Lapide, & Lyranus: ſic fatebantur Rabbini, quod Deus legem ſuam diuerſis offerens Populis, ſinguli aliqua reiiciebant mandata, ſoli autèm Hebræi vniuerſam acceptauerunt;

S. Mar. c. 7. Pſal. 57. Sap. c. 5. 2 P. Tim. 2 c. 3. Pſal. 118. Iſa. c. 1. Lyran. c. 1. in Iſaiam. Cornel. à Lap. in Deut. c. 33. v. 2. Lyr. in idē c. 33.

Digitized by Google

runt; idem Recentioribus vſuuenire videtur [vt innuimus]: imò non partem; ſed totam reſpuere videntur.

CAP. XXV.

Recentiorum Probabiliſtarum abſurda.

I. *Ex veris propoſitionibus nil ſequitur, niſi verum, & vno inconuenienti dato plurima contingunt*: dicit Ariſtoteles. Si ergò eſſet vera Probabiliſtarum Modernorum doctrina, non ſequeretur niſi verum in bona conſequentia: ſed cùm plura ſequantur abſurda, dicendum eſt, quod eorum doctrina inconueniens ſit, & idcircò plura alia inconuenientia contingant. Sunt autèm hæc intèr alia. Sapientia tantæ eſt pulchritudinis, quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles excitaret amores (ait Plato apud Ciceronem) *Eſt enim ſpecioſior ſole* [ſubdit Salomon] vtpotè quæ eſt *candor lucis æternæ*: quamobrèm idem Rex fatebatur: *amator factus ſum formæ illius*; quarè cæteros omnes hortatur ad illam diligendam, dicens: *Diligite ſapientiam; diligite lumen ſapientiæ; poſſide ſapientiam*, &c. Hæc tenebroſis mentibus diem affert; & hanc de Cælis in terras attulit verbum Dei, lumen de lumine; vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum; & ſanctiſſimè gloriabatur dicens: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; ſed habet lumen vitæ. Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Dùm lucem habetis, credite in lucem.*

Ariſtot. Prior. l. 2. *Ariſt. Phyſ. l. 1.* *Cic. off. l. 1.* *Sap. c. 7.* *Sap. c. 6.* *S. Io. c. 8.* *S. Io. c. 12.*

II. Hæc amicos Dei conſtituit (vt inquit Sapiens), & non ſolùm eſt ſpeculatiua, ſed & practica, doctrix ſimul fidei, & morum: nàm *per manus illius innumerabilis honeſtas*: hanc idcircò poſtulat Dauid à Deo indiſtinctè: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in Tabernacula tua*: hac etiàm, vt gauderent Hebræi; hortabatur Iſaias: *Surge illuminare Ieruſalem, quià venit lumen tuum, & gloria Domini ſupèr te orta eſt; quoniàm ecce tenebræ operient terram, caligo populos; ſupèr te autèm orietur Dominus, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui*: de hac ſcribit S. Paulus; *vt filij lucis ambulate; fructus autèm lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate*. Innumera huius recenſet encomia in Prouerbijs Salomon, præſertim capite primo aſſerens, quod

Sap. c. 7. *Sap. c. 7.* *Pſal. 42.* *Iſa. c. 60.* *S. P. Epheſ. c. 5.* *Eccl. c. 2.* *Corn. in di. ct. cap. v. 13*

Digitized by Google

quod *Sapientiam, atque doctrinam ſtulti deſpiciunt*. Et in Eccleſiaſte cap. 2.

III. Ergò magnum bonum eſt lux Sapientiæ, & ingens malum hac carere: nàm ſinè hac pereunt gentes; quoniàm [ait Baruc] *non*
Baruc c. 3. *habuerunt ſapientiam, interierunt proptèr ſuam inſipientiam*, & Infernus proptèr ignorantiam dilatauit os ſuum; vt inquit Propheta
Iſa. c. 5. Iſaias; *Quià non habuit ſcientiam, propterea dilatauit Infernus animam ſuam*; *diſce igitùr* [ait iterùm Baruc] *vbi ſit prudentia*,
Baruc c. 3. *vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul, vbi ſit longiturnitas vitæ, & virtus, vbi ſit lumen oculorum, & pax*; ſi quis autèm
S. Iacob. c. 1. *indiget ſapientia, poſtulet à Deo* (inquit S. Iacobus) *omnis* enim
Eccl. c. 1. *ſapientia à Domino Deo eſt*, ait Eccleſiaſticus: Ergò ingens malum carere ſapientia, quæ donum Dei eſt, magnoperè à Deo ipſo expetendum.

IV. Verùm à Superioribus aliena ſentiunt noſtræ tempeſtatis auctores. Etenim ſic videntur ratiocinari; Si clara eſt legis veritas; nil aliud nobis remanet, niſi claræ legis veritati obſequi: at cùm lex ſit nobis onus, exoptanda eſt aliqua excuſatio ab obſeruatione
Plato l. 29. Phædo. eiuſdem; excuſatio verò oriri non poteſt, niſi aliqua occurrat dubietas. Dubietas enim multiplicem ſolet præbere ſenſum, & in dubietate datur locus opinandi, & vbi locus eſt opinandi, locus datur excogitandi aliquam rationem, ac colorem; quo cuiuſque cogitatio, ac opinio vero ſit ſimilis, & conſequentèr probabilis: *nihil eſt* (ait Cicero) *quod dicendo non fiat probabile*, vel quod paſſio aliqua probabile ſuadeat, & vt talis fundamentum erit prudentèr operandi, & ſic nobis faciemus iter planum ad Cælum: vndè prodit hoc dogma Sacroſanctum Recentiorum: *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudentèr agit*.

V. Attendite, & videte quàm ad viuum hanc Recentiorum artem doctiſſimus ille Plato veluti vates prænunciet: *In primis cauen-*
Plato Phædo. *dum nè Rationum oſores euadamus, quemadmodùm nonnulli hominum oſores fiunt. Nullum enim maius, quàm hoc malum nobis poſſet accidere, videlicèt ſi rationes odio habuerimus. Præcipuè verò illis, id euenit, qui plurimùm rationes contradictorias agitant: hos enim ſcis putare tandèm ſe ſapientiſſimos euaſiſſe, ſoloſque animaduertiſſe, nequè in rebus, nequè in rationibus eſſe ſanum aliquid, aut firmum; ſed omnia reuera tamquàm in Euripo ſurſùm, deorſùmque iactari, nullumque tempus in aliquo permanere. Verè nimiùm loquaris, inquam. Non ne* (inquit) *ægritudo hæc Phædo miſerabilis eſſet, ſi cùm ratio aliqua vera, firmaque ſit, comprehendique valeat; poſteà tamèn auditis huiuſcemodi rationibus, quæ modò afferre vera, modò*

Digitized by Google

dò falſa videntur, aliquis hinc in ambiguitatem deductus, non ſe-ipſum, neque eius inertiam ob id accuſet, ſed tandem velut æger libenter culpam omnem à ſe ipſo in ipſas transferat rationes, & in reliqua vita eas odio habeat, atque vituperet, rerum iam ipſarum ueritate, ſcientiaque priuatus. Per Iouem miſerabilis (inquam) *ægritudo. In primis igitur* [inquit] *diligentèr id caueamus, ne perſuadeamus nobis nihil in rationibus eſſe ſanum: ſed multò magis nondum eſſe non ſanos. Itaque totis uiribus, ut ſani efficiamur, eſt annitendum: tibi quidem, & alijs totius reliquæ vitæ gratia, mihi uerò gratia mortis, qui in periculo ſum, ne in hoc ipſo tempore, non ut philoſophum me geram; ſed ut contentioſum, atque pertinacem, quod quidem homines à diſciplina alieniſſimi facere ſolent. Illi enim vbi aliqua de re ambigitur, non vt res ipſa de qua agitur, ſe habeat, curant; ſed vt quæ poſuerunt ipſi præſentibus videantur vera, obnixè contendunt. Atque ego mihi videor in hoc dumtaxat in præſentia ab illis differre, quod non vt præſentibus probem ea, quæ dico, annitar, niſi quatenùs fortè contigerit; ſed ut mihi ipſi uera quam maximè uideantur. Sic enim cogito, dulcis amice, & uide, quanto cum lucro ſit ratio mea. Si fortè uera ſunt quæ dico, operæ pretium eſt ità credere. Sed cum Ars ipſa contradicendi*(dicit idem Plato)*facultas ſit, quæ omnia in controuerſiam deducere poſſit:* hinc mundus adeo traditus eſt diſputationi vt de aliquo Doctore repeti liceat, quod de alio Sanctus Hieronymus refert, *Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus.* *Plato l.15. Sophiſt.a.* *S.Hier.ep. 13.l.2. ad Ruſtic.*

VI. Recentiores (de quibus nobis eſt ſermo) videntur velle ſicut verſati piſcatores aquam Doctrinæ turbare, vt captent homines veluti capiuntur piſces: & vtinam non capiantur ad animarum perniciem. Porrò Deum ipſum non ſolum imitari negligunt; ſed tacitè ſugillare videntur. Ipſe enim, cum tenebræ eſſent ſuper faciem abyſſi, dixit: *Fiat lux*, & verbo eius *facta eſt lux*: hi verò è contrà, cum veritatis lux, ac præceptum Domini lucidum eſſet ſuper terram, dicunt *Fiant tenebræ*, & ob tot diſputationes factæ ſunt tenebræ ſuper vniuerſam terram, adeòut omnia ſint ambigua, & ex ipſis Eccleſia quoque imprudentèr ſeſe gerere videatur quæ Dominica tertia poſt Paſcha hiſce Deum exorat. *Deus, qui errantibus, vt in viam poſſint redire iuſtitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis*: & in Miſſa Vigiliæ Pentecoſtes ſic eumdem deprecatur. *Præſta, quæſumus Omnipotens Deus, vt claritatis tuæ ſuper nos ſplendor effulgeat, & lux tuæ lucis, corda eorum, qui per gratiam tuam renati ſunt Sancti Spiritus illuſtratione confirmet.* De huiuſmodi hominibus predicit Dauid; *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius*: volunt lumen eſſe tenebras, & agnoſcere præclarum Dei donum nolunt, *Gen.c.1.* *Pſal.138.*

Digitized by Google

S.P.Cor. 2. c.4. de quo Diuus Paulus ſic ad Corinthios ſcripſit. *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere; ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu.* Ergò lumen ex horum ſententia non prodeſt; ſed officit, & melior eſt nox, quam ſit dies: propterea quæ clara ſunt, varijs modis, excogitatiſque artibus, ac ſubtilitatibus obſcurare contendunt; quia nox magis fauet ipſorum ingenijs: en autem verba famoſi intèr ipſos. *Quæ* Garamuel. Theol.fūd. dedic.ad Innoc.X. *ſunt de neceſſitate* (ait Caramuel) *præcepti fortè luce non indigent. Securius enim ſæpè iter agimus nocte; & nihil aliud ſunt probabiles Theologorum ſententiæ, quam quædam ſcholaſticæ noctes, quæ conſcientias multis periculis liberant.* Ab vno diſce omnes. Cui Prou.c.4. reſpondet Salomon, quòd *Via iuſtorum lucida: impiorum tenebroſa*: & S.Gregorius Papa eoſdem obiurgat, dicens. *Impunitatem* S.Greg. mor.l.25. c.11. *peccandi exiſtimant, remedium neſciendi.*

VII. Hi ſanè videntur facto ipſo ſentire cum quibuſdam apud Iob.c.21. Iob: qui dixerùnt Deo; *ſcientiam viarum tuarum nolumus*; & ideò S.Ioa.c.3. iurè poſſet iterum dolere Chriſtus, quod, *dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorùm opera mala.* Audiant S.Bern.ſer. 17.ſup.cāt. Diuum Bernardum quid ad hanc rem ſentiat. *Agnoſcite* (dicit S. Bernardus) *Peſſimæ Matris ignorantiæ, peſſimæ itidem filiæ duæ ſunt; falſitas, & dubietas. Illa miſerior; iſta miſerabilior. Perniciosior illa, iſta moleſtior. Cum loquitur ſpiritus, cedit vtraque. Et eſt non ſolum veritas; ſed & certa veritas. Eſt quippè veritatis ille ſpiritus, cui contraria falſitas eſt; eſt & ſapientia; quæ cum ſit candor vitæ æternæ, & vbiquè attingit proptèr ſuam munditiam, obſcurum ambigui non admittit*: vbi notandum quod ignorantia malum, & dubietas ſimilitèr, & quod ſpiritus Dei non admittit ambiguitatem. Ergò nèc liberas opinionum noctes: nàm Eccl.c.2. *ſtultus eſt, qui ambulat in tenebris*: ait Eccleſiaſtes. Quamobrèm Pſal.93. Dauid canit Deo: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum*: ſed iuxtà Recentiorum ſententiam non *Beatus*; ſed *miſer*; qui illuminatur, & docetur; quod quàm ſit abſurdum nemo non videt: & quod felicior ſit nox, quàm dies; ignorantia; quàm ſcientia; eſt Sole clarior inſipientia: & videtur hic repetendum illud Euangelij quod, *qui malè agit, odit lucem*: & qui S.Ion.c.3. odit lucem, malè agit. Præcepit enim Deus; vt diligamus lucem ſapientiæ; quam optauit Sapiens, & obtinuit: *Optaui, & datus* Sap.c.7. *eſt mihi ſpiritus ſapientiæ, & propoſui pro luce habere illam, quæ eſt ſapientium emendatrix.*

Car.Theol. fund.p.1. n.265. VIII. Ex præcedenti abſurdo aliud abſurdius erumpit, quod, vt innoteſcat magis, ità eſt differendum. Recentiores laxas collaudant opiniones, eaſque *benigniores* dictitant, ac per accidens *ſecuriores*,

riores, eo quod non aſtringant, & remouentes (nouæ benignitatis ingenio) obligationem legis, arcent [vt dictum eſt] à periculo labendi: quia *vbi non eſt lex, nec præuaricatio*; Sicut è contrà qui multiplicat præcepta, videtur extendere rete pedibus fidelium, ac fodere foueam viatoribus, occaſionemque præbere hominibus cadendi; vt ait D. Paulus: *quod occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnium concupiſcentiam. Sinè lege enim peccatum mortuum erat*: *ſeruus enim ſciens* [per mandatum] *voluntatem Domini ſui, & non faciens, vapulabit multis*. Vt inquit S. Lucas, ſi verò neſciat, excuſabitur: Ergò benigniores ſunt Recentiores: ſeueri autèm antiquiores: concludunt hi: verùm hic ſermo, plenus eſt mortifero veneno. Etenim ſi benigni ſunt, qui legem remouent. Ergò *Deus* qui legem ponit, benignitate carebit: Ergò laqueum inijcit creaturis. Ergò *præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, præbebit offendiculum ad ruinam animarum; hanc dicendi rationem tribuebat Catholicis impius Italianus Epiſcopus Capuæ: vti refert Baronius. Quod impium eſt cogitare, nè dum effari. Imò è contrà [ait Dauid]: *Dulcis, & rectus Dominus, legem dabit delinquentibus in via*: vbi Caſſiodorus ſic exponit; ſed *nè quis* (ait) *hanc adſtrictionem crederet ex aſperitate veniſſe, conſilium latæ legis exponit, ideſt bonitatis, ac dulcedinis; Bona ſiquidèm eſt lex* (ſubdit S. Paulus) *ſi quis ea legitimè vtatur*: & S. Auguſtinus (inquit) quod *præcepta ipſa omnia medicamenta erunt*: & ideò *Sapiens* [inquit Eccleſiaſticus] *non odit mandata* quinimò. *Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis*: hinc deprecabatur Dominum Dauid dicens. *Legem pone mihi Domine*, & iterum; *vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me*. Non igitur Rete, nec laqueus ſunt Dei leges. Nec ſeueri eam docentes.

S. P. Rom. c. 7. *S Luc. c. 12.* *Pſal. 118.* *Bar. an. 41.* *S. Aug. in pſ. 17.* *Eccl. c. 53.* *Pſal. 118.* *Pſal. 24.*

IX. Procedit vlteriùs noua hæc ſchola, vt videatur exoſam reddere Chriſti Crucifixi imitationem; nam *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs ſuis, ac concupiſcentijs*, vt ait Sanctus Paulus; hi verò placentia loquuntur, ac benigniora humanitati, dicentes hac ſuarum opinionum via tutum iter haberi. Iactant iugum Chriſti ſuaue, nec nos eſſe auſteritate grauandos; de quibus ſicuti de Pragæ Ciuibus cum Baronio referendum eſt. *Voluptas pro lege erat*: quibus autem voluptas pro lege eſt, omne, *quod libet, licèt* (inquit Sanctus Gregorius). *Inconſtantia enim concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum*; confirmat Sapiens. Verum aduerſus hos Sanctus Paulus Philippenſes monet. *Imitatores mei* (caſtigabat autem ipſe corpus ſuum) *Eſtote fratres, & obſeruate eos, qui ità ambulant, ſicut habetis formam noſtram: multi enim ambulant, quos ſa-*

S. P. Gal. c. 5. *Baron. an. 989. n. 3. 4.* *S. Greg. moral. l. 5. c. 8.* *Sap. c. 4.* *S. P. Phil. c. 3.*

Digitized by Google

pè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione, qui terrena ſapiunt; an huiuſmodi doceant Recentiores, vide damnatas Propoſitiones à Summis Pontificibus, & præſertim octauam, & nonam Innocentij XI. ſcilicèt. *Comedere, & bibere vſque ad ſaturitatem* (aliqui explicant vſque ad vomitum *ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. Item opus Coniugij ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Reuera videntur eiuſmodi homines apud Iſaiam, D. Paulum, ac Sapientem profiteri. *Comedamus, & bibamus cras enim moriemur*. Iuſtè propterea à tribus prædictis competentibus Iudicibus etiam damnantur.

CAP. XXVI.

Libertas opinionum diuiſio vnitatis.

I. EA eſt libertatis non ſolum tuendæ; ſed & ampliandæ libido; vt libertatem ſibi errogent etiam in opinando, vbi libertas non eſt, iuxtà Ariſtotelem. Verùm tolerabilis fortè eſſet huiuſmodi vſurpatio, ni oriretur indè vnitatis diuiſio, & alia incommoda emergerent: vt ex ſequentibus patebit.

II. Tot ſunt ſententiæ, quot capita, nam *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat*, & quæ in obſcuro fiunt, vnuſquiſque iudicat iuxta propriam affectionem, & præoccupationem, vt inquit Imperator, & qualis vnuſquiſque eſt, talitèr iudicat; *quidquid enim recipitur, ad modum rei recipientis recipitur*, vulgò dicitur cum Ariſtotele, vndè fit, vt cum tot ſint numero homines; totque ſint hominum affectiones, multiplicentur opiniones ſuper numerum arenæ maris, contra Diuum Paulum hortantem; vt *ſimus perfecti in eodem ſenſu*.

L. Capitane da. ff. De Reg. Iur.

S. P. Cor. 1. c. 1.

III. Inſupèr cum nunquam in eodem ſtatu permaneat homo, ſed facilè opinionem mutet, ſitque ambulatoria hominis voluntas, vſque ad mortem, quod etiam innuere voluit ipſemet Chriſtus, dicens. *Nonne duodecim ſunt horæ diei*; hinc euenit, vt idem homo paſſim alias ſibi fingat opiniones, ſibique diſſimilis fiat: multoque repræhenſibilior eſt, ſi penitùs libera, ac ad libitum ſit opinionis electio, vel mutatio, nam fluctuatio malæ mentis ſignum eſt, & malum

S. Ioan. c. 11.

Digitized by Google

malum (ait Seneca) ; *Sapientiaque eſt idèm velle , & idem nolle* : Sen.ep.120.
ait idem : imò Sapiens in Scripturis aſſerit , quòd *Spiritus bonus eſt* Idem ep.20
ſtabilis : ſicut leuitas dedecet fidelem hominem : vt teſtatur idem Sap.c.7.
Paulus . Eadem namque ratio eumdem producit aſſenſum . *Idem* S.P.Corint. c.1.
enim (ait Ariſtoteles) *& ſimilitèr ſe habens , idem aptum natum* Ariſt. l.2.
eſt facere . Huiuſmodi autem leuitas ab Eccleſiaſtico etiam damna- de gener. &
tur , dicente . *Non te ventiles ad omnem ventum , & non eas in* corrupt.
omnem viam : cui concordat Sanctus Paulus dicendo : *ne ſimus par-* Eccl.c.5.
uuli fluctuantes , ne circumferamur omni vento doctrinæ . Ergò S.P.Eph. c.4.
huiuſmodi opinandi libertas facit hominem diſſonum veræ Sapien-
tiæ, & indè inſipientem .

IV. Vlteriùs , cum *cogitatio humani cordis ſit prona ad malum* Gen.c.8.
[vt dixit ipſemet Deus] ; hinc ſequitur, quod hominum opiniones,
ſint vanæ. Vndè dicit Dauid . *Dominus ſcit cogitationes hominum* : Pſal 93.
quoniam vanæ ſunt , & idcircò non poteſt eſſe recta , quam ſuis va-
nis opinionibus ſibi format , norma viuendi : *non* enim *poteſt Arbor*
mala bonos fructus facere . S.Mat.c.7.

V. Adhuc itur in peius : *Ex abundantia enim cordis os loquitur* : S.Mat.c.12
quare cum diuerſa ſint cordis humani ſenſa , diuerſa quoque ſunt ge-
nera linguarum . Vnus dicit bonum ; alter malum , & vnus , idem-
que ſemel affirmat , & iterùm negat ; & ecce confuſio Babel : contrà
eumdem Paulum monentem : vt *idem dicatis omnes , nec ſint in vobis* S.P.Cor. 1.
ſchiſmata . c.1.

VI. Demum proceditur ad maiora . *Omne animal diligit ſibi ſi-*
mile : (vt ait Eccleſiaſticus) & ſicuti ſimilitudo eſt cauſa amoris ; ſic Eccl.c.13.
diſsimilitudo cauſa auerſionis . Quamobrèm cum homines in nobi-
liori parte , quæ eſt intellectus , ſint diſsimiles , oritur hinc vnitatis
diuiſio . Non enim diù perſeuerat voluntatum vnio : vbi eſt opinio-
num diuiſio . Ipſemet Doctor Gentium Paulus oſtendit : nam cum Act.c.23.
ſeminaſſet ipſe controuerſiam de Reſurrectione inter Phariſæos , & Act.c.15.
& Saducæos , *ſoluta eſt multitudo* . Quinimò ipſemet Paulus di- S.P.Cor. 1. c.1.
ſentiens à S.Barnaba ab inuicem diſceſſerunt : quare idem Apoſtolus
acritèr repræhendit Corinthios , quod diuerſas fouerent opiniones:
dicentes . *Ego ſum Pauli : Ego Apollo : Ego verò Cepha* : *numquid*
diuiſus eſt Chriſtus ? dicebat Paulus : & ad Epheſios ſcribebat, vt
eſſent ſoliciti ſeruare vnitatem Spiritus : nam ſpiritus Chriſtianiſmi S.P.Eph. c. 4.
eſt *Spiritus vnicus* (ait Sapiens) qui efficit , vt *multitudinis creden-* Sap.c.7.
tium ſit cor unum , & anima una . Ergò remouendum prohibens Act.c.4.
hanc ſpiritus vnitatem .

VII. En quot naſcuntur inconuenientia ; ſed de his iterùm fuſiùs:
quia homines à lumine legis , & veritatis auertentes ſe , in tenebris
ambulant . Nam *qui ambulat in tenebris, neſcit , quò uadat* ; ait S.Io.c.2.
Chri-

Digitized by Google

Chriſtus apud Ioannem, & quantum à luce abſcedit; tantumdem aberrat à via: vndè recedentes Recentiores ab vna veritatis regula, quæ efficit, vt adimpleatur illud effatum: *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*; intrant in laberinthum opinionum; vti ſatis apertè prædicat Eccleſiaſtes; *ſolummodò hoc inueni* (ait), *quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis immiſcuerit quæſtionibus*; infinitæ ſiquidem ſunt apud Recentiores morum quæſtiones; cum omne penè verbum ſit quæſtio, nihilque ferè certi habeatur, ob nouas quotidiè ſententias; quæ hominum opiniones, quò ſunt plures; plus quoque diſſentiunt vni veritati, & vni Fidei veritatis Magiſtræ; vndè fit quod *ſtultorum infinitus eſt numerus*. *Vnanimes igitur* (monet Diuus Paulus) *ac uno ore honorificemus Deum*. Vt autem vnus ſit animus, ſtudeamus, vt vnaquoque ſit ſententia.

Eccl.c.7.

Eccl.c.1.

S.P.Rom. c.15.

CAP. XXVII.

Recentiores tendunt, etſi non intendant, ad vnius Eccleſiæ diuiſionem.

I. IEſus Chriſtus Filius Dei Vnigenitus de Sinu Patris deſcendens in terras factus eſt homo, vt Filios Adæ vbiquè terrarum diſperſos; ipſe ſecundus Adam *in vnum* congregaret; ſicuti & æternum Patrem pro hac vnitate rogauit Filius: vt *ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus*. Vnum non vnitate loci; ſed *vnitate*. 1. *cognitionis*, & vnitate *dilectionis*: ſicut Pater, & Filius vnum ſunt cognitione, & amore eſſentiali. Verbum igitùr caro factum ex Virgine Maria; vt vniuerſos congregaret *in vnum*, non locum; ſed Intellectus, ac voluntatis vnum ſenſum, duo potiſſimum decreuit media; nimirùm quod *vnum* eſſet *fundamentum*, *& vna domus*. *Vnus Pater*, *& Vna Familia*. *Vnum Caput*, *& vnum Corpus*. *Vnus Pater*, *& vnus Grex*. *Vnus Magiſter*, *& vna Doctrina*; & factis ipſis idemmet per ſeipſum, ac per Apoſtolos ſuos præſtitit, ac Fundamentum Primum ſe conſtituit, & vna ædificaretur Domus, quæ eſt Eccleſia: Vnus fuit Pater, & vna foret Familia. Vnum Caput, vt eſſet vnum corpus. Vnus Paſtor, & vnus Grex. Vnus Magiſter, & vna Doctrina, & continuabitur opus iſtud donèc (ait S.Paulus) *occurramus omnes in Vnitatem Fidei*, *quæ* (ait idem Apoſtolus) *per Charitatem operatur*: vti in primis naſcentis Ec-

S.Ioan.c.17

S.P. Eph. c.4.

Digitized by Google

Eccleſiæ Fidelibus extitit. Nàm *multitudinis credentium erat cor vnum* [en Charitas] *& Anima vna*, en vna Cognitio, & vna Fides. *Act. Apoſt.* *S.P.Gal.c.5.*

II. Ergò vt vna ſit Eccleſia, vna debet eſſe Fides, & veritas Doctrinæ, & vt vna ſit doctrina, vnus debet eſſe Magiſter, qui cæteros doceat, & edocti ab ipſo reliquos inſtruant: vti multò antè ſignificauit Eccleſiaſtes: imò Deus ipſe Salomonis ore (dicens) *Verba Sapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à PASTORE VNO*, cui Ezechielis itèm ore conſonat ipſe Dominus dicens: *Et ſuſcitabo ſupèr eas PASTOREM VNVM, qui paſcat eas*; & cùm omnes in eumdem adducentur, & conuenerint doctrinæ, ac Charitatis ſenſum, tunc *fiet vnum ouile, & VNVS PASTOR*: declarat ipſe Chriſtus. Vnus Paſtor eſt; vt vnum fiat Ouile. Vnum Ouile, vt vnum agnoſcat Paſtorem: Vnus Magiſter, vt vnam doceat veritatem. Vna Doctrina veritatis, vt vnum colat Magiſtrum: etenim ſeſe comitantur, ſibique connectuntur: vti innuit S.Paulus: *Vnus Dominus, & vna Fides*. Verba D.Pauli explicare videtur *Magiſtrorum* Concilium Conſtantienſe *à Paſtore vno* edoctum, dum declarat *vnum* eſſe *Caput viſibile regens Eccleſiam*, & hunc eſſe Papam; ſicuti etiàm quod Romana Eccleſia ſuprema eſt in toto terrarum Orbe colenda. *Eccl.c.12.* *Ezech.c.34* *S.Ioa.c.10.* *S.P.Epheſ.c.4.* *Conſtant. ſeſſ.45.*

III. Huiuſmodi inconſutilem vnitatis veſtem ſenſim ſine ſenſu dilacerare pergunt Recentiores. Nam in primis vnitatem, ac vnanimen cognitionis ſenſum, per tot excogitatas opiniones diſcindunt. Quot enim ſunt Capita, tot ſententiæ; quinimò vnum, & idem Caput; ſicut Capùt illius beſtiæ Appocalypſis, decem cornua habebat; ſic plura exurgunt in eodem homine commenta, & in eo adimpletur illud Iob. *Nunquam in eodem ſtatu permanet*, & cum ſint *duodecim horæ diei*, plures item mutantur; & cum humani ingenij cogitationes multiplicantur, ferè in infinitum, quotidiè percrebreſcunt opiniones, & hic & nunc adimpletur illud Eccleſiaſtis. *Faciendi plures libros nullus eſt finis*: ità vt Seneca diceret; *quo mihi innumerabiles libros, & bibliothecas, quorum Dominus uix tota uita ſua Indices perlegit? Onerat diſcentem turba; non inſtruit; multòque ſatius eſt paucis te auctoribus tradere, quam errare permultos*, & ad Lucillum ſcribit; *diſtrabit animum librorum multitudo*. *Eccl.c.12.* *Senec.de Tranq.c.9.* *Senec. ad Lucil.l.1.ep.2.*

IV. Sed reſpondent Recentiores. Hæ multiformes opiniones ſunt in materijs indifferentibus, non de Fide. Ergò nihil obſunt; non ità eſt. Nam valdè officiunt; quia ſecedentes ab aperta veritatis ſemita; ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrunt, & creſcunt ad maximum veritatis incendium; vndè dicebat Sanctus Cirillus Hieroſolymitanus. *Cum quis ab unica recta excedit uia, tum ſæpè numero* *S.Cirill. Cathech.6.*

Digitized by Google

mero dilabitur in præcipitia. Hoc probat eſſe veriſsimum, tot damnatæ Propoſitiones in materia etiam de Fide, ac de Charitate [vt dicemus infrà] & inſupèr quam verè dilabantur Recentiores paulatim à recta via veritatis ad præcipitia falſorum Dogmatum, patet etiam ex libro cuiuſdam eruditione calami velocitèr ſcribentis, valdè famoſi, qui auſus eſt affirmare Regem eſſe Papa Superiorem; & quod peiùs eſt; ſuam aſſertionem contendit probare ex Sancti Gregorij Magni verbis, quæ fidelitèr à Cardinali Baronio recitata, & legitimè intellecta, probant contrarium ipſi Recentiori, cui etiam disertè multò ante reſpondit, & oſtendit clarè veritatem maioritatis Papalis ſuper Imperialem etiam celſitudinem Innocentius Tertius, qui eadem ferè, quæ ſcripſerat Imperatori Greciæ, repetit Prælatis per Franciam conſtitutis: nihilominùs.

V. Hoc quam ſit falſum hoc diſcurſu ex Concilio Conſtantienſi innoteſcit. Si Imperator, vel Rex maior eſſet Papa, hoc erit, non quatenùs purus eſt homo; ſed quatenus eſt *Dei miniſter*; vti vocatur à Sapiente, & à Sancto Paulo, & à Diuo Petro: Deus autem *miro ordine Angelorum miniſteria, hominumque diſpenſat*: vti teſtatur Eccleſia, & quæ ſunt *à Deo ordinatæ ſunt*; vti dicit Bonifacius Octauus cum Diuo Paulo. Ergò cum Rex ſit Miniſter, & Papa ſimilitèr, erit inter eos ordo; nunc iam quæritur inter miniſtros quis eorum videatur eſſe maior? Miniſter autem *Maior* ille eſt, qui poteſtate ſibi data, *proximus & immediatus* eſt Principi Supremo. *Proximus* enim *eſt, quem nemo antecedit* [ut dicit Imperator] & ex ui uocabuli patet; ſed Papa eſt proximus, & immediatus Chriſti Regis Regum Vicarius: (uti declarat Concilium Conſtantienſe). Ergò Papa eſt Miniſter Maior. Prætereà Petro dixit Ieſus. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ergò Petrus uniuerſam Chriſti Eccleſiam regit, & Reges in ea. Ergò ipſe eſt maior. Vlterius eidem indiſtinctè commiſit Ieſus Dei Filius. *Paſce oues meas*. Ergò cunctarum ouium Chriſti ipſe eſt Paſtor. Ipſe uerò Imperator, ac Rex uel eſt ouis Chriſti, [ut diſſerit Cardinalis Baronius] & paſcitur à Summo Paſtore, uel non eſt ouis Chriſti, & de his, qui foris ſunt ex ouili, nihil ad nos, nec de huiuſmodi eſt præſens ſermo. Paſtor autem ſpiritualis, cum ſpiritus præcipuè regat, multò maior eſt Paſtore, qui regit ſolum corpora; ſicuti maius luminare eſt Sol, qui præeſt diei, quam Luna, luminare minus, quod præeſt nocti; uti docent Innocentius Tertius, & Bonifacius Octauus, & idem Baronius rationibus, & praxi eademmet oſtendit. Prætereà Papæ Poteſtas immediatè ore ipſius Regis Regum Ieſu Chriſti eſt demandata in Petro. Regibus autem non ità (ut Sanctus, ac Doctiſsimus Theodorus Studita aſ-

Baron. an. 593. n. 15. Innoc. III. Decret. l. 1. tit. 33. de maior. c. ſollicita. Innoc. III Decr. l. 2. Tit. 1. De Iudicijs c. 13. nouit ille. Sap. c. 6. S. P. Rom. c. 13. S. P. ep. 1. c. 2. Breu. Rom. 29. Set. Bon. Extr. com. l. 1. tit. 8. de maioritate c. 1. D. P. Rom. c. 13. L. Proxim. ff. de verb. ſign. Conſt. ſeſs. 45. S Mat. c. 16 S. Ioan. c. 21 Baron an. 800. n. 14. Innoc. III. Decr. l. 1. tit. 33. de maior. c. 6. ſollicitè. Bar. a. 800. n. 9 10. 11. 12. Bon. 8. extrau com. l. 1. tit. 8. de maior. c. 1. Conſtant. Vuicl. ar 41 Bar. an. 814. n. 12.

aſſeruit Leoni Armeno Imperatori (ſicut refert idem Baronius) : *Baron. an.*
quinimò hanc profeſſus eſt Veritatem in Octauo Concilio Genera- 869.*n.*55.
li Conſtantinopoli coacto Baſilius Macedo Græcorum Imperator : 56.
(vt idem refert Baronius) & eidem Imperatori repetiuit Stepha- *Baron.an.*
nus Papa Sextus: vti Baronius. Demùm Concilium Conſtantienſe 865 *n.*11.
cum Martino Quinto, qui idem Concilium in hac parte confirmat, 12.
& Bonifacius Octauus definiunt Papam habere in Catholica Eccle- *Conſt. ſeſſ.*
ſia Primatum. Ergò ſi Primus eſt, nullus eſt illo prior. Nòs ergò 45.*ar.*41
(profiteamur cum Carolo Magno Imperatore glorioſiſſimo, ac *Vuicl.*
Franciæ Rege) *In memoriam B Petri Apoſtoli honoremus Sanctam*
ROMANAM, & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis
Mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ Magiſtra rationis.
Quarè ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas: vt licet vix fe-
rendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamèn feramus, & *Grat.diſt.*
pia deuotione toleremus: vti referunt Gratianus, & Baronius, idem- 19.*c.*3.*in*
que Magnus Imperator Ludouicum Filium etiàm Imperatorem *memor. &*
monuit; vt Sacerdotes veneretur, tamquàm Patres: vti reipſa pre- *Baron. an.*
ſtitit: vndè etiàm cognominatus fuit *Ludouicus Pius*; ergà Apo- 801.*n.*9.16
ſtolicam Sedem quanta reuerentia afficeretur S.Eduardus hiſce te- *Bar.an.*
ſtatur: *Ad Summum Patrem Eccleſiæ Vniuerſalis Nicolaum Edu-* 813.*n.*12.
ardus Dei gratia Anglorum Rex debitam ſubiectionem, & obe- *Bar.an.*
dientiam: refert idem Baronius. Cuius Caroli Magni natalitia 814.*n.*63.
Eccleſiæ Gallicana, & Aquigranenſis quotannis celebrant; ſicuti
idem Baronius refert. Heu? quantùm diſtat Sacerdos hic, nouuſ-
que Auctor à tanto Imperatore doctrina, ac ſanctitate etiàm ma-
gno, ac Idea Religionis, proponenda vniuerſis.

VI. Vide Lector in quantam erroris abyſſum noſtris hiſce die-
bus prolapſus eſt homo famoſus; *Abyſſus Abyſſum inuocat*, de *Pſal.*41.
quo, & ſimilibus plangit Iob: *Ipſi fuerunt rebelles lumini, vel na-* *Iob c.*24.
turali, vel Sacræ Scripturæ, vel Superiorum; & ideò *neſcierunt*
vias eius, nèc reuerſi ſunt per ſemitas eius; Nàm qui de recta via
incipit pauliſpèr declinare, progreſſu temporis, & itineris pluri-
mùm diſtabit: *paruus enim error in principio, in fine fit maximus*,
(inquit Philoſophus) & qui luci terga vertit, quò plùs vltrà pro-
greditur, minùs videt, & magis offendit, & tenebras erroris lumen
vèritatis æſtimat; & hinc magis delabitur: nàm *qui ambulat in te-*
nebris, neſcit quò vadat, ſed ſæpiùs offendit. *Vide* ergo *nè lumen*
quod in te eſt, tenebræ ſint: nimirùm perpende, ac examina an
Principia ſuppoſita à te, ac Poſitiones, quæ à te fiunt, habeant lu-
men veritatis; an tenebras erroris, nè ipſis ſuccedant, & concate-
nentur deindè alij errores peiores prioribus. Cùm igitur iuxtà Re-
centiorum placita, liceat quacumque ex cauſa dimittere Probabi-
Xx lio-

Digitized by Google

liorem, ac quodammodò dare libellum repudij vni veritati, ſit, vt cùm omnis ratio videatur probabilis; facilè enim eſt videri maximè cupienti: *An non qui amant, ſibi ſomnia fingunt*; *quià Iudicium interpellat affectus* (ait Seneca): Hinc *omnis via viri recta ſibi videtur* (ait Salomon) & propterea omni viæ ſe committit contrà eiuſdem Sapientis monitum dicentis: *Non eas in omnem viam*; & cùm in quamplures diſpergantur opinionum vias, fit vt à ſe inuicèm plurimùm diſgregentur: qui autèm Probabiliorem ſequuntur ad vnum tendunt, & adunantur; Nàm *Veritas vna eſt*, & *vna* eſſe ſolet *Probabilior*, quæ cæteras excedit; *Quod enim per ſupèrabundantiam dicitur, vni ſoli conuenit*; vt dicit Ariſtoteles cum Imperatore. Ergò, vt vnum ſimus mente, Probabilior Pars eſt ſequenda.

Sen. de Beneſ. l. 2. c. 14.
Preu. c. 21.
Eccl. c. 5.
Imp. l. illa verba ff. de verb. ſign.

XII. Irridet Recentior: quià (ait) variæ opiniones in Scholis ſunt multiplices flores in Scholaſtico Viridario, qui idem exornant; ſunt etiàm innumerabilia aſtra, quæ Stelliferum Veritatis Cælum condecorant, & delectatur Veritas *in veſtitu deaurato circumdata varietate*; Sed irridenda multò magis eſt Recentioris irriſio. Nàm Veritas eſt Sol; imò *ſpecioſior Sole* [inquit Sapiens]; qui vnus omnium Syderum decorem in ſe compræhendit, & ad ſe omnia colligit Sol, vt docet S. Dyoniſius; ſicut igitùr qui vt ſyderum varietate gauderet, reſpueret præſentiam, ac lucem Solis, eſſet irridendus: Sic qui Probabiliorem relinquit (quæ potiùs veritas eſt) vt Probabilem ſequatur opinionem, irridendus videtur. Præterea D. Paulus Doctor Gentium huius tàm pulchræ veritatis ignarus fuiſſet, qui adortabatur fideles, dicens Corinthijs; *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini Noſtri Ieſu Chriſti; vt idem dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autèm perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*; nèc Sancta Dei Eccleſià rectè ſaperet, cùm velit vnanimem Sanctorum Patrum ſenſum haberi pro Chriſtiano Dogmate; vt monet Concilium Tridentinum; cui vt ſe conformaret ſenſatiſſimus Pater Claudius Aquauiua Vniuerſis Societatis Ieſu Socijs, ipſe Præpoſitus Generalis, *Epiſtola data Romæ die 14. Decembris* 1613. Commendat *Doctrinæ ſoliditatem, & conformitatem*, & quod ſequantur Diuum Thomam, vt vna ſit aqua ſapientiæ ex vno fonte hauſta. Nàm *quæ ſunt eadem vni Tertio, ſunt eadem intèr ſe*; &ècontrà: *quæ non ſunt eadem vni Tertio, non ſunt eadem intèr ſe*.

Sap. c. 7.
S. P. Cor. 1. c. 1.
Trid. ſeſſ. 4. Decr. 2.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVIII.

Ad vnius Charitatis vinculum rumpendum tendunt Moderni.

I. PErſiſtet fortè in ſua opinione Recentior dicens, quod opinionum multitudo intellectui non nocet; quo dato, non conceſſo; nocet tamèn voluntatum Vnitati. Nàm in primis cum Imperatore meminiſſe oportet, quod *naturalis eſt hominum ad diſſentiendum facilitas*. Præterea voluntas amat ſimilitudinem. Eſt enim ſimilitudo cauſa amoris. Vndè dicit Sapiens, quod *omne animal diligit ſibi ſimile; ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur*. Similitudo autem in primis eſt in *ſpecie*, ac eſſentia. 2. in *corpore*. 3. in *animo*. 4. in animo autem eſt ſimilitudo in *mente*, ac 5. in *voluntate*. Plures autem ſunt ſimiles in ſpecie, ac corpore; ſed non ſe amant; quia deeſt ſimilitudo animi. Si ergò diſſimilitudo eſt in mentis opinione; iam deeſt aliqua amoris cauſa; multòque magis deeſt amoris fomentum, quia alter opinatur alterum non ſolum habere opinionem contrariam, ſed etiam velle habere, & ſic velle ſibi eſſe contrarium, & hinc iam fluit diſſimilitudo etiam voluntatis: eò magis, quò ſæpè opiniones ſunt in rebus practicis; in quibus alter ſæpè damnum, vel moleſtiam ex ea ſubit. Hoc verum eſſe facto ipſo docuit Sanctus Paulus [vt diximus] qui conſpiciens Hebræorum voluntates in ipſius necem conſpirantes, vt has diuideret, excitauit in ipſis opinionum diuiſionem: vti habemus in Actis Apoſtolorum. *Cum hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos, & Saducæos*, & ſoluta eſt multitudo. Ergò diuiſio ſententiarum diuidit, & voluntatum ſenſus.

L. Item ſi vnus ff. de Receptis l. 4. tit. 8. §. 6.

Eccl. c. 13.

Act. Apoſt. c. 23.

II. Verùm reſpondet Recentior: hæc eſt diſsimilitudo leuis, nec verè voluntates diuidit, vel efficit contrarias; nam Sancti Hieronymus, & Auguſtinus in aliquibus erant opinionibus contrarij. Sanctus Stephanus Papa, ac Sanctus Cyprianus item repugnabant ſibi inuicem. Imò ipſimet Angeli reſtiterunt ſibi in Perſide viginti vno diebus; & tamen ſunt ſibi voluntate deuincti? Ergò Pugna Intellectus non eſt pugna voluntatis, & adeſt concordia cordis in diſcordia mentis. Cui reſpondendum eſt. Ideò ſic contigit, quia Sancti erant, qui fortes in bello Chriſtiano, & edomitas habentes paſsiones, frænabant Intellectum, ne excitaret ad diſcordiam etiam voluntatem,

& cohibebant voluntatem, ne & ipſa alijs diſſentiret; & hoc alijs quoque non contigiſſe Sanctis, teſtatur exemplum S. Pauli, & Barnabæ, qui etſi Sancti; nihilominus proptèr opinionum diuerſitatem, ab inuicem diſceſſerunt. Nam facta eſt diſſenſio ità vt diſcederent ab inuicem. Ergò diuiſio opinionis etiam in Sanctis, diuiſionem voluntatis parit: quantò magis in non Sanctis? Igitur *vnus ſit Dominus; vna Fides; vna Veritas; vna ſit Charitas*. In Cęlis eſt exemplar noſtrum: vbi *vnum volunt: vnum nolunt: vnitas eſt mentium:* canit cum D. Auguſtino S. Petrus Damianus. Vnitas mentium. Vnitas cordium.

S. Auguſt medit.

III. Creſcit diuiſionis fomentum. Nam Recentiorum opiniones, ideò ſunt plauſibiles, & placent: quia humanæ fauent naturæ, & cupiditati, ſeu amori proprio & tam in delectabilibus, quam in vtilibus, ſub varijs Probabilitatum coloribus, ac Prætextibus indulgent; ſed *Radix omnium malorum eſt cupiditas* (ait Sanctus Paulus) & *vndè* (inquit Sanctus Iacobus) *bella & lites in vobis? Nonne hinc! ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* & ideò (inquit Summus Pontifex) *lex proditur: vt appetitus noxius ſub iuris regula coarctetur*. Ergò Recentiorum opiniones, dum humanis fauent cupiditatibus, ſeminaria fiunt litium, ac bellorum; dum enim dicunt V.G. (poſita multitudine, ac varietate opinionum) bellum eſſe vtrimque iuſtum, vnuſquiſque huiuſmodi fretus opinione in alterum feruet; & eodem pacto in cæteris ſe gerunt; & ſic latam ad diuiſionem uiam aperiunt, ac laxant habenas, cuiuſque appetitibus, qui vtpotè animales tamquam Feræ, ac Leones contrà ſe inuicem pugnant; atque decertant, & comparati iumentis inſipientibus aguntur proprijs appetitibus, putant tamèn ſe prudentèr operari; quia eos Probabilitatis etiam tenuis faſcinat ſpecies, ſeu color.

Pontif Poem. Dec.

IV. Recentiores igitur vnam Dei Domum ſoluunt, dum Doctrinæ, ac Charitatis vnitatem ſoluunt. Sunt enim hæc vinculum, ac Clauis huius Domus; multò autem plus diuidunt huiuſmodi vnitatem; quia non *vnum*; ſed *plures* reipſa conantur conſtituere *Paſtores*; non multiplicant quidem palam, & apertè tres Papas: vti fuere anno 1415. ſed re ipſa ab ipſis tot agnoſcuntur Summi Paſtores, quos Doctores. Nam cuilibet Doctori tantam tribuunt auctoritatem, vt vnuſquiſque Summi Paſtoris ſibi vindicet ius interpretandæ Pontificiæ legis: imò ſub ſpecie interpretationis ſibi arrogant facultatem publicandi ſuas opiniones pro legibus; quibus interpretationibus vſque adeò deferri contendunt, vt ſi vel vnus alitèr ſentiat, ac contradicat, oſtendendo interpretationem non eſſe ſinceram, ac germanam; plus vltrà procedunt ipſi, & dicunt apertè

non

non teneri lege illa; quia vnus Doctor aliter cenſet, & facit [ſecundum ipſos] opinionem probabilem, & qui ſequitur opinionem probabilem, prudentèr operatur, & qui prudentèr operatur, non peccat: & ecce Summi Pontificis euaneſcit Conſtitutio, & eluditur eiuſdem Poteſtas; quoniam Doctor vnus, quaſi ei par foret, opinatione ſua derogat Decretis Papę. Imò & abrogat: eximit ab obligationibus, & cætera præſtat reipſa, ac ſi foret penè Papa, Probabili tantum nixus opinione: quaſi hæc ſit Summa Eccleſiæ poteſtas, ac ſuprema lex, & Sapientia Dei: cui omnes homines etiam Summi Pontifices ſe ſubdere, ac parere debeant, & quaſi foret Caput Recentioris, ſuprema Iuſti & recti regula, vel Tribunal, quod omnia iudicat: ità, vt qui vellet modernum Theologum definire, ſic eſſet deſcribendus. *Doctor Recentior eſt ſupremus Moralium Iudex per vſurpationem, cuius infirma conſilia, prætenduntur eſſe leges Sanctiſſimæ, vel Theologus, ac Doctor Modernus eſt ſimulacrum Theologiæ, cuius vana reſponſa credi exigit tamquam oracula irrefragabilia,* & quamuis oretenus confiteantur ſe noſſe Dei Vicarium, factis tamen negant. De huiuſmodi conqueri videtur Deus, & cum eo ipſius Vicarius per Ieremiam dicens. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam. Poſuerunt eam in diſſipationem, luxitque ſuper me. Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt, qui recogitet corde* (nota): cogitant moderni opinando; ſed non recogitant diligentèr examinando; cogitant mente curioſa, non recogitant corde ſerio, vt eligant bonum, & reprobent malum. *Ier.c.12.*

V. Hìc proptereà cum S. Iſidoro Hiſpalenſi repetendum eſſet. *Cauendus eſt inimicus, qui manifeſtus eſt; ſed magis ille, qui videri non poteſt. Facilè enim vincimus, quæ videmus, quæ autèm non videmus, difficile à nobis expellimus. Raro nocetur homo ab extraneis, ſi ſui eum non lædant. Magis enim inſidijs noſtrorum, quàm aliorum periclitamur. Latent ſæpè venena circumlita melle verborum, & tamdiù deceptor bonitatem ſimulat, quouſquè fallendo decipiat*: Adeò vt Dei Vicarius poſſet cum ipſomet Deo per Malachiam conqueri; *Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum; ſi ergò Pater Ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus Ego ſum, vbi eſt timor meus? Dicit Dominus exercituum ad vos, ò Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum.* Deſpicitis quidèm, non tàm apertè, quàm ſubdolè, & equipollentèr. Nàm cùm præſeferatis ſpeciem ſeruorum meorum, virtutem autèm non habetis, & gloriantes vos eſſe legis meæ Doctores, veſtras docetis opiniones, ac ſpiritum veſtrum inſufflatis in homines, non ſpiritum meum, & hiſce populus veſtri diſcipulus neſcit verum mei timorem, nèc amorem. *Populus* namquè *iſte labijs me honorat, cor autèm eius longè eſt*

S. Iſidor. ſentent. l. 3 c. 26. n. 2. 3. 4.

Malach. c. 1

Iſa. c. 29.

S. Math. c. 15. *eſt à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis* [nota] *Ideò* [ait Dominus] *Ecce Ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo. Peribit enim ſapientia à Sapientibus eius* (nota) *& intellectus prudentium eius abſcondetur*. S. Math. c. 5. Etenim *Vos eſtis ſal terræ, ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mitatur foras, & conculcetur ab hominibus*; vti Petro de Luna Pſeudopapæ auidiſſe legitur; qui à Concilio Conſtantienſi damnatus fuit, quod ſuis addictus opinionibus violauerit articulum Fidei; *Vnam Sanctam Eccleſiam*, renuendo veri Papæ ſenſibus ſeſe ſubijcere; vti refert Odericus in proſecutione Annalium Baronij. Oderic. an. 1417. n. 12.

CAP. XXIX.

Monſtruoſum Commentum.

SVpremi Principis prærogatiua eſt legislatio, condendique iuris poteſtas; ſicut è contrà ſubiectionis argumentum eſt, legibus parere; vndè Dominum monebat Dauid, dicens: *Conſtitue Domine legislatorem ſupèr eos, vt ſciant gentes, quoniàm homines ſunt*. Pſal. 9. Homines autèm ſemetipſos conſtituunt Legislatores, vt neſciant ſe homines eſſe, & fiant *ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*; & tamquàm Dij volunt, quod ipſorum opinio ſit oraculum, & agendorum lex; cui & ipſemet Deorum Deus ſeſe accommodare quodammodò teneatur: Hoc monſtruoſum Commentum ſignificaſſe videtur Eccleſiaſtes, dicendo; *Vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes ſupèr terram, quaſi ſeruos*; & reuerà ità contingere doluit ipſemet Deus per Iſaiam, dicendo; *Seruire me feciſti*. Videntur enim Diuinum ius ſibi vindicare. Eccl. c. 10. Iſai. c. 43.

II. Eiuſmodi Doctores facto ipſo cum Apoſtata Angelo profiteri videntur, dicentes; *In Cælum conſcendam, ſupèr aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſupèr altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo; quoad regulam agendorum*; vti explicat hunc locum Lyranus; ſiquidem, vt Sacra Altaria ſuas opiniones coli meditantur; *Filiæ enim eorum compoſitæ, circumornatæ, vt ſimilitudo Templi*; (vt dicit Dauid) Per has [exponit S. Bruno Epiſcopus Aſtenſis] *Eorum ſententiæ ſignificantur, multa verborum venuſtate, & varietate decoratæ; Benè autèm ſimilitudini comparantur, quià rei veritatem non habent, quamuis ſe eam habere oſtendant. Tranſeunt* Pſal. 141. S. Bruno in Pſal. 121.

de-

Digitized by Google

deniquè ex hoc in hoc ; *quià eorum doctrina non habet fundamen-
tum* ; *ſed ſempèr vaga* , *&* *inſtabilis eſt* . Hiſce minatur Deus ipſe
per Iſaiam ; *Væ* , *qui ſapientes eſtis in oculis veſtris* , *&* *coràm vo-* Iſa.c.5
biſmetipſis prudentes . *Væ* (exponit Lyranus) *qui ſapientes eſtis* , Ierem.c.8.
ideſt, *cognoſcentes Diuina* , *non ſecundùm veritatem* , *ſed tantùm* Lyran. in Ierem.c.8.
ſecundùm opinionem veſtram .

III. Monſtruoſa verò hæc hominum præſumptio laruata apparet
(erubeſcit enim , & horret aperta mala Deo obſequium detractare)
ſeſeque Diuinæ legis ſeruandæ ſtudioſam profitetur , & præſeferens
ſpeciem obedientiæ factis negat, ac Diuinæ voluntatis fuco pro-
priam colorare ſatagit , & ſub velamine interpretationis mandato-
rum Dei , propria commenta ſubſtituit , & docet ; vndè magnoperè
conqueritur ipſe Deus per Iſaiam dicens ; *Interpretes tui præuari-* Iſa.c.43.
catio ſunt in me ; & per Ieremiam etiàm dolet ; *Populus meus non* Ier.c.8.
cognouit iudicium Domini , *quomodò dicitis* ; *ſapientes nos ſumus* ,
& *lex Domini nobiſcum eſt* ? *verè mendacium operatus eſt ſtylus
mendax Scribarum* ; *quià falsò* , *&* *extortè legem interpretaban-
tur* ; explicat hunc locum Lyranus ; prætereà negantes Deo factis Lyran in Ier.c.8.
ipſis obſequium , verbis eundem videntur irridere , quærentes ab
eo agendorum notitiam ; quamobrèm iterùm per Iſaiam conqueri-
tur ; *Me de die in diem quærunt* , *&* *vias meas ſcire volunt* ; *quaſi* Iſa.c.8.
gens , *quæ iuſtitiam fecerit* , *&* *Iudicium Dei ſui non dereliquerit* ; Iſa.c.10.
quibus idem Propheta minatur . *Væ* , *qui condunt leges iniquas* ; Pſal.93.
etenim Deus eſt bonus his , *qui recto ſunt corde* ; ait Dauid ; vbi ſic S. Aug. in pſ.117.93.
exponit S. Auguſtinus ; *Qui ſunt recto corde* ? (ait) *qui hoc volunt* , & in pſ 32.
quod Deus vult , *nèc voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem* 31.
tuam ; *ſed tuam corrige ad voluntatem Dei* ; *Voluntas Dei ſic eſt
quomodò regula* .

IV. Animaduertite igitùr (cantat nobis irrefragabilem verita-
tem Dauid) quoniàm Deus ; *Iudicabit orbem terræ in æquitate*, *&* Pſal.95.
populos in veritate ſua ; Non in opinione hominum . Ipſe enim con-
ſtitutus Iudex viuorum , ac mortuorum de ſe ipſo profitetur ; *Ego* S.Io.c.14.
ſum via , *veritas* , *&* *vita* . Hinc eſt quod Apoſtolus dicebat ; non
mea opinio ; ſed Dei veritas , Iudicij mei lex erit : *nihil mihi con-
ſcius ſum* , *ſed non in hoc iuſtificatus ſum* ; *quià qui iudicat me* S.P.Cor. 2.
Dominus eſt: Quamobrèm *non qui ſeipſum commendat*, *ille probatus*: c.10
ſed quem Deus commendat . *Scimus* enim , *quoniam iudicium Dei
eſt ſecundum veritatem* : repetit Sanctus Paulus , & *omnes viæ eius* S.P.Rom. c.2.
ueritas : addit Dauid : Iudicia autem Dei , & noſtræ opiniones in-
finitum diſtant : vt Ipſemet fatetur per Iſaiam . *Non enim cogitatio-* Pſal.118.
nes meæ , *cogitationes ueſtræ* : *neque uiæ meæ* , *uiæ ueſtræ* ; dicit Do- Iſa.c.55.
mi-

Digitized by Google

minus ; *quià ſicut exaltantur Cœli à terra : ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.*

V. Vndè ergò poterit quis propriæ, vel alterius opinioni acquieſcere, quaſi cognouerit ſenſum Domini, aut Conſiliarius eius fuerit? quinimò ſæpè maiori cum probabilitate diſcordandi ab ipſius iudicio, & voluntate? & hoc; tùm quià *prauum eſt cor hominis* (vt dicit Ieremias) & bona non ſuggerit, niſi purgetur; tùm quià in dies videmus quamplures opiniones, quæ credebantur ſanæ, ac tutæ, damnari ſaltèm tamquàm ſcandaloſas. Non ità ſe gerebat Rex Dauid, qui propterea efflagitabat à Deo: *De vultu tuo iudicium meum prodeat*: hoc eſt, iudicem ego, non quæ fallax cordis mei opinio iudicat; ſed quæ vultus tuus penetrans abyſſos; & cui nuda, & aperta ſunt omnia, cenſet eſſe iudicanda: & *illuminatione* [exponit S. Auguſtinus] *notitiæ tuæ verum iudicem*: huiuſmodi praxim ſequuntur iuſti, ait Salomon: nàm *cogitationes Iuſtorum iudicia*: quæ diligentèr examinant, an agenda, uerè Diuinæ concordent legi.

Ier. c. 17. Pſal. 16. S. Aug. in Pſ. 16. Prou. c. 12.

CAP. XXX.

Phanthaſiæ Recentiorum.

I. INtèr tot prodigia Moyſis Virga in Ægypto à Deo patrata, hoc etiàm Portentum apparuit, quod *omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine*: *ſolis autèm Ægyptijs ſuperpoſita erat grauis nox, Imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat*; *Sanctis* autèm (ſcilicèt Iſraelitis) eodemmet momento, *maxima erat lux*, illi uerò luce carebant, & patiebantur carcerem tenebrarum: quis non aduertit lucem affulgentem Hebræis Donum fuiſſe Dei maximoperè expetendum? noctem autem obumbrantem Egyptios iuſtam Diuinæ iræ fuiſſe pænam, totis uotis fugiendam? & quis Sapiens non elegiſſet eſſe cum Iſraelitis in luce, ſicuti quàm ſtultus fuiſſet, qui præoptaſſet eſſe cum Ægyptijs in tenebris?

Sap. c. 17. Sap. c. 18.

II. Bonum eſt Cæli lumen, malumque hoc priuari lumine: utrumque meridiana luce eſt clarius. Portentum hoc diebus noſtris renouari uidetur: lux magna eſt Sapientia, de qua Salomon ſcribit; *Supèr ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illàm: quoniàm ineſtinguibile eſt lumen illius*; lux autèm magna eſt Fides; nàm *illuminatio eſt Fides* (ut inquit S. Auguſtinus); De

Sap. c. 7. S. Aug. tr. 44. in Ier.

utra-

utraque S.Paulus ; *Eratis aliquandò tenebræ, nunc autèm lux in Domino* ; & ipſe Chriſtus : *Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat* ; *Dum lucem habetis credite in lucem, vt Filij lucis ſitis*. S.Io.c.1.
Nox è contrà eſt infidelitas, ac ignorantia ; nàm ſi dies, Sapientia, ac Fides. Nox erit infidelitas, ac ignorantia ; de hac nocte prædixit Iſaias ; *Populus, qui ſedebat in tenebris uidit lucem magnam*. De hac S.Ioannes dixit ; *Tenebræ eum non comprehenderunt* ; Eodem autèm tempore, quo lux affulget filijs lucis, caligo ignorantiæ operit alios.

III. Portentum maius portento ſupradicto uidetur eſſe quod *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem* ; & uti noctuæ, S.Ioan.c.3.
& ueſpertiliones abhorrent à luce, & noctem amant. Portentoſa huius noctis electio innoteſcit ex hiſce Caramuelis uerbis in Theologia Fundamentali, & in *Dedicatoria* ad Innocentium Decimum ; *Securius* (ait) *ſæpè iter agimus noctu, & nihil aliud ſunt Probabiles Theologorum ſententiæ, quàm quædam ſcholaſticæ noctes, quæ conſcientiam à multis periculis liberant*. S.Io.c.5.
Videntur hic profiteri ſe Angelos, qui Probaticæ Piſcinæ mouentes aquam Theologiæ Moralis, ac Angelico ingenio turbantes eam, ſanant [ut iactant] eos, qui in hanc turbatam opinionum aquam ſeſe immittunt ; ſed ueriùs aſſimilandi uidentur piſcatoribus, qui, ut piſces capiant, aquam turbant. De hiſce dici poſſe uidetur cum Sapiente, ſicut parturientis *Cor tuum Phantaſias patitur*. *Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis* : Sic videntur ſomniare Recentiores, & in opinionum ſomnijs ſperare ; ſed excident. Eccl.c.34.

IV. Vndè autèm huiuſmodi Recentiorum Phantaſia exoriatur, hac ratiocinatione inueſtigare valemus ; Si clara nobis (inquiunt) legis, ac præcepti veritas eluceſcit, vna nobis tantùm occurrit via, per quam incidere, oportebit : nèc declinandum erit ad dexteram, vel ad ſiniſtram : Veritas enim ipſa, ſi pateat, eſt quærenda, nèc eſt vnquàm relinquenda ; ſed cùm legis veritas nobis plerumquè non videatur plana, ſed ſit nobis aſpera, quod erit agendum, nè ex vna parte *palpemus in meridie*, (vt dicit Iſaias) nèc oculis apertis Iſa.c.59.
cadamus cum Ariolo Balaam, nequè legis culpemur tranſgreſſores, & ex alia parte non cogamur arcta hac ambulare via ; ſed ſimul, & Num.c.24.
ſemel legi obtemperemus, & nobis ipſis indulgeamus, fiantque aſpera in vias planas? Nihil aliud (aiunt) tàm prodeſt ad legis excuſationem, quàm ignorantia : nàm peccatum eſt voluntarium ; vti cum D.Auguſtino confitetur vniuerſa Theologia : cui S.Cirillus Hieroſolymitanus ſic ſubſcribit ; *Peccatum malum liberi arbitrij, germenque voluntarium* ; Sanctoque Cirillo S.Ioannes Damaſcenus S.Cirill. Catec.2.

Yy acce-

Digitized by Google

[S.Dam.de orthod.fid. l.2.c.24. L.omni.ff. de reg. iur. L.nihil cõſenſui ff. de reg. iur. L.in omnibus.ff. obligat.& Act. L.ſi per errorem.ff.de Iuriſd.]

accedit : Imò hæc eſt Sapientiæ incarnatæ, ac increatæ Doctrina , quod *de corde exeunt homicidia, furta, &c.* Voluntarium autèm eſt à libero urbitrio cognoſcente ſingula. Si autèm non cognoſcit, non vult. Nihil enim volitum, quin præcognitum: quod confirmatur ab Imperatore dicente : *Omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt : hinc non videntur conſentire, qui errant*; quæ repetit ſæpiùs.

V. Si autèm non eſt voluntarium, non eſt peccatum. Si non eſt peccatum, non obſtat ad vitam æternam conſequendam : ut ergò auferatur peccatum, auferenda eſt uoluntas, ut auferatur uoluntas, obtenebrandus per ignorantiæ obſcuritatem Intellectus; ut obſcuretur intellectus, obſcuranda legis ueritas, ut obſcuretur lex, excitandæ dubitationes in eius intelligentia ; ut excitentur dubitationes, excogitandæ ſunt ſubtilitates, & moralia non moralitèr ; ſed metaphyſicè, uel è contrà nimis groſſo modo diſcutiendæ: & ecce hinc felix caligo opinionum, & *Nox* moralis diſciplinæ, in qua magnus campus occurrit ad iter habendum : quia qui ambulat in tenebris, omnem locum æſtimat uiam bonam ad iter faciendum; qui ſi erret recto itinere, excuſatur, ſicut contigiſſe Hebræis (refert Euangeliſta) pro quibus precatus eſt Ieſus. *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Ergò nox hæc bona eſt, meliorque ſcientiæ Deo (inferunt Recentiores) quia non arctat nos ad unam solummodò uiuendi rationem; ſed dilatant nobis ad uiuendum cor, ità ut cum Dauid cantare poſsimus, *uiam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* O uerè beata nox, *illuminatio mea in delicijs meis*; concludit Recentior.

[Pſal.118.]

VI. Diſcurſus iſte quantùm ſit falſus, & fallax, ex ore ipſiuſmet Dei in tot Sacræ Scripturæ locis commendantis enixè lucem, ac ſapientiam : errorem autèm, ac deceptionem vituperantis, liquet : Abſit autèm, vt hi tantùm audeant, vt dicant Deo factori ſuo apud Iſaiam : *Non intelligis*; & melior eſt nox, quàm dies, & ignorantia, quàm ſapientia : quò nihil ſceleſtius dictu; nàm via ad Deum eſt lex veritatis, vt canit Dauid : *Domine* (ait) *in lumine vultus tui ambulabunt*, & alibi : *In lumine tuo videbimus lumen.* Hinc [inquit S.Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus]; *Via, per quam itur ad Chriſtum eſt lex, per quam vadunt ad eum hi, qui, vt eſt* (nota non vt ſomniant) *opinando intelligunt eam, qui autèm non intelligunt eam, iurè corruunt: nàm ignorantia* (dicit idem) *eſt mater erroris, & eſt nutrix vitiorum, & indoctus citò decipitur* : & contrà hos Recentiores ſic ex dictis differere videtur S.Iſidorus : *cognitione nihil eſt excellentius* [dicit S.Ioannes Damaſcenus]. *Ea enim ratione cognitio lumen eſt; quamadmodùm contrà, inſcitia caligo; vt enim lumi-*

[Eccl.c.51. Iſa.c.29. Pſal.38. S.Iſidor.l.1 c.18.ſent. Idem de contempt. mundi l... c.de Sap. S.Damaſ. Dial.c.1.]

luminis priuatio tenebræ ſunt, *ità etiàm cognitionis priuatio*, *rationis tenebræ ſunt*; *qui autèm ambulat in tenebris*, *neſcit*, *quò uadat*, & ambulans facilè offendit: ſic *qui ignorat*, *errat*, putans hoc eſſe tale, quod reuerà non eſt; etenim *Ignorantia mater eſt erroris*; ſicut autèm, qui noctu ambulat, faciliùs deſcendit, quàm aſcendat; ſic qui ignorantia laborat, faciliùs errat, iudicando bonum, quod eſt malum: quià *faſcinatio nugacitatis obſcurat bona*, *& concupiſcentia tranſuertit ſenſum*; Vndè dixit Ipſemet Deus, quod, *Proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua*. Ergò ignorans facilè decipitur à concupiſcentia, & ab ea abſtractus, & illectus concipit peccatum, & ideò *ignorantia* dicitur etiàm nutrix vitiorum: cùm autèm vitia adoleuerint, difficilè eradicantur.

S.Ioa.c.12. *Sap.c.4.* *Gen.c.8.*

CAP. XXXI.

Apologia pro Recentioribus, & breuis reſponſio.

I. D*Vrus eſt hic ſermo* (inquit Recentior Theologus) *& quis poterit eum ſuſtinere*, *ac audire?* Difficiliora proponit, quàm noſtra queat exequi fragilitas. Nos noſtris lucubrationibus, ac ſtudiorum laboribus, excogitaueramus rationem, qua adimpleretur Iſaiæ Prophetia dicentis; quod *Omnis vallis implebitur*, *& omnis collis humiliabitur*, *& erunt aſpera in vias planas*, *& videbit omnis caro ſalutare Dei*. Hoc nàmque præſtabant benigniores, ac laxiores opiniones, noſtris hiſce temporibus adinuentæ, quibus facilis eſt aſcenſus in Cælum; Verùm liber hic, ſeu *Index* nimis amaros fert fructus; imò non amaros tantùm, ſed & noxios; vndè, vt noſtra Doctrina eluceat, & huius *Indicis* inſipientià pateat, ſequentia ſunt ponderanda.

Iſa c.40.

II. Fragilitas humana in dies augetur, & imbecillior indè fit ad ferenda præceptorum onera. Seneſcit cum mundo virtus noſtra, & ſicut ſenibus non addendum; ſed adimendũ eſt in hoc itinere põdus. Hoc enim exigunt, & diſcretio, & Charitas ſimul: hinc S. Ignatius in Epiſtola ſecunda *Perfectione Religioſa* ſcribit cum Apoſtolo Paulo; quod *Rationabile ſit obſequium*; cum Propheta, quod *Honor Regis iudicium diligit*: cum Moyſe, quod *in omni oblatione tua offeres ſal*; cum Paræmia, *ne quid nimis*: cum Eccleſiaſte. *Noli eſſe iuſtus multum*; & ſexcenta alia & alijs poſſent afferri æncomia, ac monita ad

S.Ignat. ep. circul.2. n. 8. *S.P.Rom. c.12.* *Pſal.98.* *Leu.c.2.* *Eccl.c.7.*

Digitized by Google

extollendam diſcretionem. Charitas ſimilitèr prohibet nos nimiò grauare pondere proximum,& ideò Ipſemet Deus indixit per Moy-
Num. c.4. ſem Sacerdotibus dicens. *Diuident quid portare quis debeat.* Cum ergò decreſcant naturæ humanæ vires, cur oneratis homines nouis obligationibus? *Nunc ergò quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum; quod neque Patres noſtri; neque nos portare potuimus; ſed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi*: etiam nunc repetere videtur San-
Act.c.15. ctus Petrus Theologis Seuerioribus.

Reg.3.c.12 III. Si Roboam Filius Salomon non imperaſſet dura Populo, hic
Gen.c.33. ab eo non deſciuiſſet; ſed perſeueraſſet, ſi imminuta fuiſſent illi tributa: vti Seniores dedere conſilium. Mirabilis eſt Sancti Benedicti Doctrina ad hanc rem, exemplum referens Patriarchæ Iacob,qui ſe accommodabat in itinere, non ſolum greſſibus mulierum, ac parulorum; ſed & ouium fetarum, ne ſi plus in ambulando laborare feciſſet, cuncti morerentur vno die; ſed confirmant magis exempla
S.Bened. Domini noſtri Ieſu Chriſti qui (vt innuit Sanctus Benedictus, &
Reg.64. prædixit Iſaias) *calamum quaſſatum non conteret, & lignum fu-*
Iſa.c.42. *migans non extinguet*: imbecilles ſcilicèt non grauauit ſed adiuuit,
S P.Rom. c.15. & *Chriſtus non ſibi placuit* (ait Sanctus Paulus) *ſed proximo ad*
Prou.c.3. *ædificationem*. Nam *qui vehementèr emungit* (ait Salomon, & cum
S.Gregor. apud Gratias.diſt.4 c.1.deniq; eo Sanctus Gregorius Papa) *elicit ſanguinem*. Igitur [repetit S. Benedictus ibidem] *ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas*.

IV. Eſt & alia fundamentalis ratio opinionum laxarum: nimi-
L. Barbar. rùm quod communes, imò communiſſimæ ſint huiuſmodi opiniones,
ff de offic. & dato etiam, quod eſſent falſæ, nihilominùs verum eſt quod *com-*
Prator & *munis error facit ius*: vti cum Imperatore omnes moraliſtæ profi-
l.vſque ad tentur: Ergò dato quod errent & Doctores, & Diſcipuli, iuſtè ni-
ff.de Senat. Maced. hilominùs operantur, cum errorem ſequantur communem, & ideò non videtur turbanda eorum bona fides. En quid prudentia, & Charitas exigant, & ecce quantùm ſit laudabilis opionum laxarum Doctrina, quæ Sanctis Patribus,ac Sacris Scripturis eſt conſentanea; *Sancta ergò & ſalubris eſt cogitatio pro fidelibus diſputare, vt ab obligatione legum, ne peccent, ſoluantur*. Ergò non Index ad vitam,ſed obex eſt iſte liber.

V. Huic Apologiæ ſic reſpondendum videtur. Legislatores ſunt pleni, & diſcretione,ac Charitate, & ideò ſeſe accommodant ſubditorum viribus, ſicut Deus accommodat vires legibus. Sin autem hæc ratio non ſufficit; animaduerte ne tibi Legislatores im-
Exod.c.2. properent: *quis te conſtituit Principem, & Iudicem ſuper nos?* Memento etiam quod palpare non eſt Sancti Doctoris; ſed fallacis adu-

adulatoris, *Sapientum* enim *verba ſunt ſicut Claui*, *ac ſtimuli*, Eccl.c 12.
qui & pungunt & continent; vti cum Salomone, dicit Cornelius à Corn.ibidē
Lapide; cuius præclarum refert exemplum Baronius in S. Pappone ver.11.
cum S.Henrico Imperatore. Vltima remanet excuſatio pro Recen- Baron. an.
tioribus, quod cum homines proni ſint ab adoleſcentia ad malum, 1014.n.14.
& per Recentiorum laxas opiniones bona fide Auctorum decepti,
putent licere, quod eis libet, eſſet fortaſſe vtilius eos relinquere in
huiuſmodi communi errore, ne admoniti operentur ſcientèr, qui
ignorantèr nunc agunt. At reſpondeo culpabilis eſt error, cum
quis poteſt, & debet doctiorem conſulere. Ergò admonendi ſunt,
ne ignorantèr peccantes ſe ſe perdant in æternum: Vane enim
impunitatem peccandi exiſtimant remedium neſciendi [inquit S.
Gregorius Papa] *& tantò magis excuſationem non poſſunt habere:* S.Gregor.
quia neſciant; quantò magis eis etiam nolentibus opponitur, quod Mor.l.25.
cognoſcant. Vndè per Salomonem dicitur: Numquid non Sapien- c.11. Prou.c.8.
tia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam; ſcilicet per os San-
ctiſſimorum Pontificum quamplures condemnantium propoſitiones,
& per opuſcula contrariæ ſententiæ Authorum. *Error* autem *com-*
munis facit ius (de quo alibi ex profeſſo) in humanis legibus, in
quibus ſuperior poteſt eximere ab obligatione, & ſupplere etiam
Iuriſdictionem, cum non deeſt tamen titulus coloratus. At in le-
gibus Diuinis non militat hoc Axioma. Vndè conqueritur Domi-
nus per Pſaltem. *Hi ſempèr errant corde*, & Salomon confirmat di- Pſal.94. Prou c.14.
cens. *Errant, qui operantur malum, & omnes nos quaſi oues erra-* Iſa.c.13.
uimus, & idcircò venit Pater Celeſtis nos reducere ad Ouile: *era-*
tis enim (ait Sanctus Petrus) *ſicut oues errantes; ſed conuerſi eſtis*
nunc ad Patrem, videturque etiam renouari Iſaiæ querimonia di- S.Pet.ep.1. c 2.
centis. *Filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, no-*
lite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere nobis ea, quæ recta
ſunt, loquimini nobis placentia: videte nobis errores; auferte à me
viam; declinate à me ſemitam: ceſſet à facie noſtra Sanctus Iſrael, Iſa.c.30.
quibus idcircò excidia minatur Dominus. Auertat Deus, ne vene-
rit illa tempeſtas, quando *peribit ſapientia à ſapientibus, & intel-* Iſa.c.29.
lectus prudentium eius abſcondatur.

VI. Augeretur enim, ac inſanabile fieret malum, ſi Doctores Ierem. La-
eoſdem non doceant; vt ex Ieremia liquet; qui ſic lamentabatur. ment.c.2.
Non eſt lex, & Prophetæ eius non inuenerunt viſionem à Domino.
Quis medebitur tui? Prophetæ tui viderunt tibi ſalſa, & ſtul-
ta; nec aperiebant iniquitatem tuam; vt te ad pænitentiam prouo-
carent. Speculatores eius (ait Iſaias) *cæci omnes neſcierunt vniuer-*
ſi canes muti, non valentes latrare; videntes vana, dormientes, & Iſa.c.6.
amantes ſomnia. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam. Omnes

in

Digitized by Google

via ſua declinauerunt. Propterea captiuus ductus eſt populus meus
(ait alibi Iſaias); *quia non habuit ſcientiam*. Nàm *diuitiæ* (ite-
Iſa.c.5. rum ait) *ſalutis ſapientia, & ſcientia, timor Domini ipſe eſt the-*
Prou.c.1. *ſaurus eius: Sapientiam verò* (ait Salomon) *atque Doctrinam ſtul-*
ti deſpiciunt. Pater autem Filijs notam faciet veritatem (ait Iſa-
Iſa.c.8. ias): *væ* [ait Iſaias] denuò, *qui dicunt malum bonum, & bonum*
Iſa.c.5. *malum*. Ergò Doctores docere; cæteri autem diſcere legis ſcien-
tiam debent, ne diuinæ ſubiaceant vindictæ; & vt ſalutis diuitias,
quæ in ſapientia, & ſcientia reconduntur, conſequantur. Sapientes
adire debent hinc *cor rectum inquirit ſcientiam* (ait Salomon) quæ
Prou.c.27. labore aliquo eſt comparanda. Nam *ferrum ferro exacuitur, &*
Eccl.c.10. *poſt induſtriam ſapientia*. Obitèr obſerua quod modernorum
Probabilitas cum nulla pene induſtria, cum ſit obuia, comparetur,
ſapientia non erit, quæ poſt induſtriam habetur.

VII. Hinc etiàm poſuit Chriſtus Doctores ad ædificationem Ec-
cleſiæ, *& hi qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamen-*
ti, & qui ad iuſtitiam erudiunt, quaſi ſtellæ in perpetuas æternita-
Dan.c.12. *tes*; vt promittit Daniel, propterea de ſeipſo profitetur Salomon
Eccl.c.12. dicens: *Cùm eſſet Sapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit populum. &*
enarrauit, quæ fecerat, & inueſtigans compoſuit parabolas multas:
quæſiuit verba vtilia, conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veritate
plenos: Ergò Doctoris eſt veritatem indicare, populiſque eam pro-
ferre, nè & ipſis flagellum immineat; vt præmonet Ezechiel, & ideò
Ezec.c.33. Iſa.c.30. nè cogar aliquandò dicere cum Iſaia; *Væ mihi, quià tacui*, hæc in
ſimplicitate cordis mei locutus ſum ad proximi bonum, ac Verita-
tis obſequium: Nàm, *Qui miſericordiam habet* (ait Eccleſiaſticus)
Eccl.c.18. *docet, & erudit, quaſi Paſtor gregem ſuum*. Demùm.

VIII. Liceat mihi aſſimilare libellum hunc *Indicis* (continentem
præſertim Radices; vndè probabilior oſtenditur ſequenda) volumi-
ni viſo ab Ezechiele Propheta, & iterùm à S. Ioanne Euangeliſta,
Ezech.c.3. quod amarum erat, & dulce: Amarus ſiquidèm eſt carni; ſed dulcis
S. Ioan. Apoc.c.10. ſpiritui. Amarus in principio, ſed dulcis in fine. *Accipe* ergò & tu
librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum: *ſed in*
ore tuo erit dulcis tamquàm mel, & mementote, quod, *meliora*
Prou.c.27. *ſunt vulnera diligentis, quàm oſcula fraudulenta odientis*, & cum
Pſal.140. Pſal.54. David repete: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit*
me; Oleum autèm peccatoris non impinguet caput meum. Nàm mol-
liti ſunt ſermones eius ſupèr oleum, & ipſi ſunt Iacula. Ama fra-
ternam correptionem: quià *qui ſapiens eſt audit correptiones. Ca-*
uete ergò ab hominibus, & à lingua iniqua, & doloſa. Rogo autèm
S.P. Rom. c.16. (ait S. Paulus) *vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſentiones, & of-*
fendicula pratèr doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & de-
cli-

Digitized by Google

clinate ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & perdulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra autèm obedientia in omnem locum diuulgata eſt. Gaudeo igitùr in vobis; ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Deus autèm pacis conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velocitèr. Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Dulces ſunt ſermones laxarum opinionum, ſi primoribus labijs delibantur. At amari ſi mandantur: fauent enim amori proprio, qui potiùs eſt *odium proprium*, & mortiferum venenum [vt dicebat B. Catharina Genuenſis, Cherubim in Cæleſti Sapientia, & Seraphim in fragrantiſſimo, ac puriſſimo Dei amore). Arboris, ſeu Indicis huius amarus eſt cortex; ſed medulla adeò dulcis, ut qui hos colligit fructus poſſit deindè cantare. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſupèr mel ori meo.* Væ autèm *illis, qui ponunt amarum in dulce, & dulce in amarum*; minatur Iſaias Propheta.

B.Cath. Gen. vita noua. c.69.

Pſal.118.

Iſa.c.5.

CAP. XXXII.

Alia Apologia pro Recentiorum Phantaſijs, & Reſponſio.

1. VT ſe non eſſe Phantaſticos demonſtrent Recentiores, ſic ſe iterùm tuentur: vbi eſt error, abeſt conſenſus (vt dicitis etiàm vos), & ubi non eſt conſenſus, non eſt peccatum. Ergò qui errat, non peccat. Ergò corruit veſtra ratiocinatio contrà Recentiores amatores moralis noctis, & faciliùs æternum contemplentur diem. Ad quam obiectionem elidendam ſufficeret, quod dicit Ariſtoteles; nimirùm: *Omnis peccans, ignorans*; Imò Sacra Scriptura dicit (vt innui), *Errant, qui operantur malum*. Ergò aliqui ignorant, & peccant: Errant, & operantur malum. Ergò cum errore connectitur aliquandò peccatum. Ergò Recentiorum ruit obiectio. Duplex etenim eſt ignorantia, & duplex error. Ignorantia inculpabilis, & inuincibilis, quam non poteſt à ſe eliminare homo, & *Ignorantia culpabilis*, & inuincibilis, quam poteſt, & debet à ſe expellere mortalis: ſic etiàm duplex error culpabilis, & Inculpabilis: hìc in caſu noſtro eſt error culpabilis: nàm qui poteſt, & debet diligentèr veritatem quærere, & non quærit, culpabilis eſt; ſed Recentior debet veritatem diligentèr inueſtigare, & poteſt conſulendo doctos, eam ediſcere. Ergò ſi eam omittit culpabilis eſt, & ſic errando culpabilitèr, culpæ reus exiſtit: Hinc S. Thomas apertiſſimè dicit.

Prou. c.14.

Ma-

S.Tho.1.2. q.76.ar.2. *Manifeſtum eſt, quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis*: qui cum Sap.c.5. ſocijs flebit apud Sapientem, & fatebitur: *Ergò errauimus à via veritatis, & Iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis, quià noluit intelligere, vt benè ageret*: De quo, & S.Iſidor. ſent.l.2.c.17.n.56. ſimilibus ſic S.Iſidorus Hiſpalenſis ſcribit. *Sunt* [ait] *qui ignorantèr peccant, & ſunt, qui ſcientèr; ſunt etiam, & qui pro ignorantiæ excuſatione ſcire nolunt, vt minus culpabiles habeantur, qui tamen ſeipſos non mentiuntur, ſed ipſos decipiunt.*

II. Recentiores adhuc contendunt ſe iuſtificare dicentes: vitia ſine voluntatis conſenſu ſunt vitia materialitèr tantum, quæ non obſunt, cum deſit eis voluntatis malitia. Parua igitur cum ſint, parui ſunt facienda. Verùm & hanc refellit rationem S. Damaſcenus dicens. *Parua, parua non ſunt, ex quibus magna proueniunt*. Parua videntur zizania in naſcendo: ſed creſcunt deindè, & triticum. Parua vitia videntur Puerorum vitia, qui aguntur potiùs ſuaptè natura tamquam *Equus, & Mulus quibus non eſt intellectus*, quam agant proprio arbitrio, & deliberatione, nihilominùs Sacra indicit Scriptura, quod tempeſtiuè caſtigentur. Quia ſicut *equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadet præceps*, & idcircò. *Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans eſt* (nota), *ne fortè induret, & non credat tibi, & erit dolor animæ*, ſicuti etiam dicit Sapiens. *Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuũ, poſtea ſentiet eum contumacem*; [ait Salomon]; ſic qui ſenſus ſuos, ac corpus non mortificat; ſed fouet ad vitia impinguatus ſenſus, ac incraſſatus recalcitrabit, & lex in membris corporis fortitèr repugnabit legi mentis, nam Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedit ab ea. Hinc admonet Thomas à Kempis cum Poeta. *Principijs obſta, ſerò medicina paratur; cum mala per longas conualuere moras*. Ergò dato non conceſſo, quod hæc eſſent vitia, materialitèr tantùm, adhuc eſſent corrigenda, ne adoleſcant, & fiant deindè vitia formalia; fiantque nouiſſima peiora prioribus. *Iſtis enim* [ait Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis] *fomitibus, quaſi quibuſdam gradibus conualeſcit omne peccatum. Cogitatio namque parua declarationem parit; delectatio conſenſum, conſenſus Actionem. Actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem. Sic his vinculis homo implicatus, quadam cathena vitiorum tenetur adſtrictus: ita vt ea euellere nequaquam valeat; niſi Diuina gratia manum iacentis apprehendat*. Idem Sanctus Iſidorus; *minor culpa maiorem generat. Paulatim increſcunt vitia, & dum parua non vitamus, in magnis prolabimur. Minima igitur euita, & ad maiora non peruenies*; ità vt dici poſſit de Recentiorum aſſecla cum Oſea.

Margin notes: S.Damaſc. de Imagin. orat.1. — S.Mat.c.13 — Eccl.c.30. — Prou.c.29. — S.Iſidor.l. Synonimor. c. de inuid.

Digitized by Google

Oſea. *Comederunt alieni robur, & ipſe neſcivit*; quia vana captus auctoritate, ſuas minui animi vires ignorat. *Oſea.c.7.*

CAP. XXXIII.

Aliæ excuſationes pro Recentioribus.

I. OBſcuritatibus gaudere videntur Recentiores : quià non tenemur (aiunt) ad ſeruandam legem, niſi ſufficientèr ſit promulgata, & ad noſtram deducta notitiam ; ſi autèm lex in occulto ſit libro, optima erit excuſatio, dicet enim quilibet noſtrum legere *non poſſum. Signatus eſt enim* : Sit quæſo (aiunt) liber legis, vt alter liber (apud D.Ioannem) : *Signatus ſigillis ſeptem* : quoniàm hoc libro ſignato in ſua obſcuritate hinc nobis quodlibet conijciendi, ac diuinandi, datur magna poteſtas : ſic diſſerit Recentior. Verùm & huic Phantaſiæ reſponderet D.Ioannes, dicens : *Ego verò flebam multùm ; quoniàm nemo dignus inuentus eſt aperire librum*. Si liber non aperitur, nèc aperta erit Dei mens, nèc eidem conſentire valebimus, & indè Dei fauoribus carebimus : Vndè Ioſias quoquè Rex Iuda doluit quod legis liber abſconditus remanſerit, & hinc non fuerit obſeruatus ; proptèr quod Deus minabatur populo ruinam, vt aſſeruit etiàm Prophetiſſa Dei ab eo conſulta : nàm *liber legis liber eſt vitæ* : *lex* enim *lux, & via vitæ* ; nèc beneficium Dei foret Doctor Iuſtitiæ promiſſus per Prophetam Ioelem, ad aperiendam ſalutis ſemitam in lege Euangelica, ſi melius foret eſſe ſignatum. Inſupèr quod peius eſt, non eſt ſignatus liber, ſed ſignatus à Recentioribus per tot dubitationes : Vndè de Diana ſic ſcribit Caramuel. *Ingenium Dianæ viri quidèm doctiſſimi, veneror ; eius induſtria multas opiniones euaſiſſe probabiles, quæ anteà non erant*. Ergò anteà apertus erat liber, & apertè legebatur obligatio noſtra : ſed poſteà excogitatis opinionibus ſignatur ; nèc legitur ipſius ſenſus obligatorius ; idem ferè eſt, ac ſi viator occluderet ſibi oculos, nè videat lumen ad rectè ambulandum, & cùm ipſe ſe non videat, arbitratur, nèc videri ab ipſo Deo ; quibus ſic Iſaias minatur : *Væ, qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium ; quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt* ; quis videt nos, & nouit nos ? *Defecerunt* (addit David) *ſcrutantes ſcrutinio*, & cum profunda ſcrutari iactent ſe, & inſcrutabilia alijs, ipſi ſeſe fallunt ; & ideò faciet Deus (proſequitur David) vt dicatur ; *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum* : vt ſcilicèt libri ſimplicium [vt ego] ac Do-

Iſa.c.29. *S.Ioan. Apoc.c.5.* *Prou.c.6.* *Reg.4.c.22.* *Prou.c.6.* *Ioel c.2.* *Car. Theo. fund. Dedicat. Dianæ.* *Iſa.c.29.* *Pſal.63.* *Pſal.63.*

Digitized by Google

ſtrina paruulorum, ſint plagæ horum Sapientia Gigantum, & eorum tàm grandis, & phantaſtica Scientia, lapillo in fronte percuſſa, cadat; vt alter Goliat; at replicant.

II. *Vox populi, vox Dei*; indubitatiſſimum eſt effatum; ſed vniuerſus Fidelium Populus noſtræ arridet Doctrinæ; præſertim Dianæ, de quo eadem Dedicatoria ſic ſubijcit Caramuel: *Certi ſumus tanto illius Dogmata Theologorum firmari numero, vt quærenti an hoc, vel illud liceat? ſufficiat reſpondere: Diana dixit*: vti reuerà in nouo mundo, ac Peruano Regno vſuuenit, vbi dictitatur veluti alter Papa, ac *Agnus*, qui tollit peccata [vt retulit P. A. R. Peruanus]: nàm (inquit Caramuel in eiuſdem Dianæ *Dedicatoria*): *eius induſtria* (vt dictum eſt) *multæ opiniones euaſerunt probabiles, quæ anteà non erant; ſi iàm ſunt probabiles, quæ anteà non erant, iàm non peccant, qui eas ſequuntur, licet anteà peccauerunt: ergò ſi eiuſmodi peccata ab Orbe litterario Diana ſuſtulit, meritò dicetur eſſe Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: qui, vt Agnus Apocalypſis librum Sapientiæ in dextera ſedentis in Throno aperuit, coram quo Agno etiam Seniores cadunt proni, & canunt? Ergò hæc Recentiorum Doctrina ex Ore Altiſſimi, tamquam cæleſtis ſapientia prodijuit. Ergò non eſt Phantaſia; vt ſugillatur. Grandis in aſpectu veluti Gigas apparet hæc defenſio; ſed reipſa parum firma, & multum languida, cui ſatisfactum iam eſt ſupra, ad quæ Auditorem mitto, illiſque hæc tantum adijcio. In primis cum Seneca dicendum foret. *Ad noua omnes concurrunt, ad noua conueniunt*. Sed meliùs ſic: non vniuerſus populus applaudit; ſed quamplures refragantur, & Summus Pontifex ipſe iam plures Recentiorum Propoſitiones damnauit. Prætereà *vox populi, vox Dei*; hoc adimpleretur, ſi nulla hominum arte, vel Dęmonum, vniuerſus Populus à minore vſque ad maiorem per ſubitam, ac perſeuerantem inſpirationem aliquid proclamaret; vti contigit in electione S. Ambroſij ad Epiſcopatum. Cęterum vox populi erat clamantis, *crucifige*; non tamèn Dei; *Docendus* enim eſt *Populus, non ſequendus* [vt ait Pontifex]: nam *ſtultorum infinitus eſt numerus* (inquit Salomon) à quo fortaſſe edoctus Plato repetit. *Stultorum eſt infinita Gens. Non recipit verò ſtultus verba prudentiæ; niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius* (inquit idem Salomon, & Iſaias addit): *Stultus fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem: ergò Argumentum peſſimi turba eſt* (inferret Seneca) cuius verba cum ſententias referant non ſolum huic capiti; ſed vniuerſo libro valdè conſentaneas, hic exſcribendas cenſui. Sed prius Plutarchi ad hanc rem placet referre ſententiam. *Vulgo placere, ſapientibus eſt diſplicere. Teſtimonium mihi perhibet Euripides his verbis; qui inter doctos*

Sen. l. 4. ep. contr. c. 1.

Pou. c. 18. Plat. lib. 17. Protag. Eccl. c. 1. Iſa. c. 32.

Plutar. p. 1 de liberis educād. & Apophthegſ.

Digitized by Google

ctos nil valent; Gratior apud vulgum eſt eorum oratio. Equidem animaduerti, qui in eo ſtudium ſuum ponunt, vt dicendo placere promiſcuis turbis hominum, eorumque reportare poſſint gratiam, eorum vitam ferè intemperantem, voluptatibuſque deditam exiſtere; & in Apophthegmatibus, ſic iterùm de Phocione: *Soli ſibi nihil eorum probari, quæ vulgò fierent, vt dicerentur. Aliquando dicens ſuam ſententiam, cum ſe placere, & æqualiter ab omnibus approbari ſuam videret orationem, conuerſus ad amicos* (inquit) *mihi imprudenti prauum aliquod dictum excidit*. Audiamus nunc Senecam.

III. *Viuere* (ait Seneca) *omnes beatè volunt: ſed ad peruidendum, quid ſit quod Beatam vitam efficiat, caligant. Ideòque non eſt facilè conſequi beatam vitam, vt ab ea quiſque, eo longiùs recedat, quo ad illam citiùs fertur, ſi via lapſus erat: quæ vbi contrarium ducit, ipſa velocitas maioris interualli cauſa ſit. Proponendum eſt itaque primum, quid ſit quod petamus: tunc circumſpiciendum eſt, quà contendere illo celerrimè poſſimus, intellecturi in ipſo itinere, ſi modò rectum erit quantum quotidiè profligetur, quantoque propiùs ab eo ſimus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit; quamdiù quidem paſſim vagamur non ducem ſecuti; ſed fremitum, & clamorem diſſonum in diuerſa vocantium conteritur vita inter errores, breuis etiam ſi dies, noctesque bonæ mentis laboremus. Decernatur itàque, & quo tendamus, & quà non ſine perito aliquo, cui explorata ſint ea, in qua procedimus. Quoniam quidem non eadem hic, quæ in cæteris peregrinationibus conditio eſt in illis comprehenſus aliquis, & interrogati incolæ non patiuntur errare. At hic triſtiſſima quæque vita, & celeberrima maximè decipit. Nihil ergò magis præſtandum eſt, quam ne peiorum ritu ſequamur antecedentium Gregem, pergentes non quà eundum eſt; ſed quà itur. At qui nulla res nos maioribus malis implicat; quam quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumque exempla multa ſunt, nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem viuimus. Indè iſta tanta coaceruatio aliorum ſupra alios ruentium; quod in ſtrage hominum magna euenit, cum ipſe ſe populus premit, nemo ità cadit, vt non alium in ſe attrahat: primi exitio ſequentibus ſunt: hoc in omni vita accidere videas, licet, nemo ſibi tantum errat; ſed alijs erroris cauſa, & auctor eſt. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum vnuſquiſque mauult credere, quam iudicare, numquam de vita iudicatur, ſemper creditur. Verſatque nos, & præcipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis. Sanabimur, ſi modò ſeparemur à Cætu. Nunc verò ſtat contrà rationem defenſor mali ſui populus. Itaque idem* Senec. de vita Beata c. 1.

ctrina paruulorum, ſint plagæ horum Sapientia Gigantum, & eorum tàm grandis, & phantaſtica Scientia, lapillo in fronte percuſſa, cadat; vt alter Goliat; at replicant.

II. *Vox populi*, *vox Dei*; indubitatiſſimum eſt effatum; ſed vniuerſus Fidelium Populus noſtræ arridet Doctrinæ; præſertim Dianæ, de quo eadem Dedicatoria ſic ſubijcit Caramuel: *Certi ſumus tanto illius Dogmata Theologorum firmari numero, vt quærenti an hoc, vel illud liceat? ſufficiat reſpondere: Diana dixit*: vti reuerà in nouo mundo, ac Peruano Regno vſuuenit, vbi dictitatur veluti alter Papa, ac *Agnus*, qui tollit peccata [vt retulit P.A.R. Peruanus]: nàm (inquit Caramuel in eiuſdem Dianæ *Dedicatoria*): *eius induſtria* (vt dictum eſt) *multæ opiniones euaſerunt probabiles, quæ anteà non erant; ſi iàm ſunt probabiles, quæ anteà non erant; iàm non peccant, qui eas ſequuntur, licet anteà peccauerunt: ergò ſi eiuſmodi peccata ab Orbe litterario Diana ſuſtulit, meritò dicetur eſſe Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: qui, vt Agnus Apocalypſis librum Sapientiæ in dextera ſedentis in Throno aperuit, coram quo Agno etiam Seniores cadunt proni, & canunt? Ergò hæc Recentiorum Doctrina ex Ore Altiſſimi, tamquam cæleſtis ſapientia prodiuit. Ergò non eſt Phantaſia; vt ſugillatur. Grandis in aſpectu veluti Gigas apparet hæc defenſio; ſed reipſa parum firma, & multum languida, cui ſatisfactum iam eſt ſupra, ad quæ Auditorem mitto, illiſque hæc tantum adijcio. In primis cum Seneca dicendum foret. *Ad noua omnes concurrunt, ad noua conueniunt*. Sed meliùs ſic: non vniuerſus populus applaudit; ſed quamplures refragantur, & Summus Pontifex ipſe iam plures Recentiorum Propoſitiones damnauit. Præterea *vox populi*, *vox Dei*; hoc adimpleretur, ſi nulla hominum arte, vel Dæmonum, vniuerſus Populus à minore vſque ad maiorem per ſubitam, ac perſeuerantem inſpirationem aliquid proclamaret; vti contigit in electione S. Ambroſij ad Epiſcopatum. Ceterum vox populi erat clamantis, *crucifige*; non tamèn Dei; *Docendus* enim eſt *Populus*, *non ſequendus* [vt ait Pontifex]: nam *ſtultorum infinitus eſt numerus* (inquit Salomon) à quo fortaſſe edoctus Plato repetit. *Stultorum eſt infinita Gens*. *Non recipit verò ſtultus verba prudentiæ; niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius* (inquit idem Salomon, & Iſaias addit): *Stultus fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem: ergò Argumentum peſſimi turba eſt* (inferret Seneca) cuius verba cum ſententias referant non ſolum huic capiti; ſed vniuerſo libro valdè conſentaneas, hic exſcribendas cenſui. Sed prius Plutarchi ad hanc rem placet referre ſententiam. *Vulgo placere, ſapientibus eſt diſplicere. Teſtimonium mihi perbibet Euripides his verbis; qui inter do-*

Sen. l. 4. ep. contr. c. 1.

Pon. c. 18.

Plat. lib. 17. Protag.

Eccl. c. 1.

Iſa. c. 32.

Plutar. p. 1 de liberis educãd & Apophthes.

ctos

Digitized by Google

ctos nil valent; Gratior apud vulgum eſt eorum oratio. Equidem animaduerti, qui in eo ſtudium ſuum ponunt, vt dicendo placere promiſcuis turbis hominum, eorumque reportare poſſint gratiam, eorum vitam ferè intemperantem, voluptatibuſque deditam exiſtere; & in Apophthegmatibus, ſic iterùm de Phocione: *Soli ſibi nihil eorum probari, quæ vulgò fierent, vt dicerentur. Aliquando dicens ſuam ſententiam, cum ſe placere, & æqualiter ab omnibus approbari ſuam videret orationem, conuerſus ad amicos* (inquit) *mihi imprudenti prauum aliquod dictum excidit*. Audiamus nunc Senecam.

III. *Viuere* (ait Seneca) *omnes beatè volunt: ſed ad peruidendum, quid ſit quod Beatam vitam efficiat, caligant. Ideòque non eſt facilè conſequi beatam vitam, vt ab ea quiſque, eo longiùs recedat, quo ad illam citiùs fertur, ſi via lapſus erat: quæ vbi contrarium ducit, ipſa velocitas maioris interualli cauſa ſit. Proponendum eſt itaque primum, quid ſit quod petamus: tunc circumſpiciendum eſt, quà contendere illo celerrimè poſſimus, intellecturi in ipſo itinere, ſi modò rectum erit quantum quotidiè profligetur, quantoque propiùs ab eo ſimus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit; quamdiù quidem paſſim vagamur non ducem ſecuti; ſed fremitum, & clamorem diſſonum in diuerſa vocantium conteritur vita inter errores, breuis etiamſi dies, noctesque bonæ mentis laboremus. Decernatur itàque, & quo tendamus, & quà non ſine perito aliquo, cui explorata ſint ea, in quæ procedimus. Quoniam quidem non eadem hic, quæ in cæteris peregrinationibus conditio eſt in illis comprehenſus aliquis, & interrogati incolæ non patiuntur errare. At hic triſtiſſima quæque vita, & celeberrima maximè decipit. Nihil ergò magis præſtandum eſt, quam ne peiorum ritu ſequamur antecedentium Gregem, pergentes non quà eundum eſt; ſed quà itur. At qui nulla res nos maioribus malis implicat; quam quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumque exempla multa ſunt, nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem viuimus. Indè iſta tanta coaceruatio aliorum ſupra alios ruentium; quod in ſtrage hominum magna euenit, cum ipſe ſe populus premit, nemo ità cadit, vt non alium in ſe attrahat: primi exitio ſequentibus ſunt: hoc in omni vita accidere videas, licet, nemo ſibi tantum errat; ſed alijs erroris cauſa, & auctor eſt. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum vnuſquiſque mauult credere, quam iudicare, numquam de vita iudicatur, ſempèr creditur. Verſatque nos, & præcipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis. Sanabimur, ſi modò ſeparemur à Cœtu. Nunc verò ſtat contrà rationem defenſor mali ſui populus. Itaque idem* Senec. de vita Beata c. 1.

euenit, quod in comitijs, in quibus eos factos Prætores ijdem, qui fecere mirantur, cum ſe mobilis fauor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus eſt omnis iudicij, in quo lis ſecundùm plures datur. Iterùm Seneca.

Senec. de vita Beata c.2.

IV. *Cum de Beata vita agitur non eſt, quod mihi illud de ſeſſionum more reſpondeas. Hæc Pars maior eſſe videtur. Ideò enim peior eſt. Non tam benè, cũ rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Quæramus quid optimè factum ſit, non quid vſitatiſſimum: & quid nos in poſſeſſione fælicitatis æternæ conſtituat, nõ quod vulgo veritatis peſſimo interpreti, probatũ ſit. Vulgus autèm tàm clamydatos, quam coronam voco. Non enim colorem veſtium, quibus prætexta corpora ſunt, aſpicio: oculis de homine non credo. Habeo melius, certiuſque lumen, quo à falſis vera dijudicem. Animi bonum animus inueniat. Hic ſi vmquàm illi reſpirare, & recedere in ſe vacauerit, ò quàm ſibi ipſe verum tortus ſe fatebitur, ac dicet: quidquid dixit, cum recogito, in multis video.*

V. *Quæramus aliquid non in ſpeciem bonum* (nota); *ſed ſolidum & æquabile, & à ſecretiore parte formoſius*; quaſi & ipſe dicat cum Euangeliſta. *Nolite ſecundùm faciem iudicare*; *ſed omnia probate, quod bonum eſt tenete*; Superioribus verbis, ac ſententijs Seneca cum D. Paulo videtur alludere ad ipſum Chriſtum dicentem: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*. Multi ſiquidèm ſequuntur ſenſus pronos ad malum ab adoleſcentia ſua; Pauci Rationis, ac virtutis dictamina, contrà prauas naturæ lapſæ propenſiones; Vndè dolebat Dauid. *Omnes declinauerunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt vſquè ad vnum*; quæ hyperbolica locutio, valdè paruum bonorum numerum indicat; hanc Doctrinam cum Ariſtotele in pluribus locis confirmat S.Thomas: *In ſolis hominibus* [ait] *malum videtur eſſe, vt in pluribus; quià bonum hominis ſecundùm ſenſum corporis, non eſt bonum hominis, in quantùm homo; ſed ſecundùm rationem. Plures autèm ſequuntur ſenſum, quàm rationem*. Hinc dicit Ariſtoteles; *Malum eſt, vt in pluribus; bonum, vt in paucioribus*; & loquitur Ariſtoteles de hominibus, vt dicit S.Thomas; nàm *in homine* [inquit S.Thomas] *eſt duplex natura, ſcilicèt rationalis, & ſenſitiua. Plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitiuæ, quàm ordinem rationis*. Ergò ſi placet multis, non eſt bonum; quià *Omne animal diligit ſibi ſimile, & volatilia* [inquit Eccleſiaſticus] *ad ſibi ſimilia conueniunt, & veritas ad eos, qui operantur illam, reuertetur*; & quod ægro palato eſt gratum, non eſt gratum Medico, nèc ſalubre ægroto, cui ſubſcribit Seneca; *Numquàm volui populo placere. Nàm, quæ ego ſcio, non probat populus, quæ probat populus, ego neſcio. Quis hoc? inquit, tamquam neſcias, cui imperaā*

Idem Sen. c.3. S.Ioan. c.7. S.P. Theſſ. 1.c.15. S.Math. c. 20.11. Pſal.52. S.Tho.1.p q.49.ar.3. ad 5. Ariſt. eth. l.2.c.6. S.Tho 1.p. q.63.ar 9. ad 5. S.Tho.1.2. q.71.ar.2. ad 3. Eccl.c.27.

Epi-

Digitized by Google

Epicurus; ſed id omne tibi ex omni domo conclamabunt Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. Quis enim placere poteſt populo, cui placet virtus? malis artibus popularis furor quæritur, ſimilem te illis facias, oportet. Non probabunt, niſi agnouerint. Multò autèm ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quàm alijs; niſi turpi ratione amor turpium conciliari non poteſt. Hinc lamentabile tempus prædicat ex ore Dei Oſeas Propheta; quandò *erit ſicut Populus, ſic Sacerdos*; cùm Theologus communi populi ſenſui congruet, infelix tempeſtas eſt. Tàm ſenſatas, ac graues Senecæ ſententias confirmare videtur S. Hieronymus ad Celantiam. *Nequè debemus* (ait) *ad multitudinis exempla reſpicere, quæ nullam morum diſciplinam ſequens, nullum viuendi tenens ordinem, non tàm ratione ducitur, quàm quodam impetu fertur*; accedit D. Apoſtolus ad Galatas dicens; *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Deus autèm* [ait Dauid] *diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent.* Caueant ergò benigni (vt iactant) Caſiſtæ Moderni.

Oſea c. 4.

S. Hieron. ep. 20. l. 2.

S. P. ad Galat. c. 1.

Pſal. 52.

VI. Diana dictus ab ipſis *Agnus* Apocalypſis, qui illis ſapientiæ moralis librum aperuit, irrationabilitèr prædicatur Agnus: nàm in primis derogari videtur Filio Dei, qui verè Agnus eſt, aptando homini nomen adeò ſanctum, ac myſterijs plenum; deindè *Agnus* ille primum erat *Leo*; Diana numquàm. Præterà *Agnus occiſus* fuit; de ipſo autem multæ credi poſſunt mortificationes; ſed non innoteſcunt: inſupèr libri Dianæ loquuntur *placentia* (vti ab Iſaia petebant aliqui ſe ipſos amantes) & ideò placent, & eis plaudunt quamplurimi: *liber* vero Agni, Mortis, Iudicij, Inferni, ac Demum Paradiſi nouiſſima commemorat, & alia flagella minatur peccatoribus: vt vniuerſus deterreatur, & ad meliorem frugem conuertatur. Igitur nimis adulatoriè hoc Agni cognomen illi tribuitur. Sit *Leo* in primis, qui doceat vim ſibi ipſi inferre; quia *Regnum Cælorum vim patitur: ſit occiſus.* Mortem, Iudicium, Infernum proponat, vt Agnus ſit Dei, *qui vere tollit peccata mundi*; & deindè conſoletur puſillanimes, & ſeſe offerat Sacrificium Deo pro animabus. Caueant qui huiuſmodi Agnum ſequuntur quocumque ierit, ne iſte Agnus, qui primum debet eſſe Leo, ne fiat illis Leo poſteà; & dicant tunc Montibus, & Petris. *Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit Dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare? Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore*, monet Dauid. Quoniam *qui ſeminant in lacbrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua; Venientes autèm venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Si* enim *noſmetipſos*

Apoc. c. 5. 6.

Apoc. c. 5.

Iſa. c. 5.

Apoc. c. 6.

Pſal. 2.

Pſal. 125.

nunc

Digitized by Google

S.P. Cor.1. c.11. *nunc dijudicaremus, non vtique iudicaremur*, ait Sanctus Paulus, hoc eſt; ſi erga nos metipſos Iudices ſeueri erimus viuentes: Deus erit nobis clemens Pater morientibus:& ſicut *extrema gaudij luctus occupat* [vt inquit Sapiens] ſic *triſtitia veſtra conuertetur in gaudium*: ſubdit Euangeliſta: *Rationabile* tamèn erit ſempèr *obſequium veſtrum*, monet D.Paulus. S.Io.c.16. S.P.Rom. c.12.

CAP. XXXIV.

Apologia pro Indice ad Vitam Æternam.

I. SAtis videtur patere *Indicis* huius vtilitas ex ſuperioribus, nec defenſione eget cum ipſe ſemetipſum ſua virtute defendat: Nihilominùs, quia aliqui contra hunc muſſitant, ſicut latrant Canis contrà Lunam, quia lucet,& ſicut aliqui ſagittas emittebant in Solem: quia fulget. Sic contrà huiuſmodi *Indicis* claram veritatem obmurmurant nonnulli dicentes. Hic conatur immenſum pondus imponere ſuper humeros noſtros, ſuoque marte nouas leges pro ſuperiorum legibus vindicare meditatur, vel Antiquorum antiquatas contrario communi vſu ſententias renouat; & ſic laqueos inijcit, vt laqueat animas. Ergò vt inimicus ſalutis noſtræ explodendus: quibus reſpondeo in primis, quidem *non ego*; ſed *Dominus*; vel Dominus Deus, vel Dominus Papa, eſt Legiſlator, de quorum legis intelligentia, ac intelligendæ ratione agimus; deindè non contendimus ſeueriores opiniones eligendas, ac aſperiorem viam; ſed veriorem, quæ Legiſlatoris voluntati magis reſpondeat; adeò vt Legiſlator nolit obligare, nec nos obligare intendimus. Defenſoris, non Legiſlatoris officium exercemus. Si autèm Legiſlator ipſe iubeat, non eſt ſuſpicandum quidquam, vel à diſcretione, vel à Charitate alienum: nephas hoc foret cogitare. Habent enim, & viſcera miſericordiæ, & Sapientię lumen illis affulget. Si ſecùs cum Amicis Iob ſentirent Recentiores, ipſis Iob reſponderet, dicens: *Ergò vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia?* & mihi (reſponderet cum eodem Iob Legiſlator) *eſt cor ſicuti, & vobis; nec inferior veſtri ſum; quis enim hæc, quæ noſtis, ignorat?* Verùm. Iob c.12.

II. Res iſta medullitùs eſt diſquirenda. Pelagiani tantùm virium tri-

Digitized by Google

tribuebant naturæ, ac libero arbitrio; vt nihil relinquerent Diuinæ gratiæ; è contrà Nouatores tantùm virium tribuunt Gratiæ, vt relinquant liberum arbitrium, velutiinanime quoddam; quod nihil omninò agat, merèque paſſiuè ſe habeat. Nos autèm Catholici, nèc totum vni, nèc totum alteri; ſed primas partes Gratiæ damus; ſecundas libero arbitrio; & quamuis natura infirmatur ad merendum, Diuina tamèn gratia adeò roboratur; vt poſſit etiàm impoſſibilia; Nàm *omnia poſſibilia ſunt credenti*; Vndè D.Paulus viua fide plenus gloriabatur; *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Huius autèm gratiæ augmentum bonis operibus Fidelis homo meretur; quantòque magis operatur, eò magis Diuina gratia donatur; Vndè Salomon dicit; ***vult**, & **non vult piger**; **anima autèm operantium impinguabitur**.* Cui reſpondet Chriſtus Dominus apud S.Matthæum dicens; *Euge ſerue bone, & fidelis, quià in pauca fuiſti fidelis, ſupèr multa te conſtituam; omni habenti dabitur, & abundabit; ei autèm, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Non enim dormientibus diuina beneficia, ſed obſeruantibus deferuntur* (inquit S.Ambroſius). Gratia ergò per bona opera ditatur homo, & homo gratia fretus, omnia poteſt (vt diximus cum D.Paulo); Vndè dixit Deus per Oſeam Prophetam; *Ero eis quaſi exaltans iugum ſupèr maxillas eorum*, & hinc dicit; *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum* (vt dictum eſt ſuprà); quià ipſe iugum exaltat, & ſicuti onus paruulo, ſi euadat Gigas, eſt illi leue; ſic homini Diuina gratia mutato in virum alterum, onus Diuinæ legis eſt illi leue; hoc dicit etiàm Iſaias; *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, vt Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deſſicient, & volabunt*; vel ſicuti pondus cibi, non grauat hominem; imò leuat, ac roborat ad maiora pondera ferenda; ſic opera bona ſunt cibus, quo impinguatur, non quo grauatur operans. Igitùr qui legem obſeruat, benè operatur, qui benè operatur, gratiam auget, qui gratia augetur, onera facilè portat; Vndè S.Hieronymus ait; *Multi præcepta de imbecillitate ſua, non Sanctorum ſe viribus æſtimant, & putant impoſſibilia eſſe, quæ præcepta ſunt*. Diuinæ autèm gratiæ viribus confortatus canebat Dauid Deo; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum*; Nàm Deus eſt, *qui dat laſſo virtutem, & robur multiplicat*; ait Iſaias; *ipſe* [ſiquidèm canit Dauid] *dabit virtutem*.

Trid. ſeſſ. 6. Canon. 4
S. Mar. c. 9.
S. P. Phil. c. 4.
Trid. ſeſſ. 6 can. 23.
S. Mat. c. 25
S. Amb l. 4 in c. 4. Luc.
Oſea. c. 11.
S. Mat. c. 11.
Iſa. c. 4.
S. Hieron. l. 1 Comment. in cap. 5. & Math.
Pſal. 118.
Iſa. c. 4.
Pſal. 67.

III. Sed fortè qui obſeruat legem [replicat Recentior] non meretur augumentum gratiæ, quià ipſe gratia caret. Ergò vanum eſt operari, nèc robur acciperet; ſed contrà; quià ſi non meretur de condigno, meretur de congruo; inſupèr moralitèr acquirit habitum

ſal-

ſaltèm moralitèr bonum, & reprimit prauos cordis affectus, qui
Pſal.37. onerant animum; Vndè Dauid dicebat; *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſupèr me*; & D.Auguſtinus prauas conſuetudines appellat *ferream Cathenam*: qui verò laxas opiniones docet, à legis obtempe-
S.Auguſt. Confeſſ.l. 8.c.5. ratione abducit; qui verò non operatur iuxtà legem gratiæ, augmentum non meretur; nàm *qui parcè ſeminat, parcè, & metet, & qui*
S.P.Cor.2. c.9. *ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: Qui autèm gratia pauper eſt, imbecillis eſt, imbecilli vero omne onus, etiàm minimum, graue eſt, & quamuis minuatur onus; ſi minuantur vires, ſempèr graue ei erit; & ſicut ſi Medicus ægro cibum faſtidienti imminuat, vt ægro indulgeat, imminuet & vires; ſic cibus animæ eſt Diuinæ voluntatis executio; Vndè dixit Ieſus: *Meus cibus eſt, vt*
S.Io.c.4. *faciam voluntatem Patris mei*; qui hanc non implet in Superiorum obedientia, non ſe cibat, ac reficit: ſi minùs ſe cibo reficit, vires ſibi imminuit: ſicuti etiàm Medicus ſi medicamentum dat, videtur onerare; ſed reuerà exonerat; euacuantur enim mali humores, & reuiuiſcunt vires ab humoribus anteà veluti oppreſſæ: hinc Senſatiſſimus Claudius Aquauiua ſic ad hanc rem ſcribit, quod non ex difficultate legis, vel Celeſtis auxilij inopia, ſed ex defectu voluntatis negligentis oritur imbecillitas.

IV. *In Vniuerſum etiam ego* (ait) *quidem ſpirituales difficultates*
Aqua viua epiſt. Circulari. *non aliundè oriri exiſtimo, quam ex eo, quod ſapientèr in ſuis confeſſionibus Diuus Auguſtinus admonuit: quoniam* (inquit) *caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem, vt non faciant omnes, quod volunt, cadunt in id, quod valent: eoque contenti ſunt: quia illud, quod valent, non tantum volunt, quantum ſat eſt, vt valeant. Itaque vbi primum à contradictione ſenſus, quam in Ciuitate animæ noſtræ volentes, nolentes patimur, vel modica difficultas exoritur terga vertimur; noſque tamquam victos abÿcimus turpitèr cauſantes, nos id præſtare non poſſe. Tota autem ratio eſt; quia neque fortitèr, neque integrè volumus. Verumtamèn quamuis difficilia, & amara eſſent, quæ iniunguntur, ea ſi Prophetæ farinula condiremus, verterentur potiùs in dulcedinem. Indè erant voces illæ adeo ab ÿs diſſimiles, quas à tepidis quotidiè audimus: quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo: & inuenti ſunt Sermones tui, & comedit eos, & factum eſt mihi*
Pſal.118. *verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei. Et certè quidnam cauſæ eſſe putemus, quod ea, vt grauia, & difficilia interdùm*
Hierem c. 15. *horremus, quæ leuia nobis antè, atque ſuauia videbantur, niſi quia*
Oſea c.7. *comederunt alieni robur noſtrum, & ignoramus? & quemadmodùm ÿs contingit, qui de via feſſi ſunt; ſic nos marceſcentibus in-*
ter-

Digitized by Google

terioribus viribus gemere incipimus ſub onere; quod antea non ſentiebamus quidèm. Quod perſpicuè in collatione de mortificatione Abbas Abraham docuit, explicans, vnde fiat: vt cum Dominus dixerit Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue, *tantas tamen in via ſpiritus difficultates ſentiamus: eamque ad rem affert locum illum Eccleſiaſtici.* Labor ſtultorum affliget eos, qui non nouerunt ire in Ciuitatem: hæc eximius Vir. Rationes hæ congruunt omnibus, & militant non ſolum prò proficientibus; ſed & incipientibus. S.Math. c.11.

V. Eadem videtur docere Salomon dicens; *Et in pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit Domus. Cogitationes robuſti ſempèr in abundantia: omnis autèm piger ſempèr in egeſtate eſt:* hæc eadem experimento etiàm didici in Ciuitatę in qua dego. Etenim Dominæ quædam, ac equites nobiliſſimi, iuuenes, diuites, formoſi, delicati, coniugati, vanitatibuſque aliquandò dediti; nunc adoleſcente adhuc ætate à pluribus annis, Deo ſeſe manciparunt; *in multa patientia, in tribulationibus, in flagellis, in ieiunijs, orationibus, vigilijs, ſolicitudine, Caſtitate, in Charitate non ficta. in verbo veritatis; per infamiam, & bonam famam; quaſi triſtes, ſempèr autèm gaudentes;* & ad vlteriora ſempèr anhelantes. Ergò leue eſt volenti onus legis, cùm ſint leuiora eis maiora opera ſupererogationis. Eccl.c.10.

VI. E contrà, qui laxas ſectantur opiniones, in dies ſunt imbecilliores, & *trepidauerunt timore, vbi non erat timor:* vmbra difficultatis eos terret, & ſomnia expaueſcunt; adeò vt poſſit quilibet eorum cum Iob repetere; *factus ſum mihi metipſi grauis.* Nàm cùm appetitus non frænantur legibus; ſed laxentur ſic huiuſmodi opinionibus, quotidiè magis inſoleſcunt, & commouent cor: Vndè aiebat S.Iacobus: *Vndè lites, & bella? Nonnè ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Vtinàm verò non proficerent in peius. Etenim concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum: propterea ſi frangatur Nux huius Doctrinæ, ac huius Theologiæ medulla eruatur, non reſpondent exterioribus interiora, viderique poteſt etiàm hìc, & nunc indici à Deo, ſicut Ezechieli Prophetæ: *Fode parietem:* Nàm hæc Doctrina probabilitatis modernæ cælitus ferè lapſa circumfertur; ſed *Fode parietem;* vti facit Summus Pontifex, per diligentia examina, & videbis ſcandaloſas opiniones, ſicuti etiàm oſtendit in ſequenti idem Summus Pontifex, & experientia etiàm maiores abominationes reuelat: *Nolite* ergò *confidere* (admonet ipſe Deus per Ieremiæ os) *in verbis mendacij, dicentes:* Templum Domini; Templum Domini; Templum Domini Iob.c.7. S.Iacob.c.4. Ezech. c.8.

eſt: *Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacÿ, qui non proderunt vobis*. Dicunt enim, quod doctrina eorum ſancta eſt, ac veluti Templum Domini protegit ſequentes eam. Sed cauete. Millies verò ego repeto, quod Doctrinæ errores, non Doctorum mores arguimus. Nèc obijciant hanc antiquatam eſſe doctrinam. Nàm.

VII. Antiquorum præſertim Sanctorum, numquàm antiquatur, ac abſoleſcit doctrina, cùm Rationi naturali, ac diuinæ Veritati innititur: Ratio nàmque, ac Veritas Domini manet in æternum. Vndè ſcripſit S. Auguſtinus apud Gratianum: *Veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati, planè reſpondeo, quis dubitet ueritati manifeſtatæ debere conſuetudinem cedere?* Itèm *nemo conſuetudinem rationi, & veritati præponat; quià conſuetudinem ratio, & veritas ſempèr excludit*. Itèm S. Gregorius: *Si conſuetudinem fortaſſis opponas, aduertendum, quod Dominus dicit*: Ego ſum Veritas, & Vita: *Non dixit ego ſum conſuetudo, ſed Veritas: Et certè* [vt Beati Cypriani vtamur ſententia] *quælibet conſuetudo, quantùmuis vetuſta, quantùmuis vulgata veritati omninò eſt poſtponenda, & vſus, qui veritati eſt contrarius, abolendus*. Idem S. Auguſtinus demùm concludit: *Fruſtrà* [*inquit*] *quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis obÿciunt, quaſi conſuetudo maior ſit veritate, aut non id ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod in melius fuerit à Spiritu Sancto reuelatum. Hoc planè verum eſt; quià ratio, & veritas conſuetudini præponenda eſt. Sed cùm conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet firmiùs retineri*: Sed de ſimilibus iàm aliàs.

Grat. diſt. 8 c. Veritate. & C. Si cōſuetudinē. C. Fruſtra.

VIII. Qui autèm legis Veritatem propalat, non debet nuncupari Veri inimicus, & quod laqueos tendat, vt illaqueet animas. Nàm Veritas per ſe bona eſt; ſicut *bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur* (vt dicit S. Paulus): Verum eſt quidèm quod, *Peccatum occaſione accepta per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam* (ſubdit idem Apoſtolus) *Itaque lex quidèm Sancta, & mandatum Sanctum, & iuſtum, & bonum*: Vndè patet quod lex per ſe Sancta, per accidens eſt hominibus noxia; quià legitimè ea non vtantur, obtemperando eidem: & propterea canit Dauid, quod *dulcis, & rectus Dominus proptèr hoc legem dabit delinquentibus in via*. Ergò dulcedinis eſt effectus, non indignationis legem delinquentibus ob oculos ponere, nè peccent in animam ſuam, ac ad æternum ſui diſcrimen; hinc *ſi cognoſcetis Veritatem, Veritas liberabit vos*; monet S. Ioannes. Si Veritas liberat, qui Veritatem docet, liberator eſt; non inſidiator, ac impoſtor.

S. P. Tim. 1 c. 1. S. P. Rom. c. 7. Pſal. 24. S. Ioan. c. 8.

IX. Nèc

IX. Nèc mea profero commenta ; ſed aliena refero dicta : vt ex
ore tuo fateris (Domine Recentior) dicens ; me antiquorum reno-
uare antiquatas ſententias ; & alius etiàm mihi obiecit , quòd ego
nimis vſurparem : *Ipſe dixit*, hoc eſt auctorum dictis nimiùm inni-
terer ; vti reuerà conſueui ob rationes allatas ſuprà. Ergò mea ſenſa
non ſuppono pro legibus ; nèc ſum Nouator, nèc Debitor, cùm *P.1. Ad-*
alius à me allegetur Auctor dictorum : Si verò adhuc me cenſere *mon.1.n.*
meditaris. Ego cum D.Paulo humilitèr repetam ; *Mihi pro minimo* 20.
eſt , vt à vobis iudicer , aut ab humano die , ſed nequè meipſum iudi- *S.P.Cor. 1.*
co : Nihil enim mihi conſcius ſum , ſed non in hoc iuſtificatus ſum , *c.4.*
*qui autem iudicat me , Dominus eſt. Itaquè nolite antè tempus iudi-
care , quoaduſquè veniat Dominus , qui & illuminabit abſcondita
tenebrarum , & manifeſtabit conſilia cordium , & tunc laus erit
vnicuique à Deo. Non enim in ſermone eſt Regnum Dei , ſed in vir-
tute.* Ideò, bone lector, ſi quid in te eſt Chriſtianæ Charitatis, ora *S.P.Cor. 1.*
pro me, nè *cum alijs prædicauerim ; ipſe reprobus efficiar.* *c.9.*

CAP. XXXV.

Adhortatio Diui Pauli.

Theſſal.1.c.4.

I. D*E cætero , fratres , rogamus, vos & obſecramus in Domi-
no Ieſu , vt quemadmodùm accepiſtis à nobis , quomo-
dò oporteat vos ambulare , & placere Deo , ſic & ambuletis ,
& abundetis magis , & operam detis , vt quieti ſitis , & vt
veſtrum negotium agatis* [nota] (ait Cornelius à Lapide): *Corn.in ep.*
Chriſtiani eſt non ſtare ; ſed ambulare , & proficere ſempèr *D.P.ad*
in virtute , & vita Chriſtiana , vt ſibi quotidiè dicat illud *Theſſ.1. c.*
Pſalmi : Dixi nunc cæpi , & illud : *Ibunt de virtute in vir-* 4.
tutem. Pulchrè Sanctus Bernardus ad Drogonem. *Nemo* (in- *Pſal 76.*
quit) *perfectus eſt , qui perfectior eſſe non appetit , & in eo* *Pſal.83.*
quoque perfectiorem ſe probat , quod ad maiorem tendit perfectio- *S Bern. ep.*
nem. Tota (ſiquidem ait Sanctus Auguſtinus apud eundem Cor- 34.
nelium) *vita boni Chriſtiani , ſanctum eſt deſiderium proficiendi,* *Cornel.in*
& Sanctus Baſilius apud eumdem addit : *nobis dictum eſt Creſci-* *ep.ad Phi-*
lip.c.3.

Digitized by Google

S.Gregor. Hom. in Euang. *te, ratione mira interioris hominis, quo ſe promouente recta ad Deum contendimus,* & Sanctus Gregorius Papa (ait) *vnum quodque ante faciem ſuam gradiebatur: quaſi enim per quandam viam Sanctis incedere eſt, mente ire ſemper ad meliora. Æmulamini igitur Chariſmata meliora* (inquit Sanctus Paulus) *& non impediaris* (addit Eccleſiaſticus) *orare ſemper, & ne verearis vſque ad mortem iuſtificari; quoniam merces Dei manet in æternum.*

S.P.Cor. 1. c. 12. Eccl.c.18.

Finis Partis Tertiæ.

IN-

Digitized by Google

INDICIS
AD VITAM ÆTERNAM.
PARS QVARTA

Declarationes Particulares, ac Determinationes ex Superioribus Collectæ ad ſingulares caſus explicandos, & præſertim ad elucidandas Propoſitiones condemnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. & ideò in primis ponitur Tractatus de Summo Pontifice.

CAPVT PRIMVM.
INTRODVCTIO.

I. VNiuerſæ penè Recentiorum Diſputationes, ac Nouatorum Controuerſiæ vno definientur verbo, ſi Summus Pontifex definiatur eſſe vnus, ac ſupremus Eccleſiæ Catholicæ Magiſter, infallibilis, tam in Fidei Dogmatibus, quam in morum præceptis. Nam ſi Papa Magiſter eſt Supremus, ac infallibilis. Ergò omnibus audiendus, & ipſius ſequenda eſt doctrina: ſi ſequenda eſt Papæ doctrina. Ergò innumeri

ri

Digitized by Google

ri libri Caſiſtarum, qui nouis in dies replentur opinionibns probabilibus, perſtringentur. Nam ſi audiatur ſupremi huius Magiſtri declaratio aſſerentis, quod *Probabilior opinio ſit eligenda*, Tot probabiles euaneſcunt, & cum *Ipſe dixit*, cæteri idem dicere, ac repetere deberent; quarè ergò Diſcipuli aliam propugnant Doctrinam? Si *Probabilior eſt ſequenda*? ad quid librorum immenſus de *Probabilibus opinionibus* numerus? Niſi quia Papæ non acquieſcunt; ſi verò acquieſcerent; Ars Moraliſtarum non eſſet tam longa, ſed eſſet breuis, ſicut & vita. Cum enim Probabiliores multò pauciores ſint, quam probabiles, abbreuiaretur, & purgaretur breui Moralis Theologia. Sed Recentior ſubridens, dicit, facilior eſt via, quæ vbique eſt, quam quæ alicubi tantum eſt, & facilius eſt inuenire vnum ex multis, quam vnum tantùm. Sic Probabiles ſunt millenæ, & vna ſufficit. Ergò facilior, & magis obuia eſt Recentiorum via: ità eſt; ſed videant, quia obuia, & lata eſt via, quæ ducit ad perditionem, & facilis eſt deſcenſus Inferni. Quæratur igitur non facilior, ſed verior, ex prædictis tot ſecernantur Probabiliores; at alibi de huiuſmodi:

II. Præterea ſi Romani Magiſtri ex Cathedra reuerentèr audiatur doctrina, tot controuerſiæ Nouatorum abſoluentur. Nam cum à Petri Magiſterio indeficientis Fidei iam ſint decreta, iam erit deciſa & controuerſia; vel ſi definita non eſt lis, facilè definiretur. Ergò ex vnius ore facilis erit deciſio, & Caſiſtarum, & Nouatorum. Cum autem Controuerſiæ non conquieſcant, Signum eſt quod non ſtatur Papæ declarationibus, & hinc oboriuntur hæreſes, ac quæſtiones quotidianæ (vt monet Sanctus Cyprianus) ad quas promouendas Infernus totus acuit ingenium, linguam, & calamum, vt contra vnum pugnet veritatis Magiſtrum; quia qui totam labefactare meditatur domum, fundamenta concutere ſtudet; & videtur repetitum etiam hodie illud Syriæ Regis præceptum edicentis. *Ne pugnetis contrà minimum, aut contrà maximum, niſi contrà ſolum Regem Iſrael: ſic aſtiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduerſùs Dominum; & aduerſùs Chriſtum eius* Summum Pontificem: ſed fruſtra *fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania*; nam *qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit illos. Peccator videbit* Summi Pontificis extolli indies, ac extendi dignitatem, magis quam illa ſublimis, ac excelſa Arbor Nabucodonoſor Regis, & *iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit*: vti videre licebit in ſequenti Tractatu. Nam quæ de Summo Pontifice in pluribus huius opuſculi locis ſparſeram Capita (præter dicta ſuperius) huc reducere ſtudui, vt *Tractatus vnus* fiat: Cum autem hæc pro

[Margin notes: *S. Cyprian. apud Bar. an. 34. n. 203.* — *Paral. 2. c. 18.* — *Pſal. 11.* — *Vid. ſup. p. 2 c. 40. 46. 47*]

vno

vno opuſculo non ſint conſulto edita, indè fiet, vt quandoque rem iterum exordiar, & aliqua etiam repetam. Verùm repetita iuuabunt; vt magis, ac magis pateſiant, ac memoriæ commendentur. Igitur.

III. Poli, ac Cardines orbis Chriſtiani ſunt. 1. *Summi Pontificis vindicata authoritas*. 2. *Probabilioris propugnata electio*; [de qua ſupra] quæ ambo ex vno Pontifice prodeunt [vt innuimus] : vt autem Probabilioris eligẽdæ magis pateat ratio, ac particularium caſuum facilius innoteſcat Reſolutio, præmittimus, *Aliquas claues*, ſeu Præcognitiones generales, ex quibus aliorum particularium aperietur notitia, deindè pro particulari qualibet materia Propoſitionum damnatarum breuis præponetur fundamentalis doctrina. *Par. 3. c. 5. 6. 7. 8. 9.*

CAP. II.

De Summo Pontifice,

Ex Sacra Scriptura, Traditione, Concilijs Generalibus, & præſertim Conſtantienſi, & Sanctis Patribus.

Papatus Origo & nomen, ac definitio.

I. POpulus Dei electus, Fideliumque plebs, ac Eccleſia Chriſti adęquatè, ac integrè ſumpta duo complectitur. Eſt enim veluti matrimonium, in quo *duo ſunt in carne una* hinc (ait Sanctus Paulus): *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego dico in Chriſto, & Eccleſia*. Duo ſunt, Chriſtus ſponſus. Eccleſia Sponſa. Chriſtus *ſummus lapis angularis*: Eccleſia Domus Dei. Chriſtus caput, Eccleſia corpus; vnus Paſtor, & vnum Ouile. Vnum enim Ouile, & vnus Paſtor, duo ſunt; cum autem è terris abiturus eſſet Chriſtus aſcendens in Cœlum ad Patrem, ne Sponſa vidua; ne domus ſine fundamento; ne Corpus ſine Capite; ne Grex abſque Paſtore forent in ſui viſibilis locum, neceſſe fuit ſubſtitui alterum viſibile Caput, vti Concilium Conſtantienſe profeſſum eſt, hunc 27. Ioannis Huſz articulum damnans: ſcilicet. *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod opporteat* (nota) *eſſe unum Caput in ſpiritualibus regens* *S. P. Epheſ. c. 5.* *Conſtanc. ſeſſ. 45.*

gens

gens Eccleſiam , quod cum ipſa conuerſetur ; & hinc deſtinauit ſibi Vicarium , ac deſignauit Simonem Filium Bar Iona , cui cum mutaturus eſſet perſonæ dignitatem , ac officium , mutauit , & nomen . Hanc Simonis in Papam electionem ex Euangelio, idem Concilium damnans eiſdem ſequentem ſeptimum articulum docet: *Petrus nèc fuit , nèc eſt Caput Catholicæ Eccleſiæ* . Etenim Germanus Andreæ Apoſtoli in circumciſione vocatur *Simon* ; à
S.Ioa. c.1. Chriſto autèm vocatur *Cephas* , *quod interpretatur Petrus* : (vt ait S.Ioannes): Petri verò nomen non indicat perſonam , ſed perſonæ dignitatem , ac Apoſtolorum Principatum , omnium Eccleſiarum
S.P.Tim.1 c.3. primatum, ac Catholicæ Eccleſiæ (quæ eſt Domus Dei *Corpus Chriſti myſticum* , *ac Grex Domini*) *fundamentum* , *Caput* , *ac Paſtorem* . Hæc enim relatiuè ſe reſpiciunt, ac connotant mutuò , & huiuſmodi Vicarius Chriſti , nunc communitèr ex Decreto Gregorij Septimi appellatur *Papa* , à Græco deductum , & idem eſt , ac Pater (etſi ab alijs dicitur *Pa . Pa* . quaſi *Pater Patrum* ; dictitatur etiàm *Summus ac Pōtifex Maximus*: *Pontifex* verò à *poſſe facere*: vt monet
Baron. an 397. n. 44. 49. Baronius in Annotationibus Martyrologij Die Decima Ianuarij , & Die Nona Aprilis , & in Annalibus . *Papa* [inquit Concilium
C. vbi periculum. de elect. in 6. Lugdunenſe ſub Gregorio Decimo] *eſt Vicarius Ieſu Chriſti* , *Succeſſor Petri* . *Rector Vniuerſalis Eccleſiæ* , *Gregis Dominici Director*. Eadem ferè repetit Concilium Coſtantienſe damnans dictos errores
Conc. Conſtant. ar. 37 Vuiclef. & ar. 17. Hutz. Vuiclef , & Ioannis Hutz : *Non eſt ſcintilla apparentiæ , quod oporteat eſſe vnum Caput regens in ſpiritualibus Eccleſiam* , *quod cum ipſa conuerſetur* (en neceſſitas Vicariatus Chriſti , & en vnitas etiàm Papatus , iuxtà illud Ioannis : *Vnum Ouile* , *& Vnus Paſtor* :
Ioannes Hutz art. 17. Alius Articulus eſt Vuiclef : ſcilicèt : *Papa non eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti* . Huius damnatio Articuli eſt etiàm Declaratio Supremæ in Papa Poteſtatis ; nàm ſi Papa eſt proximus, &
S.Ioa. c.10. immediatus Chriſto . Ergò nullus illum præcedit ; ſed cæteri eum
Ioannes Vuiclef ar. 37. ſequi , illique obſequi debent . Definitur enim : *Papa eſt Vicarius Dei Supremam in Eccleſiaſtica Hierarchia habens Poteſtatem faciendi omnia , quæ non implicant contradictionem Fidei* ; quæ definitio ex dicendis etiàm patebit magis.

Vnus

Digitized by Google

Vnitas Papatus, & Papa Primatus, honoris, & poteſtatis.

II. Præcedentia ſic ſyllogizantur: *Supremus eſt, quem nemo ſequitur* aſcendendo (ait Imperator, & patet ex terminis); ſed deſcendendo; exemplum eſt in prædicamento ſubſtantiæ, quam nullus gradus genericus ſequitur ſuprà aſcendendo; cùm ſit ſupremus genus; ſed deſcendendo ſequitur eam, ſcilicèt, Corpus, Animal, &c. ſed *nemo hominum ſequitur Papam in aſcendendo*. Eſt enim immediatus, ac proximus Chriſto (vt dicit Conſtantienſe Concilium): Ergò *Papa eſt Supremus*: ſicut confirmat Concilium Conſtantienſe hunc damnans articulum 41. Vuiclef, ſcilicèt; *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe Supremam intèr alias Eccleſias. Error eſt* (ait Concilium) *pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſupèr alias Eccleſias particulares*: nàm ſicut Caput habet Primatum ſupèr cætera membra, non ſuprà totum corpus adæquatè ſumptum: quià deberet eſſe primum, ac prius ſe ipſo, cùm & ipſum ſit in corpore adęquatè ſumpto. Sic Papa Eccleſiæ Caput habet cæterarum Eccleſiarum Primatum. Primatus autèm, ac Suprema Dignitas, ac Vicariatus Vnus eſt; & ſic oſtenditur: *Caput Eccleſiæ eſt Vnum* (vt dixit ſuprà Concilium Conſtantienſe, & diximus nos Prim. Par. *in Dedicatoria ad Innocentium Vndecimum*.) Sed *Supremus in Eccleſiaſtica Poteſtate eſt Caput Eccleſiæ*. Eadem enim ſunt Caput Eccleſiæ, ac Suprema Poteſtas; vti in confeſſo eſt. *Ergò Supremus in Eccleſiaſtica Poteſtate eſt Vnus*: eò magis, quò ſupremum eſt ſuperlatiuum. Superlatiuum autèm eſt vnum. *Quod enim præſtat, & excellit, id vni ſoli conuenit, vt igni celeritas maxima* (inquit Ariſtoteles) qui etiam repetit quod. *In vnoquoque genere eſt vnum, quod eſt primum, & menſura omnium, quæ ſunt in illo genere*; *Ergò vnum eſt Supremum, ac Primum*; & confirmatur etiàm ſic: *Caput Eccleſiæ Papa eſt immediatum Chriſto* (vt dixit Conſtantienſe) *ſed quod eſt immediatum eſt vnum*; quià ſi eſt immediatum, nullus illud præcedit; nèc duo paria poſſunt eſſe immediata, quià deeſſet illis ordo: vnum enim alteri non ſubeſt; quià eſſent paria, & tamèn; *quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt* (vt dicit S. Paulus. Ergò vnum eſt Supremum Caput, & vna Suprema Eccleſiæ Dignitas: ſiquidèm repeto: *Caput Eccleſiæ eſt Vnum* (vt patet ex dictis) ſed *Papà eſt Caput Eccleſiæ* (vt ſæpiùs dictum eſt etiàm cum Concilio Coſtantienſi in Articulo Septimo Hutz). Ergò *Papa eſt Vnus*: Vnus Supremus in Eccleſiaſtica Poteſtate, cui cæteri omnes

L. Proxi-mus. ff. de verb. ſign.

Conc. Conſtant. ſeſſ. 45.

Ariſtot. Top. l. 5. c. 2

Ariſtot. Metap. l. 10. c. 2.

S. P. Rom. c. 13.

Digitized by Google

ſubſunt, & obſequi debent. Non eſt autèm Supremus in honore tantùm: ſed & etiàm in Poteſtate, & probatur ſic: *Qui poteſt omnia nihil eſt, quod non poſſit*: patet ex terminis, & confirmat S.Paulus [S.P. Hebr. c.2.] ſcribens ad Hebræos: *In eo, quod omnia ſubiecit, nihil dimiſit, non ſubiectum ei; ſed Papa omnia poteſt in Eccleſiaſtica Hierarchia*. [S. Math. c. 16.] Nàm ei indixit Ieſus; *Quodcumque ligaueris ſupèr terram, erit ligatum, & in Cælis. Ergò in Eccleſiaſtica Hierarchia nihil eſt, quod Papa non poſſit*: niſi apertè Sacris Scripturis, vel Fidei ſit diſſonum [vt limitat Vrbanus Papa apud Gratianum]: tunc enim [Act. c.5.] *oportet magis obedire Deo, quàm hominibus*; quod tamèn non contingit in eo, cuius Fides eſt indeficiens (vt dicetur). Qui autèm omnia poteſt, Supremam habet Poteſtatem; quià nullus illo potentior, qui poteſt cuncta. Ergò Papa Supremam habet Poteſtatem, & ipſe Vnus habet plenitudinem poteſtatis Petri: Cæteri verò Epiſcopi vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ac de eius plenitudine omnes Paſtores accipiunt, ſicut Septuaginta duo Seniores Iudæorum acceperant de [Exod. c.18.] ſpiritu Moyſis; *quomodò Solis multi radij* (ait S.Cyprianus). *Sed lumen vnum, & rami Arboris multi; ſed robur vnum tenaci radice fundatum, & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, Vnitas tamèn ſeruatur in origine*; [S.Cyprian. apud Gratian. c.24 q.1.c. loquitur.] S. Cypriano accedit Bonifacius Octauus: Nomen igitùr *Simon* ſignificat ſuppoſitum, ac indiuiduum illud abſolutum [Num. c.11] Germani Andreæ, abſquè relatione ad alios; Et Simeon perſona priuata electus eſt à Chriſto in Principem Epiſcoporum, ac Totius Eccleſiæ primatum, Caput, Sponſum, Paſtorem, ac Petram fundamentalem. [Cap. de Cet. c.2 q.6 Bonif. c. Fundam. de elect. in 6.] Papa enim eſt Vicarius eius, qui dixit; *Data eſt mihi omnis Poteſtas in Cælo, & in terra, & ecce vobiſcum ſum uſquè ad conſumationem ſæculi*, etiàm per meum Vicarium: cui Ipſe dixit; [S. Mat. c.28] *Tu es Petrus, & ſupèr hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Quodcumque ligaueris ſupèr terram, erit ligatum, & in Cælis.* [S. Mat. c.16]

Suprema Papæ Poteſtas confirmatur.

III. Hanc antiquiſſimam Papæ Poteſtatem agnouit, & ſic profitetur noſtris hiſce temporibus S.Franciſcus Saleſius; [S. Sa'e ſ l.7 ep.48.] *Papa eſt Supremus Paſtor, & Pater Spiritualis Chriſtianorum; quià Ipſe eſt Supremus Vicarius Ieſu Chriſti in terris, & idcircò ordinariam habet Supremam Poteſtatem ſupèr omnes Chriſtianos; Vnus* enim *Romanus Pontifex, & Primas Eccleſiæ eſt Vniuerſalis, & Apoſtolicus*; vt definiuit in Concilio Remenſi S.Leo Papa Nonus, & patet

apud

Digitized by Google

apud Baronium. Idem definiuit Conſtantienſe Concilium, quod Eccleſia Romana Primatum habeat reſpectu cæterarum Eccleſiarum: Non eſt autèm iſte Primatus vmbra vacua ſinè virtute, ac Poteſtate [cùm nèc vmbra Petri virtute caruerit ad ſanandum] ſed eſt Primatus in ordine Epiſcopatus ad animarum ædificationem, non ad dominandi ambitionem, qui ſicut præeſſe, & prodeſſe fidelibus debet: ſic & Fideles illi ſubeſſe oportet [vt inquit S.Paulus dicens]: *Obedite Præpoſitis ueſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem de animabus ueſtris reddituri*. Porrò huius profeſſionis paraphraſis eſt conſtitutio Bonifacij Octaui incipiens; *Vnam Sanctam*, relata in extrauaganti comm. in Tit. *de Maioritate*, qui eam ex tractatu S.Cypriani Martyris proprio ſanguine conſcripto *de Vnitate Eccleſiæ* decerpſiſſe videtur, & eſt etiàm apud Gratianum. Si enim Primus Paſtor eſt, & Vniuerſalis, ei debent omnes oues obedientiam: *Oues enim meæ vocem meam audiunt*: Cum eo, cuius eſt Vicarius repetit Papa: qui verò non audit, non eſt ouis Chriſti. Hanc Summi Pontificis vnam, ac ſupremam Dignitatem, atquè Poteſtatem profeſſa fuit Synodus Epheſyna 200. Epiſcoporum, & plus, ſub S.Cęleſtino Papa Primo anno 431. Itèm Conſtantinopolitana ſub S.Leone Papa Primo anno 448. Calcedonenſis ſub eodem S.Leone præſentibus ſexcentum Epiſcopis anno 451. qui à Summo Pontifice petentes Concilij approbationem ſe Filios eiuſdem appellant: Synodus Romana ſub S.Felice Tertio ſeptuaginta ſeptem Epiſcoporum anno 484. vbi ſic conſcribunt: *Ex antiqua conſuetudine obſeruatur, quod quotiès Sacerdotes Domini congregantur pro Eccleſiaſticis cauſis, & præſertim Fidei, Romanus Pontifex cuncta definiat, nomine Epiſcoporum Italiæ pro ſolicitudine omnium Eccleſiarum, quæ illi conuenit; nàm ipſe eſt omnium Caput, dicentē Domino ad B.Petrum Apoſtolum*: Tu es Petrus, & ſupèr hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam: *quam uocem ſectantes trecentum decem & octo Sancti Patres Concilij Niceni expectarunt confirmationem, ac robur Decretarum rerum ab Eccleſia Romana, & etiàm poſteà obſeruatum eſt ſempèr*. Hactenùs Concilium Romanum; Vndè dictorum verborum: *Tu es Petrus*, &c. antiquiſſima, & Catholica intelligentia elucet, quam etiàm ſequutum eſt Concilium Conſtantienſe condemnando errores Ioannis Vuiclef, & Ioannis Hutz, & huius præſertim hunc ſeptimum articulum iàm dictum: ſcilicèt: *Petrus non fuit, nèc eſt Caput Eccleſiæ Catholicæ*; & hinc etiàm Aduerſariorum machina D.Auguſtino malè innixa facilè diſſoluitur, vti mox dicetur: nos autèm cum præfatis Concilijs, ac etiàm cum Religioſiſſima, ac celeberrima Sacræ Theologiæ facultate Pa-

Baron. an. 1049. n 17 Conc. Conſtan. ar. 41. Vuiclef.

S.P. Hebr. c. 13.

Grat. diſt. 93. c. 3. qui & cau. 24. q. 1. c 18. loquitur c. Alienos.

S. Io. c. 10.

Baron. an. 431 n. 80. 81.

Bar. an. 448. n. 50.

Baron. an. 451. n. 70. 71 146. &c.

Baron. an. 484 n. 21.

Vuiclef ar. 37. 41.

Digitized by Google

Sorbon.an. riſienſi, vulgò *Sorbona*, profiteamur: *Cùm de Romano Pontifice ſit*
1683.die *ſermo, cuius iura non modò illæſa eſſe voluit facultas, ſed & qua-*
.....Maij. *que occaſione data religioſè venerata eſt; expoſuit copioſè, ſtrenuè*
defendit. antiqua ſua in Sedem Apoſtolicam reuerentiæ eſſe duxit
hic breui de ea præfari, & disertè repetere, quod olim non ſemèl pro-
feſſa eſt, Romanum Epiſcopum vnum eſſe Iure Diuino Summum in
Eccleſia Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere teneantur, & qui
immediatè à Chriſto, non honoris ſolùm, aut dignitatis; ſed &
Poteſtatis, ac Iuriſdictionis Primatum habeat in tota Eccleſia.
Eſt enim hæc profeſſio eadem cum profeſſione generalis Synodi
Baron. an. Epheſynę, Calcedonenſis, Conſtantinopolitanæ, ac etiàm Romanæ,
1085.n.4.5 & alterius Synodi ſub S. Gregorio Septimo; quæ iſta ſyllogiſtica
ratiocinatione comprehendi videntur; *Illi qui in Eccleſiaſtica Hie-*
rarchia immediatus, ac proximus Vicarius eſt Chriſti Capitis Ec-
cleſiæ omnes tenentur parere. Si enim eſt Vicarius. Ergò ei ſicuti
S.Luc.c.10 Principali Domino parere oportet. Ipſe enim dixit; *Qui vos audit,*
S.P.Cor.2. *me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*: Hinc D.Paulus profitebatur:
c.5.& Eph. c.6. *Pro Chriſto legatione fungimur*, & propterea vti Chriſti Miniſtris
S.P.Rom. eſt obediendum; ſicut & ipſe D.Paulus Romanis iuſſit dicens: *Om-*
c.13. *nis anima Poteſtatibus Sublimibus ſubdita ſit*: Si autèm immedia-
tus, ac proximus eſt, nullus ipſum præcedit; ſed à Chriſto, qui eſt
Primum Caput, ipſe Papa Secundus eſt; Cæteri ſubſunt [vt patet
ex terminis]: ſed *Papa eſt Vicarius immediatus, ac Proximus Chri-*
ſto in Eccleſiaſtica Hierarchia (vti definiuit Concilium Conſtanti-
enſe condemnans hunc articulum 37. Vuiclef; *Papa non eſt imme-*
diatus, & Proximus Vicarius Chriſti: quod docuit etiàm Ieſus di-
S.Math.c. cens: *Tu es Petrus, & ſupèr hanc Petram ædificabo Eccleſiam*
16. *meam*: *Tibi dabo claues Regni Cælorum*: *Paſce oues meas*. En
S.Io.c.21. Chriſtus Petra Petram Petri ſibi opponit. Chriſtus Cælorum Domi-
nus, Petro claues breui manu tradit. Ieſus Epiſcopus, ac Paſtor
animarum, & Primus Paſtorum oues immediatè Petro commendat.
Ergò eſt Vicarius proximus Chriſti: ergò in Eccleſia omnes ei pa-
rere tenentur: Ipſe enim eſt Clauicularius Cælorum, & Paſtor
ouium, & Petra fundamentalis: Inſupèr in Eccleſia Chriſti *Fiet*
S.Io.c.10. *vnum ouile, & vnus Paſtor* [vt ait S.Ioannes] & ſicut vnus eſt
Paſtor, erit vnum tandèm ouile; vti fatetur Concilium Conſtantien-
C. multum ſe hunc repetitum iàm articulum 27. Hutz condemnans, ſcilicèt:
c.3.q.6. *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe vnum* (nota) *Caput*
C. ita Dominus *in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod cum ipſa conuerſetur*, &c.
diſt.19.& Si vnus eſt Paſtor, cęteri qui in Eccleſia ſunt, oues ſunt; ſi oues ſunt,
Extrauag. ergò vni Paſtori parere tenentur; ſicut in ſuis Regnis cæteri Regiæ
comm. de obſequuntur Maieſtati. Quamobrèm cùm ſit Princeps; ſicut cæteri
Maior. Prin-

Principes ſupremi condendarum legum, ac etiàm eas interpretandi S. P. Rom.
Ius habet: vndè (monet Sanctus Paulus) *omnis anima Poteſtati-* c. 13.
bus ſublimioribus ſubdita ſit. Nam qui poteſtati reſiſtit, Dei ordi-
nationi reſiſtit, & ideò ſibi damnationem acquirunt. Sunt enim
Principes miniſtri Dei (vt inquit Sapiens) & legati Regis Regum
(vt inquit Sanctus Paulus) propterea proteſtatur Spiritus Sanctus, Sap. c.6.
dicens. *Per me Reges Regnant, & legum conditores iuſtà decer-* S. P. Cor. 1. c. 5.
nunt. Ergò ſicut cæteri Principes laici demandata ſibi poteſtate à
Deo leges conſtituunt; ſic & Summus Pontifex Canones, ac Con-
ſtitutiones edit. Ergò cuſtodiendæ.

Papæ Infallibilitas.

IV. Verùm plus vltrà procedit Pontificia Poteſtas. Etenim ſi- S. Io. c. 21.
cut vni Petro præ cæteris Apoſtolis, ac Regibus datæ ſunt Claues S. Luc. c. 22
Regni Cælorum, eidemque indiſtinctè dictum eſt: *Paſce oues meas*;
confirmandique cæteros data eſt cura (vt inquit Sanctus Lucas);
Idcircò præ cæteris Apoſtolis,] ac Regibus decoratus eſt ſingulari
prærogatiua, quod ſit non ſolum Princeps, ac legum lator, verum
etiam Magiſter veritatis, ac Fidei Doctor ex Cathedra toti Eccle-
ſiæ auſcultandus; ità vt non ſolum decernat, ac definiat, quæ ad
morum reformationem ſpectant; ſed etiam definiat, quæ ad Fidei
Dogmata pertinent: vti videre eſt in Concilio Tridentino, in quo
extant *Decreta de reformatione morum*, & *Canones Dogmatum*
Catholicorum. Habet enim non vnam; ſed binas *Claues* (vt dicit
Diuus Thomas) *Clauem* ſcilicèt *Poteſtatis*, vt Princeps; *Clauem* S. Th. ſupl.
alteram *Scientiæ*, vt Supremus Magiſter, & Doctor. Nam ipſi aſ- 3. q. 17. ar. 3
ſiſtit Spiritus Paraclitus (vti pro eo rogauit Chriſtus) qui *docet*
omnem veritatem, hac carent cæteri Principes. Neutram verò ha-
bet ſimplex Doctor, nec Clauem Poteſtatis, nec Clauem ſcientiæ
infallibilis; quia non ipſis; ſed Pontifici in perſona Petri promiſſa
eſt indeficiens Fides (vt repetit Sanctus Lucas): *Ego rogaui pro te,* S. Luc. c. 22
ne deficiat Fides tua. Orationes autem Chriſti exaudiuntur: vt ip-
ſemet profeſſus eſt Patri, ſic dicens. *Ego ſciebam: quia ſempèr me*
audis. Ergò verè indeficiens fuit Petri Fides, ac Succeſſorum, alias S. Ioa. c. 11.
inutilis fuiſſet Chriſti oratio. Nupèr tamèn quidam Recentior
ſomniauit, quod huiuſmodi oratio ſe reſtrinxerit ad Paſſionis Chri-
ſti tempus; non autèm ſe extenderit ad tempora ſequentia, de quo
infrà; Interim ſic ſuperiora confirmantur.

V. Ex D. Ioanne, & Matthæo ſic *intuitus eum Ieſus* dixit: *Tu*
es Filius Iona. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur PETRVS, S. Ioa. c. 1. S. Math. c. 16.

&

& *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit Tibi; ſed Pater meus; qui in Cælis eſt. Et Ego dico tibi, quia Tu es PETRVS, & ſuper HANC PETRAM ædificabo Eccleſiam meam, &c. Meum* autem *dixiſſe, feciſſe eſt:* addit Sanctus Hieronymus. Ergò Simon mutatus in Cephas eſt Petrus. Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ. Fundamentum firmum perſtat vſque dum Domus permanet; ſed Eccleſia Chriſti non corruit; ſed permanet, *donec occurramus omnes in vnitatem Fidei* (vt loquitur Sanctus Paulus) *& fiat vnum Ouile, & vnus Paſtor* [vt inquit Sanctus Ioannes]. Ergò Petrus, ſeu Petri dignitas eo vſque etiam perdurat: ſed non perduraret, ſi deficeret Fides; nam *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, & ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Ergò Fides non defecit vmquam, nec deficiet in Petro, eiuſque ſucceſſoribus alias corruiſſet, & corrueret Domus Dei, quæ eſt Eccleſia, ſi deficeret Petra, quæ eſt Petri Poteſtas, vel Petræ Firmitas, quæ eſt indeficiens Fides: cum veriſſimum ſit quod, *Portæ Inferi non præualebunt aduerſùs eam*. Ergò *Papa Suprema, ac infallibili in vniuerſa Dei Eccleſia pollet Poteſtate*.

S. Hieron. in Math. l. 3. c. 16. *S. P. Epheſ. c. 4.* *S. Io. c. 10.* *S. P. Hebr. c. 11.* *S. Math. c. 18.*

S. Bernar. tract. de Error. Abailard. in praf.

VI. Hæc omnia perſtringit, ac probat Sanctus Bernardus Euangelicæ Veritatis in Gallijs præco ad Summum Pontificem Innocentium Secundum ſcribens: *Oportet* [ait] *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quoque & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim, quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna Fidei, vbi non poſſit Fides ſentire defectum. Hæc quippè huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquandò dictum eſt. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat Fides tua? Ergò quod ſequitur; à Petri Succeſſore exigitur. Et tù aliquandò conuerſus confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtra admonitione corda in Fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra auctoritate conteritis Fidei corruptores*. Huiuſmodi Euangelica veritas ſic ſyllogizari licebit.

Petrus eſt Os Dei infallibile.

Nam Ipſemet Petrus profeſſus eſt dicens. *Deus in nobis elegit per os meum* (nota) *audire Gentes verbum Euangelij, & credere* [nota] & Eidem dixit Dominus Ieſus. *Ego rogaui pro te, ne deficiat Fides tua*. Ergò Petrus eſt os Dei infallibile: ſed

Act. c. 15. *S. Luc. c. 22.*

Pa-

Papa eſt Petrus Poteſtate.

Sicuti cum S.Leone: Bernardo: Concilio Lugdunenſi, & alijs, vniuerſa per orbem confitetur Eccleſia.

S.Bern. de Conſ.l.2. c.8.
S.Leo Pap. ſer.2.in Aniu. Aſſumpt. ſua: cuius dignitas in indigno herede non deficit.

Ergo Papa eſt Os Dei infallibile.

Sic enim ex vi ſyllogiſmi, cum ſit in forma, neceſſariò concluditur.

Syllogiſmus eſt in forma.

VII. Item ſic ratiocinandum videtur. *Domus ſumit firmitatem à fundamento, non fundamentum à Domo:* vti teſtatur etiam Dei Filius apud Sanctum Matthęum, quod Domus quædam non cecidit: *Fundata enim* [nota cauſalem] *erat ſuper firmam petram. Sed Eccleſia eſt Domus Dei, & Papa Petri ſucceſſor, eſt fundamentum.* Nam Domus Dei eſt Eccleſia (inquit Sanctus Paulus): *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* (ait Sanctus Matthęus). Ergò *Eccleſia ſumit firmitatem à Papa, non Papa ab Eccleſia.* Sic profitetur cum Innocentio Tertio D. Thomas. Demum ità ſyllogizando pro Romana Sede concluditur. *Super Cathedram Petri ædificatur Eccleſia Chriſti.* Vti ſuprà cum D. Matthæo repetitum eſt: *Super hanc Petram ædificabo* &c. ſed *Epiſcopatus Romæ, iubente Deo, eſt Cathedra Petri;* vt patet ex D. Ioanne de Petro dicente. *Alius te ducet, quo tu non vis,* hoc eſt ad Martyrium Romæ: & ex S. Leone, & Concilio Conſtantienſi, ac S. Anacleto, ac vniuerſa Eccleſia ex antiquiſſima Traditione. Ergò *ſuper Epiſcopatum Romæ, iubente Deo, ædificatur Eccleſia Chriſti.* Si ergò vniuerſalis Eccleſia ſuper Cathedram Petri ædificatur, ab hac ſumit firmitatem. Ergò multò firmior erit Romana Sedes, & Cathedra Petri: iuxta illud Axioma. *Proptèr quod vnum quodque tale, & illud magis;* Sed Eccleſia vniuerſalis eſt infallibilis. Ergò infallibilior eſt Cathedra Petri; iuxta præfatam Chriſti ad D. Petrum declarationem. *Ego rogaui pro te, ne deficiat* (en firmitas ac infallibilitas) *Fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* En participatio firmitatis cæteris. Ergò confirmatio aliorum à firmitate Sedis Apoſtolicæ emanat.

S.Mat.c.7.
S P. Tim. 1.c.3
S.Math.c. 16.
Innoc. C. maioris de Baptiſ.
D.Tho.2 2 q.1.ar. 10.
S.Math.c. 16.
S.Io.c.21.
S.Leo Pap. ſer.1.de SS. Apoſt. Petro & Paulo.
Conc.Conſtant.ar. 37.41. Vuicl.ac Io.Hus vr.7.
Anaclet.c. Sacroſ.d. 22.
S. Luc.c.24

Epi-

Epilogus præcedentium.

VIII. Ex Superioribus erumpit hic de Summo Pontifice Epilogus; abeunte Chriſto à terris, neceſſarius fuit Eccleſiæ vnus eiuſdem Chriſti Vicarius, qui primam loco Chriſti, ac ſupremam exerceret Poteſtatem ſupèr omnes Fideles oues, cuique hæ omnes parere tenerentur, & Ipſe eſſet infallibilis Dei Magiſter, nèc vnquàm deficeret vllo tempore ipſius Fides, nè tota cum ipſo Eccleſiæ fundamento corrueret Domus Dei. Ergò audiendus eſt Summus Pontifex in ſuis declarationibus, ac conſuetudinibus, tamquàm Spiritus Sancti lingua, ac Interpres: multò magis quàm audierint Iudæi Summum Sacerdotem Moſaicæ legis, vmbram, ac Figuram futuri noſtri Sacerdotis. De quo nihilominùs ſic præcipit per Moyſem Dominus in Deuteronomio: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe* Deuter.c. 17. *proſpexeris intèr ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & non lepram, & iudicium intèr Portas tuas videris verba variari: Surge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxtà legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum. Nèc declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram: qui autèm ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo ex Decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael*. Exod.c.28 Leu.c.8. Idcircò etiàm Aaron Summus Sacerdos vmbram Summi noſtri Pontificis iuſſus eſt portare in pectore *Doctrinam*, *& Veritatem*.

IX. Huius vmbræ veritatem docentis, irrefragabile extat in Euangelio Teſtimonium. Nàm vnus Chaiphas in Supremo Concilio Sanedrin: *Cùm eſſet Pontifex* (nota cum D. Auguſtino) *anni illius prophetauit*: vt teſtatur S. Ioannes. S.Aug. tr. 44. in Ioa. S.Io.c.11. Argumentum fit *à fortiori* (ſicuti in hiſce S. Paulus conſueuit) Si Summus Moſaicæ legis Sacerdos *doctrinam*, *& veritatem* profitebatur, ac tantam Poteſtatem, eidem contulit Deus, cùm tamèn figura, & vmbra ſolùm futuri Summi Sacerdotis Euangelici eſſet; quantò magis hic, & Doctrina, & Veritate, & Poteſtate in decernendo præfulgere dicendus erit? *Nulli* (Galliarum Epiſcopi ad ſummum ſic ſcribentes Pontificem Romanum profitentur in Synodo Senonenſi, & extat intèr Epiſtolas D. Bernardi) *dubium eſt, quod ea, quæ Apoſtolica firmantur auctoritate, rata ſempèr exiſtunt, nèc alicuius poſſunt deinceps mutilari* S.Bern. ep. 370.

ca-

cauillatione, vel inuidia deprauari. Ea proptèr ad veſtram Apoſtolicam Sedem, Beatiſſime Pater, referre dignum cenſuimus quædam, quæ nupèr in noſtra contigit tractari præſentia. Quæ quoniàm, & nobis, & multis Religioſis, ac ſapientibus viris rationabilitèr acta viſa ſunt, veſtræ Serenitatis expectant comprobari iudicio, ſimul & auctoritate, perpetuò roborari. Ergò irreformabile cenſent Summi Pontificis ex Cathedra verbum: quibus in præmiſſa epiſtola ſubſcribit S.Bernardus: Hi doctiſſimi, ac pijſſimi Epiſcopi cum D.Bernardo videntur profiteri ſe velle Canonem obſeruare, de quo apud Baronium Socrates, ſic ſcribit: *Canon Eccleſiaſticus vetat, ne decreta, abſquè ſententia Epiſcopi Romani, Eccleſÿs ſanciantur;* & cum Iuſtiniano Imperatore ità concludere videntur: *Hoc enim credimus eſſe Catholicum, quod veſtro Religioſo Reſponſo, nobis fuerit intimatum.*

Baron. an. 325. n. 171 172.

Baron. an. Sig. n 96.

Papæ Decretis ſtandum.

X. Si ergò definiat, vel declaret aliquid, hoc ipſo ratum erit, etiàmſi nulla appareat ratio: vis enim obligandi ſubditos non eſt in opinione Superioris, ſed in voluntate: Vndè dixit Dominus: *Ille ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit, vapulabit multis.* Nàm *quod Principi placuit, legis habet vigorem* [inquit Imperator]; nec ratio eſt requirenda; *quià non omnium, quæ à maioribus noſtris conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt* [ait Imperator), & cum eo Ariſtoteles: nàm vbi ratio patet, non eſt expectandus Præceptor: vti diſertè docet S.Bernardus, & mirè cum D.Bernardo ad hanc rem ſcribit toti Societati prudentiſſimus, ille vir, ac pijſſimus Claudius Aquauiua: *Ego* (ait) *illud tantùm addam, quod in libro de Præcepto, & diſpenſatione aptè à D.Bernardo dictum legimus. Porrò imperfecti cordis, & infirmæ prorsùs voluntatis indicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſiùs diſcutere, & horrere ad ſingula, quæ iniunguntur: Exigere de quibuſque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cuius cauſa latuerit: nequè vmquàm libentèr obedire, niſi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit; aut quod non alitèr licere; ſeu expedire monſtrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata ſatis, imò nimis moleſta eſt huiuſmodi obedientia, non planè illa eſt, quæ ex Regula traditur obedientia ſinè mora: diſputare profectò hoc eſt in aſtu cordis, non in auditu auris obedire. Dèniquè addit omninò fieri non poſſe; vt huiuſmodi anima carnalis non opprimatur pondere, & non graue ſent iat iugum Chriſti. Optimus autèm* (inquit S.Auguſtinus) *mini-*

S. Luc. c. 12

L. Quod Principi. ff. de conſt. L. non omnium. ff. de legib. Ariſt. eth. l. 1. c. 7. S. Bern. de præc. & diſpenſ. c. 12. Aquau. ep. circ. n. 8. S. Bern. de præc. & diſpenſ. c. 13.

Digitized by Google

S. Aug. l. 10. c. 26. *niſter tuus eſt , Domine , qui non magis intuetur hoc à te audire , quod ipſe voluerit ; ſed potiùs hoc velle , quod à te audierit . Qui*
P. Mutius Vitel. ep. 1. circ. de or. *eiuſmodi eſt* (ſubdit P. Vitelleſchi) , *ſi qua in contrariam fortè partem occurrerent momenta rationum , non ità exponet , vt diuinam voluntatem Præſidum interpretatione euolutam , ſua videatur velle ſubiugare ; neque tantummodò Præfectum , ſiuè etiàm fortaſſè Concilium nequaquàm damnatum volet ; ſed ex illius etiàm ſententia , atquè iudicio formabit , & finget ſuum .* Huiuſmodi Doctrina ſic etiàm eluceſcit .

Pſal. 118. XI. *Lex Dei veritas eſt* . Dei Miniſtri , ac lingua ſunt Superiores. Ergò ex ore Sacerdotis , & multò magis Summi Sacerdotis ſcientia legis , & veritatis eſt requirenda : dicit Malachias ſic : *Lex veritatis*
Malach. c. 2. *fuit in ore eius ; & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius . Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam , & legem requirent ex ore eius ; quià Angelus Domini exercituum eſt* . Cùm autèm non acquieſcimus veritati , ſic nobis compertè repetendum erit cum Imperatore Martiano : *Qui poſt veritatem repertam , aliquid vlteriùs diſcutit , mendacium quærit* : vt referr Baronius ; eritque ex illis ,
Baron. an. 452. n. 1. de quibus loquitur Samuel , & cum eo S. Bernardus , qui nolentes
Reg. 1. c. 15 acquieſcere , committunt ſcelus Idololatriæ. Sed proh dolor ? quot
S. Bern. de præc. & diſp. c. 14. nunc Arioli , ac Idololatræ, non viſibilium ſimulacrorum , ſed inuiſibilium ſuarum opinionum ; quot qui reipſa eneruant Apoſtolicæ Sedis doctrinam , dùm docent doctrinas hominum , & Populi libentèr hos audiunt : Vndè cùm Ieremia , ac Deo ipſo conqueri poteſt
Iſa. c. 15. Pontifex , dicendo : *Populus meus dilexit talia* . Nàm etiàm in mundo nouo in Regno Peruano [vt ſignificauit vir valdè ſenſatus , ac pius A. R. ex Ciuitate Limæ Metropolis Peruuiæ] ibi dicitur quod *DIANA* eſt veluti quidam Papa , qui tollit peccata mundi : Verùm non vnus ; ſed quamplures ſunt huiuſmodi Papæ , & vtinàm tot eiuſmodi non forent : quià vnus , & verus audiretur Papa , & Romanus obaudiretur Pontifex ; qui propterea cum Iſaia , imò cum Deo , cuius eſt Vicarius in Terris , ſic monet Fideles : *Audite me , qui ſequimini , quod iuſtum eſt , & quæritis Dominum .*
Iſa. c. 51. *Attendite ad Petram , vndè excìſi eſtis , & ad cauernam laci , de qua præciſi eſtis . Attendite ad Abraham Patrem veſtrum , & ad Saram , quæ peperit vos . Attendite ad me Populus meus , & Tribus mea me audite ; quià lex à me exiet* : *Equidèm* (ait Salomon) *con-*
Prou. c. 6. *ſerua , Fili , præcepta Patris tui , & nè dimittas legem Matris tuæ .* Pater eſt Summus Pontifex Patris Cæleſtis vtpotè Vicarius . Mater eſt Dei Eccleſia , quæ Chriſti , eiuſque Vicarij vna eſt Columba , ac vnica Sponſa : qui ſunt duo in ſpiritu vno . Verùm cum eodem Propheta cogitur iterùm Sanctiſſimus Pater conqueri , dicendo :

Plu-

Digitized by Google

Plurimos fide, Religioſi ordinis profeſſione, ac Doctorali dignitate *Filios enutriui, & exaltaui: Ipſi autèm ſpreuerunt me*: Verùm *Alienus eſt*, (ait S. Cyprianus Martyr) *prophanus eſt, hoſtis eſt; habere iàm non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem*. *Qui* (ait idem Sanctus) *Cathedram Petri, supèr quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat*. *Iſa. c. 1.* *S. Cyprian. apud Gratian. c. 24. q. 1. c. Alienus eſt & diſt. 93. c. qui.*

Papa verè Ipſe habet Claues Regni Cælorum.

XII. Sunt aliqui, qui prærogatiuas datas Petro conantur dari Eccleſiæ, & quod ſit Petrus ſolùm Canalis, ac manus, per quam tranſit ad Eccleſiam Suprema Poteſtas, non verò ipſe Concha, qui retineat Pontificiam auctoritatem: & quod ipſe commodet nomen, Eccleſia verò ſub Petri nomine præfatas recipiat prærogatiuas: Petrus recipit, vt reſtituat (aiunt); Eccleſia recipit, vt retineat; & hæc Dogmata probare ex D. Auguſtino contendunt, & interpretantur quod dicat *Claues dari Eccleſiæ in Petro* Eccleſiam repræſentante: ad harum obiectionum confutationem, ac ad maiorem veritatis elucidationem, ſic differendum cenſemus. Petrus eſt nomen habens relationem ad Eccleſiam; & ideò, quod Petro datur, dicitur donari Eccleſiæ; ſicuti ſi aliquid conceditur Patri, dicitur etiàm donari filijs: vndè dicit Sapiens: *Gloria Filiorum Patres eorum*; quod ſponſo datur, dicitur dari ſponſæ. Sunt enim duo in carne vna, & ideò (ait S. Paulus), *qui vxorem diligit, ſeipſum diligit*; & cùm datur Abbati, vel Regi, decernitur dari etiàm Succeſſori. Prætereà Petro data eſt Poteſtas ad Eccleſiæ vtilitatem, & hinc dicitur data Eccleſiæ; ideſt proptèr Eccleſiæ vtilitatem; ipſe tamèn poteſtatem formalitèr accipit, & habet; *ſicuti Gratiæ gratis datæ*, dantur ad aliorum vtilitatem; ſed qui accipit, eas verè accipit: Vlteriùs quod datur capiti, dicitur denominatiuè dari & corpori; ſic dicebat Salomon: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus*, qui tamèn ſenſus vni Capiti datur; ſic quod datur Capiti Eccleſiæ, dicitur dari, & Corpori Eccleſiæ. Deniquè Petrus repræſentat Eccleſiam; ſed non merè repræſentat, & alieno nomine purè [vt ità dicam] ſe gerit; quià agit etiàm nomine proprio *Dignitatis formalitèr* ipſi inexiſtentis; ſicuti Martianus priuatus eques datus fuit vir S. Pulcheriæ Auguſtę, ac ſimul electus eſt Imperator, non ſolùm denominatiuè, ac repræſentatiuè; ſed verè in eo Imperatoria præfulſit Poteſtas [vt refert Baronius]: ſicuti Moyſes in acceptione legis Decalogi, Populum quidèm repræſentabat coràm Deo; ſed & ipſe pro ſe comparebat, *S. P. Eph. c. 1.* *Baron. an. 450. n. 17. 18.*

Digitized by Google

& ipſe etiàm legis obligationem ſubibat, & ſpiritum accepit prò Populo; ſed ſpiritus in ipſo verè inerat: ſicuti etiàm Sacramentum Altaris, & repręſentat inſtitutionem S.Euchariſtię, & commemorat Chriſti Paſſionem: ſed ità repræſentat, vt verè, ac realitèr in ipſo adſit repręſentatum: ſic D.Petrus repręſentat Eccleſię Poteſtatem; vt tamèn hæc non ſit in ipſo merè repręſentatiuè, ſed & realitèr; ſecùs locutio Chriſti dantis illi Claues videretur minùs conueniens, & impropria, nàm diceret dare ſe Claues ſponſo, & hic eis careret, & illis ſolùm potiretur ſponſa. Inſupèr Sancti Patres; imò & Concilia ſuprà memorata, in Petro ipſo agnoſcunt Pontificiam Poteſtatem: quamobrèm S.Auguſtinus prędictis modis eſt interpretandus, nè & textui Scripturę, & cęteris Sanctis Patribus diſcordet, & nè inconuenientia procedant. Etenim.

S.Aug.tr. in Ioan. tr.124. l.1. c.ſi de Bapt. in pſal. 106. Retract. l. 1. c.16. ſerm.15. de Apoſt. Petro, & Paulo.

XIII. Si vniuerſa Eccleſia pręcipit ligandi, & ſoluendi Poteſtatem (vt dicitur) vel ſinguli, vel omnes coniunctim; ſi ſinguli eſt contrà Tridentinum. Si omnes coniunctim; en impoſſibilitas; quià non omnes, ac ſinguli poſſunt congregari in vnum, pro abſoluendo quolibet; & ſic immenſus, ac ſtultus labor Eccleſię eſſet, vel reus abſquè abſolutionis beneficio remaneret; ſicut etiàm correctionis ſubſidio carerent (vt volunt intelligi illud Mathęi c. 51. *Si peccauerit, dic Eccleſiæ*); etenim cùm conuenirent, ad vnius rei beneficium, relinquerentur vbqiuè Gentium quamplures beneficij abſolutionis, & emendationis expertes; Vel aliqui tantùm recipiunt pręfatam poteſtatem, vti eſt Concilium Generale repręſentans vniuerſam Eccleſiam, eiuſque veluti Vicarius, & Procurator. Sed D.Auguſtinus loquitur de vniuerſa Eccleſia; nèc loquitur de Concilio Generali: Vlteriùs quis ſciet, quandò Concilium erit Generale: quot adeſſe debeant, vt ſit Æcumenicum: quis decernet, an ſit legitimum, vel an ſit Conciliabulum, ac Conuenticulum? non decernet ipſummet Concilium; quià *nemo Iudex in cauſa propria*; & quià etiàm Synagoga Sathanę poterit ſe declarare legitimum Concilium; quapropter vſus Clauium penè foret impoſſibilis. At reſpondebitur, quod Pontifex dijudicabit priora; ſed qua Poteſtate? an, quę ipſi ineſt formalitèr, vel quę habet repręſentatiuè ab Eccleſia tamquàm Eccleſię Vicarius, & veluti Procurator? ſi prima, iàm ergò poteſtatem in ſe exiſtẽtem habet; ſi ſecunda; ſed vndè accepit? A tota Eccleſia? non; quià non congregatur, nèc laici hanc habent poteſtatem. Si à Concilio, ſed vndè compertum erit eſſe hoc Generale, ac legitimum, & non potiùs Conciliabulum, & Sinagoga Sathanæ? vndè agnoſcitur, quod verum, ac authenticum ſit mandatum, ac Teſtimonium datæ facultatis; & quis huiuſmodi fidelia Teſtimonia diſpiciet? Ergò reliquum eſt, quod Petrus habeat in

Apud Grat. c. quodcũque c.24 q.1. Vide pro nobis Innocent. l. apud Gratian. c. quis neſciat diſt.11.

ſe

ſe ſupremam Poteſtatem Clauium à Chriſto Domino: Vndè Textus Euangelicus clarè docet, nèc fallimur, ſi apertis in littera verbis, nèc contrarijs Fidei, vel Charitati innitimur; dicitur autē Poteſtas Petri eſſe Poteſtas Eccleſiæ; quià Petrus, vt Petrus nomē dignitatis eſt, & ad Eccleſiam refertur; & quià hęc poteſtas ad Eccleſię vtilitatem eſt data; & quia Poteſtas data Capiti, dicitur data Corpori; & donum Sponſi dicitur dari Sponſæ: & quia Petrus repræſentat quidem; ſed & ſimul ipſe repræſentatam obtinet ſupremam Poteſtatem, quam ex ſe veluti Sol radios, vel fons riuulos deinde emittit; ſicuti fecit primum ipſe Chriſtus in Apoſtolos; & hoc pacto ſibi conciliantur contrariæ auctoritates; alitèr vis nimia infertur Chriſti verbis, ſi cum dicat Petro in præſentia Eccleſiæ; *Tu es Petrus, &c. Tibi dabo, &c.* velit quis dicere illum loqui non ad Petrum propriè: ſed ad Eccleſiam; quod non accidit, ſi dicamus eſſe denominatiuè datum Eccleſiæ, quod eſt datum verè Capiti; ſicuti ſi datur aliquid Superiori dicitur eſſe datum Communitati, & hinc datur Eccleſiæ, ſi datur Papæ, vel ſuis inferioribus in ordine Epiſcopatus; & cum Diuus Auguſtinus nolit ſcriptis ſuis credi, niſi quatenus ratio probabilis exigit; ratio autèm apertè conſpiciat Chriſti verba, ac auctoritatem dirigi ad Petrum, interpretandus erit Sanctus Auguſtinus ſuperiore pacto: ad cuius confirmationem addimus, quod.

S. Auguſt. apud Grat. diſt. 9. c. nolimus. c. negare. c. ego ſolis.

XIV. Verba Scripturæ Sacræ, ſi intellecta litteralitèr Regulis Fidei, vel Charitatis non repugnant, ſunt litteralitèr accipienda; ſic docet Diuus Auguſtinus, & Diuus Thomas; ſecus nihil certum, ac firmum eſſet in Canonicis libris; niſi certus eſſet ſenſus literalis, qui eſt fundamentum cæterorum ſenſuum ſpiritualium, & in hoc etiam errauit Origenes (apud Baronium): quia omnia Scripturæ loca myſticè volebat intelligi; ſed verba iſta; *Tu es Petrus, &c. Tibi dabo, &c.* intellecta litteralitèr de Petro diſtincto ab Eccleſia, non repugnant Regulis Fidei, vel Charitatis; ſic enim intelligunt ea Sancti Patres, & Concilia ſupra citata, & cohæret Euangelico Textui, nam ſicut Sanctus Petrus locutus eſt litteralitèr de Chriſto, cum dixit. *Tu es Chriſtus Fili Dei viui*; ſic Chriſtus locutus eſt litteralitèr de Petro, cum dixit; *Tu es Petrus &c.* Ergò ſunt hæc verba litteralitèr accipienda; & hinc Diuus Auguſtinus explicandus eſt iuxta priora, ne ſibi ſit contrarius dicenti; *quis non impudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitum, pro ſe interpretari, niſi habeat, & manifeſta* (nota) *Teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura*? ſed non extat manifeſtum Teſtimonium, quod Chriſtus locutus ſit Petro, tamquam ſimplici, ac puro repræſentanti Eccleſiam vniuerſalem, ac eius veluti Vicario ſcilicèt Eccleſiæ, ſed locutus

D. Aug. de Doct. chriſ. l. 3. c. 1. 3. 16.
D. Th. 1. q. 1. a. 10. ad 1
S. Math. c 16.
S. Aug. ep. 48. ad Vincentium.

tus

S.Io.c.21. tus eſt illi tamquam ſuo Vicario, iuxta illam commiſſionem, ac mandatum conſcriptum apud Sanctum Ioannem; *Paſce oues meas*, & iuxta indubitatiſſimam, ac antiquiſſimam Traditionem, ac ſecundum Præfata Concilia, præſertim Lugdunenſe, ac Conſtantienſe, quod Papa Ipſe Vicarius ſit Chriſti, ac Caput Eccleſiæ. Ergò intelligendus eſt Texus, ac Diuus Auguſtinus de Petro formalitèr, qui Vicarius verè eſt Chriſti, illique verè ineſt collatum à Chriſto Pontificium, nec dicitur Vicarius Eccleſiæ; ſed Caput: Eccleſiæ autem Vicarius eſſe videtur Generale Concilium, ſeu Eucumenicum, quod repræſentat Eccleſiam Vniuerſalem, vt innuit Concilium *Conſtant. ſeſſ.45. Interog.5.* Conſtantienſe; ergo repetendo perſtringo: *Quod vni conuenit, ac verè datur, ineſt illi formalitèr, & ſi finalitèr hoc datum ſit propter vtilitatem alterius*: vti videre eſt in Gratijs Gratis datis. Nam qui hiſce potiuntur, verè illas habent; habent tamen ad vtilitatem aliorum [vt dicit Sanctus Paulus] ſic & ipſe Sol lucem verè in ſe habet, quamuis hæc illi ſit collata, vt illuminet mundum, & in ipſo formalitèr lucido dicitur lux data vniuerſo: ſic Papatus eſt in Petro propter Eccleſiæ bonum; at verè ipſe Papa eſt Princeps, & ei debetur ab omnibus obedientia; & licet ſic ratiocinari. *Vbi ſunt duo,* *C. Quoniã de offic. deleg.at.* *præſertim relatiuè oppoſita, quod vni eorum nominatim, vel demonſtratiuè dicitur, vel datur, illi vno nominato, & demonſtrato, verè conuenit, & non alteri formalitèr, ex eo præcisè, quod alteri datur.* *L. nominatim ff. de leg.3.* Vti ex legali doctrina etiàm patet, (ecùs eſſet contrà proprietatem verborum, ac locutionum, & contrà ſenſum literalem, qui tenendus eſt (vt ſuprà dictum eſt): ſed priora ſcilicèt *L. nominatim ff. de condit. & demon.* *vnum ouile, & vnus Paſtor*, ſunt duo relatiuè oppoſita: Paſtor paſturus, ouile paſcendum. Ergò *quod Paſtori dicitur, vel datur nominatim, vel demonſtratiuè illi verè conuenit, & non alteri formalitèr, ex eo præcisè, quod alteri datur: ſed Petro nominatim, ac demonſtratiuè datur quod ſit Petra fundamentalis, & ſit Paſtor,* *S. Math. c. 16.* *illique dantur Claues* (nàm dixit illi Ieſus.) *Tu* (en demonſtratio) *es Petrus* (en expreſſa nominatio) *Tibi* (en altera demonſtratio) *dabo Claues*. Ergò Petro formalitèr conuenit Papatus, & Claues, *& non Eccleſiæ formalitèr, ex eo præcisè, quod Petro dantur,* S.Luc.c.22. &c. quod magis patet ex horum verborum ponderatione. *Ego rogaui pro te* (en vnus Petrus, ac Papa) *& Tu* [nota] etiàm pronomen demonſtratiuum (*aliquandò couerſus confirma fratres tuos*) en ſecundus, ſcilicèt Eccleſia; quod ergò vni ex his duobus nominatim, ac demonſtratiuè datur, ex hac præciſa datione non debet dici datum formalitèr alteri. Petro igitùr datur verè Prærogatiua, non demonſtratiuè, nèc tranſitoriè tantùm, quamuis ad Eccleſiæ bonum. Ergò dicta verba non ſunt intelligenda figuratè, ſed pro-

priè

Digitized by Google

priè de Petro, eiuſque Pontificia Poteſtate ipſi commiſſa formalitèr ad finem ædificandi Eccleſiam. Ergò Petrus verè ipſe prædictis gaudet à Chriſto prærogatiuis; ac proindè prædicto modo intelligendus eſt D. Auguſtinus, iuxtà ipſiuſmet proteſtationem, ac doctrinam. Ergò corruit aduerſariorum Achiles inuitentium ipſi D. Auguſtino.

XV. Quatuor igitùr mouere debent ad Summi Pontificis obedientiam. 1. Summa cum ſummis Magiſtris Sacræ Theologiæ, ac vtriuſque Iuris peritis conſultatio. 2. cum Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus tractatio. 3. Regia Poteſtas, ac principalis authoritas, ſicut & cæteri Principes ſupremi exercent in ſuis legibus, ac regimine ſubditorum. 4. Aſſiſtentia Spiritus Sancti, ipſi promiſſa, ipſique reuelantis ſecreta celeſtia; quarè illi dixit Chriſtus, ***Beatus es Simon Bar Iona, quia Caro, & Sanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt. Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua.*** Ergò indeficiens eſt Fides Petri, & ſucceſſorum. Ergò audiendum eſt omnibus Papale Magiſterium. S. Math. c. 16. S. Luc. c. 22

Obiectiones diluuntùr.

XVI. Hic pro rei veritate contra quemdam Recentiorem antiquatas renouantem contradictiones notandum eſt, quod hæc verba. *Ego rogaui pro te &c.* & hanc promiſſionem ad Petrum habuit quidem Ieſus tempore Paſſionis; ſed non pro vno paſſionis tempore: nam indefinitè, ac indiſtinctè locutus eſt Chriſtus, ſicuti cum dixit: ***Paſce Oues meas: nihil autem excipitur, vbi diſtinguitur nihil*** (repetimus cum Diuo Bernardo, & Cæteris): Deindè eodemmet tempore loquebatur illis, *De Regno, de Menſa, de Thronis, de Iudicio* ab ipſis ſecum faciendo: *De duobus gladijs*: quæ tunc temporis adimplenda non erant: ſed poſteà, & nominatim Gladij. Hi enim adeò verum eſt, quod per Paſſionem exercendi erant; vt Petrus reprehenſus fuerit: quià gladium tunc eduxerit, & eumdem iuſſus eſt mittere in vaginam. Ergò & promiſſio indeficientis Fidei, & tempore Paſſionis, & poſt illud etiàm tempus erat adimplenda: ſicut, & gladij poſteà erant exercendi: Vndè dicit S. Auguſtinus quod Petrus ore Chriſtum negando Fidem in corde non amiſit, nèc poſteà à D. Paulo reprehenſus in faciem fuit, proptèr Fidei errorem, [quià legalia nondum erant mortifera): ſed proptèr ſimulationem: vt facilè liquet ex Epiſtola ad Galatas, & ex Baronio. Pro ipſo enim ſingillatim facta eſt à Chriſto oratio, & à Patre Æterno Deitatis Chriſti Petro reuela-

S. Io. c. 21. S. Bern. de Conſ. l. 2. c. 8. S. Aug. to. 4 c. 6 contra mend. S. P. Galat. c. 2. Bar. an. 51. n. 40. &c.

S. Math. c. 16. latio [vt dicit S. Matthæus] & ex ore Petri hunc articulum cęteri didicere Apoſtoli; & ratio eadem; imò multò magis militat poſt Paſſionem, vt eſſet indeficiens Petri Fides, cùm Chriſti præſentia Diſcipuli carerent, & Portæ Inferi eos erant oppugnaturæ; Vndè Fides debebat eſſe conſtantior, nè & ipſe Petrus negando finalitèr periret, & vt Petrus conuerſus verbo veritatis confirmaret fratres ſuos, cui propterà impetrabatur Fides indeficiens, vt patet ex Textu dicente: *S. Luc. c. 22* *Tu aliquandò conuerſus confirma fratres tuos*. Ergò non ſolùm pro tempore Paſſionis orauit Chriſtus pro Petro: ſed multò magis pro tempore eam ſecuturo, vt ipſe Vicarius Chriſti viſibilitèr iàm abſentis cæteros Diſcipulos, ac Apoſtolos in fide confirmaret; quæ confirmatio patet fuiſſe præcipua orationis Chriſti intentio. Ergò Petrus numquàm in Fide deficit: nèc etiàm Petri legitimi Succeſſores vnquàm in Fide errauerunt: quamuis aliqui conati ſunt criminari ſequentes; ſed legitimè ex vera, pura, & integra facti narratione, non ſubdola (vt Nouatores faciunt) qui venena aureo poculo propinant, diminuentes, addentes, alterantes, ac ex ingenio interpretantes, mentientes factum, ſeu ſcripturam, ac referentes factum, vel Ius tamquàm certùm, ac clarum, quod tamèn eſt controuerſum, vel obſcurum, ac ſæpè etiàm manifeſtè contrarium, vel auctores dubiæ, ac etiàm nullius Fidei allegantes (ab Eminentiſſimo Baronio ex grauioribus Scriptoribus vindicantur nàm vnus Baronius, veluti alter adoleſcentulus Dauid, *in funda, & lapide* ſuorum *Annalium* contra hunc Goliath, & alios glorioſè decertat, & nobis vnum delegaſſe Baronium, ſeu indicaſſe, inimicos ſuperaſſe eſt. Sunt autem, qui carpuntur Papæ in primis: *S. Petrus* (vt innuit) an. 51. n. 39. 40. qui ſimulationem, non fidei defectum admiſit *S. Victor* an. 196. n. 4. *Liberius* an. 357. n. 46. *S. Stephanus* Papa, & Martyr, qui quam ſit [Petri firma Petra oſtendit contra Sanctum Cyprianum Martyrem, ac Epiſcopos Orientales, ac Occidentales in tot Concilijs congregatos, hiſce repugnans, hos pænis caſtigans, ac demum ipſe vnus extra Concilium definiens *non eſſe iterandum Baptiſma* an. 258. num. 15. 37. cui deindè acceſſit an. 348. n. 40. Concilium Cartaginenſe contrà Donatiſtas. *Vigilius* an. 547. num. 44. & an. 550. n. 1. &c. & an. 553. n. 223. &c. *Honorius* an. 680. n. 17. *Ioannes Vigeſimus Secundus* apud Odoricum an. 1334. n. 28. 34. mordetur & *Bonifacius Octauus*, qui ſubiectionem debitam Summo Pontifici ex præcitatis Sacræ Scripturæ Teſtibus declarat in Conſtitutione incipiente. *Vnam Sanctam*: nec nouam inducit obligationem. *Declaratio* enim *nihil ponit de nouo* (vt diximus) ſicuti declarauit etiam Clemens Quintus, quod declaratio Bonifacij Octaui non afferebat ampliorem obligationem; ſed veterem ex Sa-

Baron. an. 51 n. 39. 40.

Bon. VIII. extrauag. com. l. 1. tit. 8. de maior. Clem. V. ibid. l. 5. tit. 7. de Priu. c. meruit.

Sacris Scripturis exponebat; in reliquo abſque præiudicio Priuilegiorum, ac cæterorum Iurium, quæ neceſſariæ ſubiectioni non aduerſantur; hoc ſatis patet ex lectione vtriuſque Conſtitutionis. Nam *Iura Iuribus, Textum Textui, concordare debemus* (vt dixi pluriès cum pluribus); nec ſeorſim verba afferri, ac imperfecta adduci, vel torta ad proprium ingenij ſenſum debent (vt faciunt Nouatores); Vndè enaſcuntur hæreſes, ac ſchiſmata. Inſupèr contrà huiuſmodi Criminatores notandum eſt, quod Summi Eccleſiæ Romani Pontifices non ſempèr loquuntur definientes ex Cathedra (vt mox patebit, & quamuis ſapientiſſimè pro loco, tempore, ac rebus ritè ſe geſſerint, eos rectè loqui nolunt maligni (vt diximus alibi), vt eos carpere queant: nam.

XVII. Nouatores, vt Noui Scribæ, & Phariſæi obſeruant eos, vt capiant eos in ſermone, eoſque redarguere poſſint, magnificantes qualemcumque erroris ſpeciem, & eorumdem reſpuentes legitimam defenſionem. Sed non eſt iuſtus Iudex, qui criminis accuſationem audit: excuſationem verò audire contemnit; ſicuti ridiculus eſſet ille Magiſter, qui D. Thomæ Summam Theologiæ Diſcipulis explicans, priora tantummodò argumenta contraria proponeret; nec corpus Articuli, ac reſponſiones explicando, proſequeretur: ſicuti etiam, qui D. Auguſtini opera legeret, nec ad Retractationum libros ea corrigeret: non enim *poteſt iudicare de toto, qui totum non audit* (repetimus cum S. Bernardo) nec mirum ſit, ſi de Chriſti Vicarijs oblocuti ſunt, cum de ipſomet Chriſto non ſolùm obloquerentur; ſed etiam odio eum haberent; vndè ità eos Conſolatur Dominus Ieſus, *ſi odit vos mundus, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* S. Io. c. 15.

XVIII. Quam ſit vera ſuperior Baronij narratio, & Traditio ab eo allata: ſic etiam comprobatur: *Deus non eſt diſſenſionis Deus* (inquit Sanctus Paulus). Sed Scriptura Diuina Summi Pontificis infallibilitatem docet (vt patet ex dictis). Ergò Scripturæ non diſſentiet Traditio, quæ ſit à Deo, non à Sathana, cuiuſmodi eſt ſomniata Nouatorum Traditio. Ità eſt [decernit Sanctus Euſebius Papa]: *In Sede Apoſtolica extra maculam ſempèr* (nota) *eſt Catholica ſeruata Religio. Chriſtus enim dilexit eam* (confirmat Sanctus Paulus), *vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit Sancta, & Immaculata*; Quomodò autèm eſſet ſine macula, ſi Caput non materialitèr tantum, & vt homo priuatus; ſed reduplicatiuè vt Caput, & relatiuum ad totam Eccleſiam totiès maculatum fuiſſet? Capitis enim, ac oculi deformitas, cuiuſmodi eſt infidelitas,

S. P. Ephes. 1. c. 14.

Gratian. c. In ſede cau. 24. q. 1

S. P. Epheſ. c. 5.

Digitized by Google

totum Corpus deformat ; nàm pulchritudo reſultat ex proportionē
S.Mat. c.6. omnium partium , iuxtà etiàm illud Chriſti apud S.Matthæum : *Si occulus tuus fuerit ſimplex , totum corpus tuum lucidum erit ; ſi autèm oculus tuus nequam ; totum corpus tuum tenebroſum erit* . Ergò ſi macula non eſt in Corpòre Chriſti myſtico , macula nequè fuit in Capite , quod eſt potiſſima Pars . Ergò Papa ex Cathedra infallibilis eſt.

CAP. III.

De Summo Pontifice , eiuſque Romana Sede Prærogatiuæ Repetitæ.

Petri Dignitas , & Succeſſio in eà Summorum Pontificum.

I. FVndamentum Papalis Dignitatis eſt Dei Filius , *per quem omnia facta ſunt* , & qui *omnia portat verbo virtutis ſuæ* : Verbo enim Euangelij ſui Papatum inſtituit ad Fidelium regimen , ac bonum , eumdemque tuetur , ac conſeruat : nunc verò repetendum eſt in primis quod *Petrus* dupliciter conſiderari poteſt [vt ſuprà iàm diximus] ſcilicèt primò conſiderari poteſt , vt *Petrus tantùm* , ſeu vt eſt *Indiuiduum ſingulare , ac particulare ſuppoſitum* , corruptibile, ac mortale , quod proprio nomine dictum eſt *Simon* : Secundo modo conſideratur *Petrus* , quatenùs non eſt nomen perſonæ priuatæ , ac Indiuiduum ſingulare ; ſed quatenùs eſt nomen perſonæ publicæ, ac *Titulus dignitatis* : Nàm *Petrus* non eſt nomen impoſitum à Parentibus ; ſed cognomen impoſitum à Chriſto (vt
Act. Apoſt. c.10. innuit Angelus ad Cornelium) . Cùm autèm Chriſtus Petrum facit fundamentum Eccleſiæ : iuxtà illud : *Tu es Petrus*, &c. ac illi *Claues Regni Cælorum* tradit , non hoc facit ad Petrum tantùm , ſeu non affigit hoc priuilegium perſonæ ſingulari, ac Simoni, quatenùs homo priuatus eſt ; ſed facit hæc ad Petrum , quatenùs perſona publica eſt, Papalique Dignitate præfulget , quæ *Dignitas non moritur* , nèc deficit ; ſed remanet in Eccleſia , in Petri Succeſſoribus ;
Eccl.c.30. iuxtà illud Eccleſiaſtici ; *Mortuus eſt Pater , & quaſi non eſt mortuus . Similem enim reliquit ſibi poſt ſe* : & iuxtà illud Pſalmi ;
Pſal.44. *Pro Patribus tuis , nati ſunt tibi Filij : conſtitues eos Principes ſupèr om-*

Digitized by Google

omnem terram: Vndè S.Leo Papa prædicabat de ſeipſo Petri Succeſſore; *Cuius Dignitas in indigno hærede non deficit*: nèc gratis, ac ſinè fundamento huiuſmodi aſſeritur Succeſſio; ſed manifeſta ex Euangelio; nàm expediens fuit in Petri Pontificio Succeſſio; quæ ſic comprobari videtur; *Vbi vita perſonæ* in dignitate conſtitutæ non durat, quantùm dùrat res, proptèr quam eſt inſtituta; *ibi expedit Succeſſio in Dignitate*: patet: *nàm Finis neceſſaria facit ea quæ ſunt ad finem*: Papalis autèm Dignitas inſtituta eſt, vt ſit Eccleſiæ fundamentum. Ergò debet dari in ea Succeſſio. Sicut gignitur proles, ut diuturnitas nobis comparetur; (ait Imperator) ſic, vt daret Papatus, debet dari Succeſſor; & probatur ex D.Paulo ad Hebræos: *Alij plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere*: hoc eſt, cùm Moſaicum Sacerdotium duraret vſquè ad aduentum Meſſiæ, & homines non durarent; ideò neceſſaria fuit Succeſſio in Sacerdotio; ſed Apoſtolatus, ac Petri nominatim inſtitutus eſt proptèr Eccleſiam; Nàm Idem D.Paulus teſtatur Apoſtolos datos eſſe *in ædificationem Corporis Chriſti*, *donèc occurramus omnes in Vnitatem fidei*; in fine ſcilicèt mundi; & confirmatur ex his Chriſti verbis ad vndecim Apoſtolos dicentis: *Euntes docete*, &c. *Et ecce vobiſcum ſum* [nota] *omnibus diebus* [nota etiàm medium tempus] *vſquè ad conſumationem ſæculi* [nota]; non eſt autèm omnibus diebus cum ipſis in perſonis eorum proprijs, cum defuncti ſint. Ergò eſt cum ipſis in Succeſſoribus in Apoſtolatu: ergò expedit, & vera eſt Succeſſio in Dignitate; & multò magis in Petri Dignitate, ac vno Eccleſiæ Capite viſibili [vt patet etiàm ex Concilio Conſtantienſi). Ergò Petro, & Succeſſoribus datus eſt Papatus, & traditæ ſunt Claues Regni Cælorum: Non ſolùm verò hæc Dignitas eſt in Succeſſoribus Petri; ſed cùm ſit veluti fons, ac plenitudo Poteſtatis partim diffunditur in Epiſcopos, ac alios ab ipſo Papa; & ſic verum eſt, quod non Petrus tantùm [vt loquitur S.Auguſtinus]: ſed & Succeſſores: Itèm nèc Petrus tantùm, ſed & conſortes fiunt participes huiuſmodi Poteſtatis: Cùm igitùr dixit Ieſus Petro: *Tibi dàbo Claues*; Petro, hoc eſt, Eccleſiæ Capiti, ac Papæ locutus eſt; non Simoni, quatenùs Perſona priuata fuit, & vt alios etiàm vocaret in partem ſolicitudinis. Priuilegium autèm conceſſum Dignitati, eidemque affixum ad Succeſſores tranſit; ſic *Pontificium ligandi, atquè ſoluendi; & Claues* [vt diximus cum Canoniſtis, ac Legiſtis]: ſed Aliqui nihilominùs Papatum in Petro emori ſomniauerunt; Hinc Dignitatis Pontificiæ firmitas, ac perſeuerantia ſic magis illuſtratur.

S.Leo ſer. 2. Aſſump. ſua.

L.Liberorũ ff. de verb. ſign.

S.P. Heb. 7.

S.P. Epheſ. c.4.

S.Math. c. 28.

Conc.Conſtant.ar. 2. Hutz.

S.Auguſt. apud Gratian.cau. 24.q.1.c. quodcũq;

C.Quoniã. de off. del.

L.ſi funi. di ff. de legat.1.

L.Priuil. ff. de reg. Iur.

Papatus & Eccleſiæ Romanæ Duratio.

II. *Fundamentum debet permanere vſque dum perficiatur Domus, & donec ipſa Domus perſtat*: hoc patet. Nam ſine fundamento non ædificatur, & corruit ædificatio; ſed *Petri dignitas, eſt* S.Math.c. 16. *fundamentum Domus* Dei, quæ eſt Eccleſia. Ipſi enim dixit Ieſus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Ergò Petri dignitas debet permanere in ſucceſſoribus vſque dum perficiatur, ac durat ipſa Eccleſia. Sed Eccleſia perſeuerat vſque ad conſumationem ſæculi; vndè dixit Dominus, *Ecce vo-* S.Math.c. 28. *biſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Alias enim oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor* (ſub- S.Io.c.10. dit S.Ioannes). Ergò *Petri dignitas perſeuerat vſque ad conſuma-* S.P. Epheſ. c.4. *tionem ſæculi*; & confirmatur à D.Paulo ſcribente ad Epheſios ſic: S.P.Cor.1. c.15. *Ipſe* [Dominus] *dedit quoſdam Apoſtolos in ædificationem Corporis Chriſti, donèc occurramus omnes in vnitatem Fidei* (nota) & ad Corinthios ſcribit. *Oportet illum regnare, donèc ponat omnes* (nota) *inimicos ſub pedibus eius*, hoc eſt, donèc fiat vnum Ouile, & conſumetur Eccleſia Chriſti: ergò ſi durat Eccleſia Chriſti, durat, & Papatus. Eccleſia autèm Chriſti durat vſquè ad conſumationem ſæculi [vt diximus ſuprà]. Itèm Eccleſia Petri eſt Eccleſia Chriſti S.Math.c. 16. [vt dictum eſt ſuprà] & repeto: Nàm à Ieſu indictum eſt illi: *Tu es Petrus, & ſupèr hanc* (nota) *Petram ædificabo Eccleſiam meam* (nota). Ergò *Eccleſia Petri durat vſquè ad conſumationem ſæculi*; vt potè Eccleſia Chriſti eouſquè duratura. *Eccleſia Petri durat vſquè ad conſumationem ſæculi* (vt innuimus) ac patet ex dictis: ſed *Eccleſia Romana eſt Eccleſia Petri*: quæ itèm aſſertio patet ex dictis ſupra: ergò *Eccleſia Romana durat vſquè ad conſumationem ſæculi.* Prætereà Eccleſia Chriſti non duraret vſquè ad conſumationem ſæculi: niſi & Caput ſimul cum ea duraret: nàm ſinè capite moritur corpus, & ſinè fundamento corruit domus; ſed Papa eſt Caput Eccleſiæ, & fundamentum; ergò Papa durat vſquè ad conſumationem ſæculi ſimul cum ea: Itèm ſic diſſerimus: *Apoſtolatus* durat donèc S.P. Epheſ. c.5. *occurramus omnes in vnitatem Fidei* (vt inquit S.Paulus) hoc eſt donèc *fiat vnum ouile, & vnus Paſtor*: [vt diximus ſuprà]: ſed *Papatus eſt Apoſtolatus Petri*: [vt patet ex dictis ſuprà]. Ergò S Mat. c.8. Papatus durat, donèc occurramus omnes in vnitatem Fidei, *hoc eſt* S.Luc.c.22. *vſquè dum Fiat vnum ouile, & vnus Paſtor*. Papatui autèm datæ S.Io.c.21. S.Mat. c.8. ſunt Claues Regni Cælorum: *Fides indeficiens; Suprema* omnium

ouium

Digitized by Google

ouium *cura*. *Prima ligandi*, atquè *ſoluendi* Poteſtas (vt dictum eſt). Ergò hæc cum Papatu durant vſque ad conſumationem ſæculi, hoc eſt, donèc fiat *vnum ouile*, *&* *vnus Paſtor*.

Infallibilitas Eccleſiæ Vniuerſalis, & Papæ Firmitas.

III. Vniuerſalis Eccleſia eſt Congregatio omnium Fidelium, id eſt omnis vtriuſque ſexus Fidelis: quæ nunquàm poteſt falli, ac errare; & ſic probari poteſt; quamdiù aliquis Fidelis non fallitur, nèc errat, non poteſt dici, quod omnis Fidelis erret: nàm Propoſitio vniuerſalis regulatur iuxtà illud Principium: *Dici de omni, cùm nihil poteſt ſumi ſub ſubiecto, de quo non prædicetur prædicatum*: ſed aliqui Fideles à Chriſto ſucceſſiuè vſquè ad conſumationem ſæculi permanebunt in Fide: (vt probatum eſt n. 2.) ergò nunquàm Eccleſia Vniuerſalis errauit, vel errabit. Itèm *quandiù regnat veritas in hominibus non poteſt dici, quod omnes errent*: ſed Chriſtus veritas regnat vſquè ad conſumationem ſæculi [vt dictum eſt ſuprà n. 2.] & cum D. Paulo, quod oportet illum regnare, *donèc ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus eius*; & iterùm quod Chriſtus *poſuit quoſdam Doctores, donèc occurramus omnes in vnitatem* Fidei. Ergò illi Doctores veri à Chriſto veritate poſiti, veram habent Doctrinam. Ergò vſquè ad conſumationem ſæculi Vniuerſalis Eccleſia non poteſt errare: vt diſertè promiſit Chriſtus dicens quod, *Portæ Inferi non præualebunt aduerſùs eam*, quæ prædictio cùm ſit indiſtincta, ac indefinita promiſſio, ac propoſitio in fauorabilibus debet accipi pro vniuerſali, ac pro ſempèr, multò magis ex citatis locis D. Pauli. Ergò remanet, quod Eccleſia ſempèr ſit *Columna, & firmamentum* Veritatis (vt docet D. Paulus) & quod cùm ſempèr firma, vt Columna ſtet Veritas, tota nequit cadere in errorem; ſed hæc Papam, vti alterum Petrum audit, & colit. Ergò non errat in Summi Pontificis cultu. Ergò manet Succeſſio Papatus. Iterùm ſic repeto. *S. Math. c. 16.*

IV. Si Eccleſia perſeueratura eſt vſquè ad finem mundi, *nèc Portæ Inferi præualebunt aduerſùs eam*, non ſufficit, quod ſit ſimplex fundamentum eiuſdem; ſed debet eſſe firmum: nàm ideò Domus ad impetum pluuiæ, ventorum, ac fluminum non corruit: quià fundatur ſupèr firmam Petram (vt docuit ipſemet Chriſtus, & diximus). Ergò *Petri Dignitas debet eſſe firma*: Nàm ſi firmum non eſt fundamentum, tota nutabit Eccleſia, ſed non eſſet Petra firma in ſuſtinenda Eccleſia, ſi poſſet falli, ac deficere in Fide, docen- *S. Math. c. 16.* *S Mat. c. 7.*

Digitized by Google

S.P. Hebr. c.11. cendo errores pro Veritate. Nàm *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum* (docet Sanctus Paulus), quam Fidei firmitatem, ac Doctrinæ infallibilitatem, vt Petro impetraret, orauit Dominus [vti teſtatus eſt eidem dicens, & innuimus] *Ego rogaui pro te, ne deficiat Fides tua.* S. Luc. c. 22. Ergò infallibilis eſt in Fide dignitas Petri, ne tota corruat Domus Dei: ſic profitentur ex hiſce Euangelicis Radicibus Sancti Patres. Vlteriùs.

Romana Eccleſia veritas.

V. *Eccleſia vna, Sancta Catholica, & Apoſtolica eſt vera Dei Eccleſia*; hunc Articulum in Symbolo Niceno omnes profitemur, dicentes: *Credo Vnam, Sanctam, Eccleſiam, Catholicam, & Apoſtolicam*: ſed *Eccleſia Romana eſt Vna*; quia vna eſt Roma, & vna eſt Fides, *Sancta*; quia illi ineſt *Gratia* Sancti Spiritus plures ſanctificans; *Catholica*, quia vna eius Fides annunciatur in vniuerſo mundo eſt enim Catholicum, ſeu vniuerſale vnum in pluribus; *Apoſtolica*; quia ab Apoſtolis fundata: ſed Eccleſia Romana eſt huiuſmodi, & patet ex ſequentibus D. Pauli ad ipſoſmet Romanos, verbis ſcribentis. *Nos accepimus Gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum Fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, in quibus eſtis & Vos* (nota) *vocati Ieſu Chriſti omnibus, qui ſunt Romæ* (nota) S.P. Rom. c.1. Dilectis *Dei vocatis Sanctis* (nota). *Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia Fides veſtra* [nota] *annunciatur in vniuerſo* [nota] *mundo*. Ergò *Eccleſia Romana eſt vera Dei Eccleſia*. Vlteriùs argumentari *ad Hominem* ſic licebit contra Nouatores. *Non eſt credendum* [per vos] *niſi ſcripto verbo Sacra Scripturæ*; ſed de Eccleſia Romana reperitur ſcriptum verbum in Sacra Scriptura in citato loco D. Pauli; non autem de veſtra. Ergò credendum eſt Eccleſiæ Romanæ, non veſtræ: Demùm ſic probatur Eccleſiæ Romanæ prerogatiua: *qui prior eſt tempore, potior eſt Iure*, eſt legalis Regula, ac Canonicum Axioma; & Theologicum quoque eſt Sancti Vincentij Lirinenſis Dogma, quod *Antiquitas Nouitati præualet*. Nam bonum eſt prius malo; verum prius eſt falſo: ſed *Eccleſia Romana eſt prior tempore Eccleſia nouatorum*. Nam Romana Sanctorum Petri, & Pauli tempore fundata eſt [vt patet ex dictis] & Baronius ex grauiſſimis Scriptoribus per continuam ſucceſſionem Doctrinæ, ac Summorum Pontificum ab illo tempore in Annalibus demonſtrat. Nouatores autem præterito ſæculo cæperunt. Ergo *Eccleſia Romana potior eſt Iure*. Denique *quicquid definit Eccleſia vera*, *eſt*

Digitized by Google

eſt credendum. Nam ſi eſt vera, & verax, nec poteſt fallere, nec falli (vt dictum eſt). Sed *Eccleſia Romana eſt vera* (vt ſupra probatum eſt). Ergò *Quicquid definit Eccleſia Romana, eſt credendum*. Sed Romana agnoſcit in Papa Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem: ergò verè Papa eſt talis; ſecus Eccleſia erraret [contra ſuperiùs dicta].

Papales Tituli, ac Priuilegia Eccleſiæ Romanæ.

VI. Eccleſia, quæ eſt Corpus Chriſti ex Chriſto Capite, ac eius Vicario, ac reliquis membris adequatè conſtans, non eſſet verè *Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica, niſi* ineſſet ei Caput. *Vnum Sanctum, Catholicum, & Apoſtolicum*. Quia quæ deeſſent Capiti, deeſſent integro Corpori; ſed *Eccleſia Romana eſt Eccleſia una, Sancta, Catholica, Apoſtolica* [vt dictum eſt]. Ergò ineſt illi *Caput vnum, Sanctum, Catholicum, & Apoſtolicum*, ſic concludendum eſt cum Concilio Conſtantienſi dicente in primis quod, *Caput* Eccleſiæ eſt *Vnum*; in articulo damnato Ioannis Hutz 27. quod ſit *Sanctum*, in articulo 23. quod ſit *Catholicum*, in articulo 7. *Apoſtolicum* in articulo 37. Vvicleſ; ſed Papa eſt Caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ (vt declarauit Concilium Conſtantienſe in dicto articulo 7. Hutz: Ergò *Papa eſt Caput, Vnum, Sanctum, Catholicum, & Apoſtolicum*. Hiſce Titulis addenda ſunt, & ſimul repetenda Priuilegia Apoſtolicæ Sedis tot Sanctionibus, quæ *Dictatus Breues* appellantur, & à S.Gregorio Septimo in Concilio Romano recenſentur ſic.

Conſtant. ſeſſ.45.

Baron. an. 1076.n.31.

Quod Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.

Quod ſolus Romanus Pontifex iurè dicatur Vniuerſalis.

Quod ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.

Quod Legatus eius omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiàm inferioris gradus, & aduersùs eos ſententiam depoſitionis poſſit dare.

Quod abſentes Papa poſſit deponere.

Quod cum Excommunicatis ab illo, intèr cætera, nèc in eadem domo debemus permanere.

Quod illi ſoli licet pro temporis neceſſitate nouas leges condere, nouas plebes congregare de Canonica Abbatiam facere, & è contrà, diuitem Epiſcopatum diuidere, & inopes vnire.

Quod ſolus poſſit vti Imperatoribus inſignijs.

Quod ſolius Papa pedes omnes Principes deoſculentur.

Quod

Digitized by Google

Quod illius ſolius nomen in Eccleſijs recitetur.

Quod vnicum eſt nomen in mundo, Papæ videlicèt.

Quod illi liceat Imperatores deponere.

Quod illi liceat de Sede ad Sedem neceſſitate cogente Epiſcopos tranſmutare.

Quod de omni Eccleſia, quocumque voluerit, clericum valeat ordinare.

Quod ab illo ordinatus alij Eccleſiæ præeſſe poteſt; ſed non militare, & quod ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere.

Quod nulla Synodus abſquè præcepto eius debet Generalis vocari.

Quod nullum Capitulum, nulluſque liber Canonicus habeatur abſquè illius auctoritate.

Quod ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

Quod à nemine ipſe iudicari debeat.

Quod nullus audeat condemnare ad Apoſtolicam Sedem appellantem.

Quod maiores cauſæ cuiuſcumquè Eccleſiæ ad eum referri debeant.

Quod Romana Eccleſia numquàm errauit, nèc in perpetuum, Scriptura teſtante errabit.

Quod Romanus Pontifiex ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitantèr efficitur Sanctus, teſtante Sancto Ennodio Papienſi Epiſcopo, & multis Sanctis Patribus fauentibus, ſicut in decretis B. Symmachi Papæ continetur.

Quod illius præcepto, & licentia ſubiectis liceat accuſare.

Quod abſquè Synodali conuentu poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare.

Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.

Quod à fidelitate iniquorum ſubiectos poteſt abſoluere; Hactenùs Gregorius de priuilegijs Romani Pontificis, atquè Apoſtolicę Sedis. Quę omnia vni Petri cognomento impoſita à Ieſu Chriſto Simoni Bar Iona, ac Poteſtati traditę eidem, hiſce verbis: *Tu es Petrus, & ſupèr hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Quodcumque* (nota vniuerſalitatem rerum) *ligaueris ſupèr terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſupèr terram, erit ſolutum, & in Cælis*; inniti videntur.

S. Math. c. 16.

Pa-

Papæ Obedientia debita.

VII. *Non decet* [inquit Sanctus Calixtus Papa & Martyr] *à Capite membra diſcedere ; ſed iuxta Sacræ Scripturæ teſtimonium omnia membra caput ſequantur.* Romanus autem Pontifex Eccleſiæ Caput eſt. Ergò cæteri veluti corporis membra eum ſequi debent. Nam ſi credendum eſt Eccleſiæ Romanæ, vtpotè vni Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ [vt fatemur] audiendus quoque eſt Romanus Pontifex, qui eſt Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ. Nam *ille vnus ſupra omnes audiendus eſt Magiſter, in his præcipuè, quæ ſpectant ad æternam ſalutem, qui eſt vnus, ac immediatus Vicarius Chriſti Vnici Magiſtri, ac Saluatoris noſtri.* Ipſe enim mandauit: *euntes docete: qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: ſed Petrus, ac Papa Petri ſucceſſor eſt vnus, ac Immediatus Vicarius Chriſti Vnici Magiſtri, ac Saluatoris noſtri.* Hæc enim propoſitio eſt notoria, & profitetur hanc Conſtantienſe Concilium condemnans articulum 37. Vviclef, & 7. ac. 27. Hutz. Ergo *Petrus, vel Petri Succeſſor vnus ſupra omnes audiendus eſt Magiſter, in his præcipuè, quæ ſpectant ad æternam ſalutem.* Iterùm ſic differere liceat. *Qui eſt Caput Vnum, ac Supremum Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ pro Chriſto, eſt omnibus Fidelibus obaudiendus, quoad Fidei Chriſtianæ Dogmata, ac præcepta morum:* Nam proteſtatur Ipſemet Chriſtus: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit;* & S. Paulus [vt ſępiùs diximus] præcipit; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; & obedite Præpoſitis veſtris.* Sed Petrus, ac Petri Succeſſor eſt Caput vnum, ac Supremum Eccleſię Sanctę Catholicę pro Chriſto [vt centiès dictum eſt etiàm ex Concilio Conſtantienſi in condemnatis articulis Vuiclef 37. 41. & Hutz 7. & 27.] & patet clariùs ex interrogatorio 24. eiuſdem Concilij Seſs. 45. Interrogetur [ait] *Vtrùm credat, quod Papa canonicè electus, qui tempore fuerit eius nomine proprio expreſſo, ſit Succeſſor Beati Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei.* Ergò *Petrus, ac Petri Succeſſor Papa eſt omnibus Fidelibus obaudiendus, quo ad Fidei Dogmata, ac præcepta morum.* Iterùm.

S. Calixt. diſt. 12. c. non decet.

S. Math. c. 28.
S. Luc. c. 10

Conſtant. ſeſſ. 45.

S. Luc. c. 10.

Supremum Papæ Magiſterium.

VIII. Vbi vnus eſt Magiſter in Schola alicuius Doctrinæ; cæteri ſunt Diſcipuli: (patet) ſed in Schola Chriſtianæ Doctrinæ vnus *S. Math. c. 23.* eſt Magiſter, vt monet ipſemet Dei Filius: *Nec vocemini*, ait, *Magiſtri: quià Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*. Vbi verò vnus eſt Magiſter verax, vna eſt vera doctrina. Nàm Veritas vna eſt. Ergò verax Magiſter vnam veram fouet doctrinam: ſed in Schola Chriſti vnus eſt Magiſter verax Petrus, ac Petri Succeſſor: quià vnus eſt vnius veracis Magiſtri immediatus Vicarius, per cuius *os elegit Deus audire Gentes Verbum Euangelij, ac credere*; vt teſtantur Apoſtolorum Acta. *Act. c. 15.* Ergò vna eſt doctrina vera Petri, ac Succeſſoris. Vbi autèm eſt vna doctrina, ſi Magiſter, & Diſcipulus aſſerant contraria; falſa erit Diſcipuli aſſertio, Magiſtri autèm vera: Nàm *non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum*: *S. Math. c. 10.* & cùm ſit vera Magiſtri Doctrina, Diſcipuli contraria, neceſſariò erit falſa; ſed hodiè *Baron. an. 1085. n. 5.* in Schola Chriſtiana Magiſter, & Diſcipulus ſæpè docent contraria. Ergò Diſcipuli erit falſa aſſertio, Magiſtri autèm vera Propoſitio: Confirmatur hoc ſyllogiſmo ex S.Ioanne ſic deducto; *Qui audit Apoſtolos, ac Succeſſores Apoſtolorum, nouit Deum, & ſectatur veritatem; qui verò non audit, non eſt ex Deo, & ſectatur errorem*. *S. Io. ep. 1. c. 1.* Nàm *qui nouit Deum, audit* (inquit S.Ioannes Apoſtolus) *nos, qui non ex Deo eſt, non audit nos: in hoc* (nota) *cognoſcimus ſpiritum veritatis, & erroris*: Sed *Papa eſt Petrus* Apoſtolus *in poteſtate*, vt dictum eſt multotiès. Ergò *qui audit Papam, nouit Deum, & ſectatur veritatem, qui verò non audit, non eſt ex Deo, & ſectatur errorem*: Caueant ergò Recentiores, qui Magiſtri vocari gaudent, & qui vt Magiſtros fermè infallibiles ſe venditant contrà vnum, ac infallibilem Romanæ Cathedræ Magiſtrum. Caueant nè oretenùs, ac palàm ſe profiteantur Diſcipulos; factis autèm, ac ad aures ſe Magiſtros iactent, & excogitata Papalis declarationis, vel Decretorum interpretatiuncula ad colorem, ne videantur Sole Clariorem Poteſtatem Papæ deſpicere, reuerà tamen Papalia Decreta paruifaciant: quia in Schola Chriſti, & Veritas, & ſimplicitas ſunt primaria rudimenta. Deindè videant quod.

IX. *Qui ſpernit Papam, ſpernit Deum*; Ipſe enim ait & (repetimus) *qui vos ſpernit, me ſpernit*: ſed qui Sacros Canones, Pontificias Conſtitutiones, ac Decretalis ſpernit, ſpernit Papam. Sunt *Conc. Conſt. art. 35. Vuiclef.* enim verba, ac eius voces, & æſtimandæ, vt decernit Concilium Conſtantienſe. Ergò ſpernit Deum. Hæretici quidem apertè ſpernunt;

Digitized by Google

nunt; Catholici verò occultè, & fortè pernicioſiùs, nec ipſi videntur fortaſſe ſpernere Papam. Prætendunt enim ſibi vmbras aliquas Canonum, non tamen habent rationis fundamenta (& vt loquar cum Diuo Bernardo); *ò friuolum remedium, quod non eſt aliud, niſi more protoplaſtorum cauteriatis conſcientÿs texere perizomata, videlicèt ad velamentum, non medicamentum. Vitia palliant virtutum nominibus, multa videri volumus velle; ſed nolumus*. Cum Seneca fateri iure poſſent; ſed de his ſupra. Sin autem dicitis, quod non ſpernitis; quarè ergò non obtemperatis, audiendo ex animo, & in ſimplicitate cordis Pontificia Decreta; obaudiendo etiam eiuſdem declarationi? quarè excogitatis interpretationibus, limitationibus, ac ſimilibus adinuentionibus, ità Pontificia Decreta eneruantur, vt ad praxim parum deducantur? etenim Fideles ne grauentur obligationibus, conſulunt Doctores de editis à Summo Pontifice Decretis, & hi Doctores, vel quia innituntur prudentiæ ſuæ, vel quia hominibus placere concupiſcunt, aliquam excogitant excuſationem in præcepto, quo pretextu Fideles ſe tutos æſtimant dicentes. *Conſului Theologum, & Ipſe dixit*, me non obligari, & ſic pergo ſecurus, & glorior me non peccare: nam *qui ſequitur opinionem probabilem, prudentèr agit: nec peccat, & tuta eſt eius Conſcientia*. Verùm monet D. Paulus: *Vnuſquiſque videat, quomodò ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quam poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Nemo itaque glorietur in hominibus*(nota): ſed meminerit quod Ipſe Chriſtus *lapis angularis*, non aliam Petram ſtatuit immediatè ſibi fundamentum Eccleſiæ, quam Petrum (vt patet ex ſuperioribus); ſi ergò Chriſto inhærere Summo lapidi angulari cupit, innitatur ſecundæ Petræ poſt Chriſtum, ſcilicèt Pontificiæ authoritati.

S. Bern. ep. 7. a. 9.
Sen. ep. 95.
Par. 3. c. 8.
S. P. Cor. 1. c. 3.

CAP. IV.

Sanctorum, ac Doctorum ſententiæ pro Papæ Dignitate, ac Prærogatiuis.

I. VNiuerſa PſeudoTheologiæ Moralis Radix ferè eſt: quia plures volunt fieri Magiſtri, & vnum, ac Apoſtolicum negligunt audire Doctorem: hac de cauſa Sanctorum, ac Doctorum placita repetimus, vt quotidie magis Summi Pontificis exaudiatur vox, & ſic *fiat vnum Ouile, & vnus Paſtor*, nec ſint in nobis Do- S. Ioa. c. 10.

Digitized by Google

ctrinæ Schiſmata. Inter hos Sanctos Patres citantur aliqui Summi Pontifices, quorum Sanctitas, ac proprij ſanguinis effuſio pro veritate omnem falſitatis pro vanitate ſuſpicionem abolet; eo magis, quo eorum Dogmata veluti flores ex præcedentibus Sacræ Scripturæ Radicibus exoriuntur.

Grat. diſt. 11. c. Palã.

II. S. Auguſtinus (ait): *Palam eſt, quod in re dubia ad fidem valeat authoritas Eccleſiæ Catholicæ, quæ ab ipſis fundatiſſimis Sedibus Apoſtolorum vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.*

S. Innoc. I. ann. 317. c. quis diſt. 11.

III. S. Innocentius Papa. *Quis neſciat* (inquit), *aut non aduertat id, quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari? Nec ſuper induci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat; aut aliunde accipere videatur exemplum.*

S. Cal. an. 226. c. non decet diſt. 11.

IV. S. Calixtus Papa, & Martyr (ait) *Non decet à Capite membra diſcedere; ſed iuxta Sacræ Scripturæ teſtimonium, omnia membra Caput ſequantur. Nulli verò dubium eſt, quod Apoſtolica Eccleſia Mater eſt omnium Eccleſiarum, à cuius vos regulis, nullatenus conuenit deuiare. Et ſicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris, ſic & vos voluntatem veſtræ impleatis Matris, quæ eſt Eccleſia. Cuius caput [vt prædictum eſt] Romana exiſtit Eccleſia.*

S. Greg. an. 483. c. Præceptis diſt. 11.

V. Sanctus Gregorius Papa. *Præceptis Apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur. Sed per obedientiam, quæ à Sancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica auctoritate iuſſa ſunt, ſalutiferè impleantur; ſi eiuſdem Sanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt Caput veſtrum, communionem habere deſideratis;* & poſt multa. *Non nouum aliquid, præſenti iuſſione præcipimus; ſed illa, quæ olim videntur indulta firmamus. Cum nulli dubium ſit, quod non ſolum Pontificalis cauſatio; ſed omnis Sanctæ religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad Caput Eccleſiarum debeat referri, & indè normam ſumere, vndè ſumpſit exordium, ne Caput inſtitutionis videatur omittere. Cuius auctoritatis ſanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apoſtolicæ Petræ, ſuper quam Chriſtus vniuerſalem fundauit Eccleſiam, ſoliditate diuelli. Si quis hæc Apoſtolicæ Sedis præcepta non obſeruaſſet, percepti honoris eſſe hoſtis non dubitetur.*

Gratian. Can. 24. q. 1. c. non turbatur.

VI. S. Ambroſius. *Et ſi alijs imperatur, vt laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur* (Duc in altum) *hoc eſt in profundum diſputationum. Quod enim tam altum, quam altitudinem diuitiarum videre, ſcire Dei Filium, & profeſſionem Diuinæ generationis aſſumere, quam licet mens nequeat humana plenè rationis inueſtigatione comprehendere, Fidei tamen plenitudo complectitur.*

Idem

Digitized by Google

Idem S.Ambroſius. *Eſt aliud Apoſtolicum piſcandi genus, quo genere ſolum Petrum piſcari Dominus iubet, dicens.* Mitte hamum, & eum piſcem, qui prius aſcenderit, tolle.

VII. S.Sixtus II. *Memor ſum* (ait) *me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius à Domino Ieſu Chriſto eſt Confeſſio glorificata: & cuius fides nullam hæreſim vnquam fouet; ſed omnes quidem hæreſes deſtruit. Intelligo autem mihi aliter non licere, quam, ut omnes conatus meos ei cauſæ, in qua uniuerſalis Eccleſiæ ſalus infeſtatur, impendam.* Apud Grat.cau. 24.q.1.c. memor.an. 261.

VIII. S.Euſebius Papa. *In Sede Apoſtolica extra maculam ſempèr eſt Catholica ſeruata religio* [nota]. De qua Fidei integritate, ac conſtantia gloriabatur etiam Sanctus Gregorius Septimus, apud Baronium. Apud Gratian.cau. 24.q.1.c.in Sede an. 311. Baron. an. 1080.n.74.

IX. Sanctus Hieronymus dicit. *Hæc eſt Fides, Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſempèr tenuimus, & tenemus, in qua ſi minus per te, aut parum cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus, à te qui Petri, & fidem, & ſedem tenes: ſin autem hæc noſtra Confeſſio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit. Item: Sancta Romana Eccleſia, quæ ſempèr immaculata manſit* (nota) *& Domino prouidente, & Beato Petro Apoſtolo opem ferente, in futuro manebit, ſine vlla Hæreticorum inſultatione, firma, & immobilis omni tempore perſiſtet* (nota). Grat. cau. 24 q.1.c. Hæc eſt.

X. Marcellus Papa. *Rogamus vos fratres, vt non aliud doceatis, nequè ſentiatis, quàm quod à Beato Petro Apoſtolo, & reliquis Apoſtolis, & Patribus accepiſtis. Ab ipſo enim primo inſtructi eſtis. Ideò non oportet vos proprium derelinquere Patrem* (nota) *& alios ſequi. Ipſe enim Caput eſt totius Eccleſiæ: cui ait Dominus* (Tu es Petrus, & ſupèr hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.) *eius enim ſedes primitùs ad vos fuit, quæ poſteà iubente Domino Romam tranſlata eſt; cui adminiculante gratia Diuina hodierna præſidemus Die, nèc ab eius diſpoſitione vos deuiare oportet: ad quam cuncta maiora Eccleſiaſtica negotia, Diuina diſponente gratia, iuſſa ſunt, referri: vt ab ea regularitèr diſponantur, à qua ſumpſere principia. Si verò veſtra Antiochena, quæ olim prima erat, Romæ ceſſit Sedi, nulla eſt, quæ eius non ſit ſubiecta ditioni.* Grat. cau. 24 q.1.c. Rogamus.

XI. Seraphicus S.Franciſcus idcircò ſic Fratribus iubet: *Mater Omnium Eccleſiarum, Fratres, eſt Romana, & Domina eſt Religionum. Per obedientiam iniungo Miniſtris, vt petant à Domino Papa vnum de Sancta Romana Eccleſia Cardinalibus, qui ſit Guber-* S.Franc. opuſ.10.3. collat.10.

bernator, Protector, & Corrector huius Fraternitatis: vt ſempèr ſubditi, & ſubiecti pedibus eiuſdem Sanctæ Eccleſiæ, ſtabiles in Fide Catholica (nota) *paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quod firmitèr promiſimus, obſeruemus*. Tandèm.

Car. Theo. fund. n. 568. XII. Doctiſſimus Caramuel cum alijs Doctiſſimis abſoluet hoc Caput, dicens, in Fundamento quarto *De Summi Pontificis veritate* in ſua Theologia Fundamentali: *Pontifex* (ait) *cùm loquitur ex Cathedra, hoc eſt, vt Caput Eccleſiæ, & toti Eccleſiæ, errare non poteſt: cùm loquitur, vt homo priuatus, tametſi errare poſſit, ſoleatque, eius ſententiæ ſunt auctoritatis eximiæ quandiù eſſe falſas non monſtratur.*

Prior huius fundamentalis propoſitionis pars coincidit cum antecedente; quæcumque enim à Pontifice ex Cathedra ſunt definita, credendaque toti Orbi Chriſtiano propoſita, dicuntur definita ab Eccleſia.

XIII. *Sed quid eſt loqui Pontificem ex Cathedra? An idem, quod loqui in Generali Synodo? Annè extrà Generale Concilium habet definiendi Articulos Fidei poteſtatem? Negabant Louanij nonnulli qui cenſebantur docti, vt meliore colore reicerent Vrbani Octaui Bullam, quæ Doctrinam Cornelij Ianſenij condemnabat. Conſului Salmaticenſes meos, & recepi ſingularum poſitionum cenſuras; ſed quià quæ in Ianſenio carpuntur, multæ ſunt, nèc omnes huc ſpectantes, ponam vnam, quæ poterit noſtro intento prodeſſe.*

XIV. *Quæſtio erat;* An Summus Pontifex extrà Concilium ſit Magiſter Eccleſiæ? *An poſſit condemnare aliquam propoſitionem, vel aliam, vt Fidei Dogma tradere? quam Salmaticenſes ſic reſoluunt.*

XV. *Dico tàm conſtans eſſe intèr Catholicos hæc omnia poſſe Pontificem Romanum extrà Concilium, eumque Eccleſiæ Vniuerſalem Doctorem, & Magiſtrum Eccleſiæ eſſe, vt certa fide id tenendum dicat Suarez:* De fide diſp. 5. Sect. 8. n. 4. *Idque Communis Fidelium Doctorum conſenſus probat, dum ea omnia, quæ à Pontificibus extrà Concilium Eccleſiæ credenda proponuntur, certa Fide credenda Fidelibus proponunt, & prædicant.*

F: Alphonſus Perez.

Subſcripſit Salmaticæ in Sancti Bernardi Collegio die 20. Maij anno 1642.

F. Angelus Maurique.

Et eodem loco, die, menſe, & anno.

F. Petrus Ouiedo.

Et

Digitized by Google

Et in Veræ Crucis Collegio Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Ciuitatis Salmaticenſis Die 21. Maij anno 1642.

F.Petrus Merino.

Et in eodem Colegio Veræ Crucis poſt ridiè.

F.Gaſpar Delos Reyes.

Et in Salmaticenſi conuentu S.Auguſtini die 22. eiuſdem menſis ſubſcripſerunt.

F.Ioannes De Anguilar.
F.Gaſpar de Ouiedo.

Et in eadem Vniuerſitate, in Conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis Die 24. Maij eodem Anno.

F. Antonius De Ledeſma.
F.Ioſephus Romanus.

Et ibidem in Collegio Societatis Ieſu Die 26. eiuſdem menſis eamdem reſolutionem ſua ſubſcriptione firmarunt.

Ildephonſus Del Cauo, & Martinus De Eſparza.

Et ex Doctoribus Sæcularibus conſultus fuit, ſubſcripſitque etiam Salmanticæ Die 18. Menſis Iunij eodem Anno 1642.

Magiſter D.Ioann.Ioaniz De Echalaz.

XVI. *Cùm igitùr Salmaticenſis Vniuerſitas eximia ſit, & in ea Summi duodecim iſti Doctores, & Theologi, qui nomina ſubſcripſerunt, quorum plerique mihi ſunt benè noti, & intèr ſummantes Militantis Eccleſiæ numerandi, cùmque rationes, quas formare pro hac veritate ſoleo, non videam efficacitèr ſolui, Suarez, & illis conſentio, & ſi quid in meis vmquàm operibus Sanctiſſimo Domino Noſtro delere, aut immutare viſum, me hac manu deleturum, & immutaturum religiosè, & ſincerè polliceor: & meum nomen ſubſcribo; Pragæ in Cæſareo Montiſſerrati Monaſterio pridiè Solemnitatem Paſcatis Anno 1650.*

Caramuel.

Eidem, eademque animi ſubmiſſione, etſi magno cum Doctrinæ diſcrimine meum quoquè ſubſcribo nomen.

H. P. Braid.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.

De Pontificia Auctoritate ſuprà Doctores.

I. EVgenius Papa Quartus, pro Eccleſiæ bono, Generale Concilium indixit, ac conuocauit in Ciuitate Baſileæ, quod deindè dignis de cauſis ipſemet diſſoluit, ac reuocauit. Verùm Patres ibidèm congregati reuocationi abnuerunt, iactantes Concilium præualere Romano Pontifici: vndè ortum eſt Schiſma: quidam enim clamabant: *Concilium: Concilium*. Alij verò *Papa: Papa*. Sed ea priores proceſſerunt; vt creauerint alterum Papam; imò Antipapam, quem Fælicem infęlicitèr appellauerunt: vt refert Odoricus in proſecutione Annalium Baronij, & Pius Secundus in Bulla Retractationis, quibus potuiſſet iterùm repetere Moyſes: *Multùm erigimini Filij Leui*: qui non contenti Sacerdotali ſorte, Summi Sacerdotis vobis vindicare videmini auctoritatem.

Oderic an. 1432. n. B. & an. 1439 n. 33. c. 16.

II. Sic videtur quodammodò contingere etiàm noſtris hiſce temporibus: Nàm Summus Pontifex pro bono Fidelium vocat doctos; eiſque interpretandi Diuinas, Pontificiaſque leges, facultatem impertitur; eorumque Conſilia Fidelibus ſectanda proponit: At hi data ſibi facultate adcò inflantur, vt Pontificijs multiformitèr refragrantes Declarationibus, extollant ſuas, ac ſuorum Doctorum ſententias, & Auctorum opiniones efferant vſquè ad ſydera, & tamquàm luminaria magna ab vniuerſo terrarum orbe ea ſuſpici velint: *Noſtri Doctoresità ſentiunt*: *vel contrarium docent*: *ipſi Doctiſſimi ſunt*, *ac Theologiæ lumina*; ipſis *credendum eſt*; *Totus enim mundus poſt eos abit*; ità iactant Recentiores. Alij verò (neſcio quot) ſincero, ac humilitatis ſpiritu profitentur *Papæ* audire *Decreta*, ac Doctrinam: Moderni autèm Caſiſtæ hìc non ſiſtunt; ſed eò procedunt, vt alium Papam, è cuius ore pendeant, & cuius opiniones quaſi oracula obaudiant, creare videantur [vt innuimus nupèr], & ſic reipſa contrà legitimum Summum Pontificem Schiſma eſſe videtur; eò pernicioſius, quò occultius ipſiſmet ferè aſſeclis. Quamobrèm hæc ponderantur.

III. Doctor, qui in Chriſti Eccleſia erudiendi fulget honore, vt ipſe deindè fulgeat in perpetuam æternitatem (vt promittit Daniel); vel à ſeipſo ſumit ſibi honorem; vel à Deo immediatè; vel *Dan. c. 12.*

ab

ab eius Vicario in terris; Si à ſeipſo ſibi ſumit honorem docendi; aduerſatur Diuo Paulo prædicanti, quod *Nemo ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo tamquàm Aaron*; ſi autèm à Deo immediatè accepit: oſtendere oportet *ſigna vocationis, & Apoſtolatus ſui*: vti D. Paulus Corinthijs oſtendit. *Mortale enim eſt omnibus* (ait S. Ambroſius); *vt qui fidem exigunt, fidem aſtruant*: & hac ratione refelluntur Pſeudo Apoſtoli Lutherus, & Caluinus: ſin autèm à Dei Vicario in terris mittitur ad docendum. Ergò Chriſti Vicarius eſt Magiſter (eſt enim Doctor Iuſtitiæ prædictus à Ioele Propheta) & Doctor ab eo miſſus Diſcipulus eſt: ſed in Schola Chriſti, *non eſt Diſcipulus ſupèr Magiſtrum*. *Quid babes ergò* [diceret Diuus Paulus] *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ne dicas igitur *in ſapientia mea intellexi*: monet Iſaias. Nec imiteris Euphemium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui cum ſibi videretur Sacrorum Dogmatum eſſe Magiſter à Romano Magiſtro Gelaſio doceri renuit, quem idcircò ſpreuit: vt dicit Baronius. Cuius temeritas ſic etiam elucet.

S. P. Hebr. c. 5.
S. P. Cor. 2. c. 12.
S. Ambr. l. 2. c. 1.
Ioel. c. 2.
S. Luc. 6.
S. P. Cor. 1. c. 4.
Iſa. c. 10.
Baron. an. 492. n. 24.

IV. *Vos eſtis lux mundi*: dixit Ieſus Apoſtolis ſuis, & præ ceteris Petro Apoſtolorum Principi: quamobrèm ſicut Luna à Sole lumen recipit: ſic & cæteri à Petro veritatis lumen hauriunt; ipſi enim reuelauit Pater, & ex reuelatione ſibi ſingillatim facta, & ipſe Petrus dixit. *Tu es Chriſtus Fili Dei viui*; & huius figura eſſe videtur participatio ſpiritus Moyſis ſeptuaginta ſenibus, ac Magiſtris Populi: vti dicitur *in lib. numerorum*; ſed dato, & non conceſſo, quod veritas hæc non foret ſatis clara; ſcilicèt; quod Papa ſit Magiſter, & Iudex ſupremus, & quod inter Papam, ac Recentiores Theologos adhuc lis ſub Iudice ſit: Papa enim dicit cum Dauid: *Venite Filij, audite me, timorem Domini docebo vos*; Caſiſtæ verò prædicant, *ſequimini nos*. *Nos enim Sapientes ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt*: iactant apud Ieremiam: quis Iudex erit? Nullus horum pro nunc ſit; ſed Deus ipſe Iudex eſtò; eiuſque definitioni ſtent cuncti: en autem Dei ſententia. *Facies quodcumque dixerint, qui præſunt* (ideſt Summus Pontifex, exponit Lyranus) *loco, quem elegerit Dominus, & docuerit te iuxtà legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad Dexteram, neque ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex Decreto Iudicis, morietur homo ille*: ſic publicat Moyſes ex ore Dei; ſed adhùc apertiùs in Euangelio ſuprema Petri Auctoritas eluceſcit, dum Filius ipſemet Dei teſtatus eſt Simoni Bar Iona. *Tu* (nota) *es Petrus, & ſupèr hanc Petram* (nota) *ædificabo Eccleſiam meam*. Ergò ſuper Cathe-

S. Math. c. 16.
Num. c. 11.
Pſal. 33.
Ier. c. 8.
Deut. c. 17.
Lyran. ib.
Deut. c. 17.
S. Math. c. 16.

dram Petri, ac Succeſſoris fundantur vniuerſa Fidelium Dogmata, ac Documenta: non ſuper vana aliquorum commenta.

S.Io.c.2 1. Ier.c 3. V. Item dixit Ieſus Petro. *Petre amas me? Paſce oues meas*: vti promiſerat per Ieremiam, dicens: *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia* [ideſt *Fide certa*: exponit Lyranus] *& doctrina; ideſt, moribus Sanctis* (exponit Idem.) Ergò Petri eſt, eiuſque Succeſſoris paſcere Fideles verbo veritatis. *Cibus enim mentis eſt ſermo Dei* (inquit Sanctus Gregorius Papa.) Denique Chriſtus dixit Petro. *Ego rogaui pro te* (nota ſingularem Orationem pro vno Petro) *ne deficiat* [nota etiam infallibilitatem Doctrinæ Petri] *Fides tua*. Fides autem, vt Radix continet ſtipitem, ramos, & fructus; & vt ſubſtantia ſuſtinet, ac ipſi inhærent cęteræ virtutes, quæ ipſi accedunt: *& tù aliquandò conuerſus confirma Fratres tuos*. Vel igitur Caſiſtæ ſunt Fratres in fide, & debent à Petro confirmari; vel ſi non ſunt Fratres, forent Apoſtatæ. Hæc eſt Dei ſententia, huic acquieſcamus. Nam *diuina eſt authoritas* (ait S.Leo Papa), *cui credimus*: *Diuina eſt Doctrina, quam ſequimur*. Deus autem, cum ſit Summè Sapiens, non poteſt falli, & cum ſit ſummè bonus, non poteſt fallere. Ergò *qui ſequitur me* [ait Ieſus Dei Filius] *non ambulat in tenebris; ſed habebit lumen vitæ*, ſed qui ſectatur Papam, ſequitur Deum; cuius Vicarius eſt in terris. Vndè dixit. *Qui vos audit, me audit*; multò magis qui audit Petrum, audit Deum. Ergò qui ſequitur Papam, non ambulat in tenebris; ſed habebit lumen vitæ. De Modernis autem Theologis ſic habemus.

S.Greg. ho 15.in Eu. S Luc.c.21 S.P. lib. c.11. S.Leo ſer. 7.de nat. Dom. S.Ioa.c.8. S.Luc.c.10

Num.c.15. VI. Dixit Dominus ad Moyſen. *Loquere Filijs Iſrael, vt recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas* (nota). *Dominus enim ſcit cogitationes hominum: quoniam vanæ ſunt* (ait Dauid), & cogitationibus vanis reſpondent, & verba mendacia. Hinc *mendaces Filij hominum in ſtateris; vt decipiant in vanitate in idipſum*: mendaces in ſtateris Iudicij, vndè decipiuntur, & decipiunt, nolentes omnia ponderare ad pondus Sanctuarij Dei. *Cæcum* enim eſt *Genus humanum* (ait Sanctus Gregorius Papa) *& prauum eſt cor hominis*: [ait Ieremias]; ſi prauum eſt cor; minus rectas opiniones fouebit: ſi turbidus eſt fons, limpidus minimè erit riuulus: *ſi radix ſancta, & rami* [dixit Sanctus Paulus], ſin autem *Radix mala*, malus erit & ramus. *Non enim poteſt Arbor mala, bonos fructus facere*: qui autèm ſequitur Cæcum, & prauum Ductorem, offendet. Nam *ſi cæcus cæco Ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt*. Ergò qui ſequitur horum opiniones imprudens eſt, & offendet: ſed dicet Caſiſta Recentior.

Pſal 93. Pſal.61. S.Greg. ho. 2.in Eu. Ier.c.17. S.P.Rom. c.11. S.Math c.7 S.Math. c.15.

VII. Do-

Digitized by Google

VII. Doctrina mea, non eſt mea; ſed eius qui miſit me Cætus nimirùm Theologorum, qui Papali fretus eſt Auctoritate, & Priuilegio. Ergò non eſt opinio vana, nec mendax eſt ſtylus meus, nec *Cæci ſumus, & Duces cæcorum*. Innitimur enim ſolidis fundamentis, ac videmus oculis plurimorum; nimirum inhæret noſtra ſententia *communi Doctorum opinioni. Nonne ergò prudentèr ambulamus, & nobiſcum, qui ſequitur opinionem probabilem, prudentèr ambulat?* At contra: in primis animaduertendum eſt, quod Papa indulget facultatem laureandi Doctos, non decorandi laurea indoctos, & inſupèr Doctoribus indulget facultatem interpretandi leges latas, ex legibus, non condendi nouas ex arbitrio. Deindè reſponderi poteſt: quod non eſt *Communis opinio*, cui plures diſſentiant; deindè reſponderet vniuerſa Philoſophorum Schola cum Ariſtotele, hæc eſt *petitio Principij* probare opinionem opinione. Inſupèr reſponderet Lyranus: *à veritate vacuos ſe profeſſi ſunt, qui multitudine ſe armauerunt.* (Item: Cauete) dicit Ariſtoteles) ne decipiamini voluptate placendi hominibus, & vocari ab eis Doctores, & Theologi. Nam *multitudo ob voluptatem decipi videtur*. Non decipimur [aiunt]; quia noſtræ & Doctorum noſtrorum opiniones firmis inhærent fundamentis. Gaudeo valdè: ſed quæſo indicate? Si fundamenta ſunt *Iura Canonica*. Ergò veſtra authoritas authoritati Papæ innititur. Ergò ipſe multò magis eſt obaudiendus. Nam: *Proptèr quod vnum quodque tale, & illud magis*. Cur ergò totiès à Pontificis Decretis diſcrepatis? & ſæpiùs Sacris Canonibus Doctorum opiniones præfertis? Vel excogitatis artibus, ac ſubtilitatibus Pontificum voluntatem eluditis, ac fruſtramini? Si *ratio naturalis* allegatur: ſed Philoſophi, huius rationis idonei Teſtes, præſertim Seneca, Cicero, Ariſtoteles, Plato, & Imperator (qui & ipſe in ſuis legibus veram Philoſophiam profitetur) contrarij ſunt vobis (vt dictum eſt ſupra præſertim Plato de ſequenda Probabiliore): ſi *Sacra Scriptura*, ac Sancti Patres citantur: at ex Superioribus conſtat potiùs ipſam, ac ipſos veſtris repugnare ſenſibus. Ergò Recentiorum opiniones ſunt veluti *nubes ſine aqua* veræ ſapientiæ, ac ſydera errantia, nullis infixa orbibus firmæ rationis, & ſicut *Arundines vento agitatæ*, ac Domus fundata non ſuper firmam petram, ſed ſuper lubricam arenam; ac veluti ſomnia, quę phantaſia parit, non ratio concipit. Regula verò honeſtarum actionum lex eſt, ſiue Rationis, ſiue Dei, ſiue Superiorum; non autem Commentum, ac Imaginatio noſtra. Vndè.

Lyran. in c. 16. num.

Ariſt. eth. l. 3. c. 4.

L. Iuri. ff. de Iuſtitia & Iure.

XIII. Hic cum Diuo Thoma repetendum videtur, quod quandò verè intelligimus, intelligimus rem, vt eſt à parte rei, nobis tamèn repræſentatam per ſimilitudinem eius, ſeu per ſpeciem; adeò, vt

Digitized by Google

res obiectum ſit Id *quod* intelligitur : ſpecies autèm id *quo* , ſeu ſignum formale , quod non cognitum ducit nos in cognitionem alterius . Res eſt veluti originale , & exemplar , ſpecies veluti ſpecularis Imago , ac exemplum : qui ergò verè vult intelligere rem , originale quærit , nèc ſiſtit in Imagine , ſicuti Gentes in ſuis ſimulacris : hinc S.Thomas damnat quoſdam antiquos (hi fortaſsè fuerunt Academici , ac Carpocratiani Hęretici de quibus ſuprà in 3. Parte innuimus) , qui docebant , quod cùm nos intelligimus , non intelligimus rem , ſed rei ſimilitudinem ; adeò vt ſpecies menti impreſſæ fierent obiectum *quod* , non obiectum *quo* , & ſic Iudicium ſempèr eſſet uerum ; quià quilibet iudicat iuxtà cognitionem ſuam , ac ſpeciem menti inditam , quæ eſſet illi veluti regula , ac menſura veritatis ; & ſic ſequeretur , quod *omne , quod videtur , eſſet verum* : vt Antiqui errando docuerunt (ait S.Thomas) & ſic etiàm ſequitur ,
S.Tho.1.q.85.ar.2. *quod omnis opinio æqualitèr erit vera* : quià opinio eſt iudicium , & hoc iudicium reſponderet illis ſpeciebus , quæ fierent obiectum menſurans iudicij veritatem : ſequi etiàm videtur , quod bonum intellectus , ac fęlicitas non eſſet obiectum , ac rei veritas ; ſed propria , cuiuſque apprehenſio , abſquè conformitate cum obiecto , & ſimilis
Pſal.72.75. eſſet ſomniantibus , de quibus cum Dauid loquitur Iſaias : *Sicut ſomniat eſuriens , & comedit : cùm autèm fuerit expergefactus ,*
Iſa.c.29. *vacua eſt anima eius* ; nam Philoſophi Doctrina eſt , quod *ab eo , quod res eſt , vel non eſt , oratio dicitur vera , vel falſa* . Nos autèm vel veritatem legis quærimus , vel opinionem , vmbram legis , ac ſimulacrum ? Si vmbram legis ſolam , & opinionis Idolum ſequimur , erramus , & nos cum antiquis . Sin verò legis veritatem quærimus , vt eidem noſtras opiniones conformemus : ſi quęritis, quærite [ait
Iſa.c.21. Iſaias Propheta] non ad ſpeciem, ſed ad veram legis intelligentiam;
Eccl.c.34. quià ſecùs de nobis ipſis diceret Eccleſiaſticus : *Somnia extollunt imprudentes , quaſi qui apprehendit vmbram , & perſequitur ventum ; ſic eſt , qui attendit ad viſa mendacia : ſicut parturientis cor tuum phantaſias patitur* ; non autèm ſanum iudicium fouet ; nàm
Prou.c.19. *vbi non eſt ſcientia animæ* (ait Salomon) , *non eſt bonum , & qui feſtinus eſt pedibus , offendet , qui autèm verba ſectatur , nihil habebit . Qui autèm poſſeſſor eſt mentis , diligit animam ſuam ; & cuſtos prudentiæ inuenit bona . Audi Conſilium , & ſuſcipe diſciplinam , vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis ; non ceſſes audire Fili doctrinam , nèc ignores ſermones ſcientiæ* . Hinc tu *ſinè iudicio nihil facias graue* ; mouet idem Eccleſiaſticus ; Magnæ autèm prudentiæ indi-
Eccl.35. cium eſt Supremum Romanæ Eccleſiæ Doctorem , ac Magiſtrum colere . Nàm ipſe Magiſter vnus eſt, vnius Cæleſtis Magiſtri Vicarius, qui veritatem ex Diuinį Patris reuelatione diſcit , & alios docet ;

vndè

Digitized by Google

vndè qui ipſum audit, non vmbram, ſed veritatem; non ſomnia, ſed ſapientiam ſectatur. At dicit Recentior Theologus.

IX. Colo Romanæ Eccleſiæ Magiſtrum, cùm ex Cathedra Fidei Dogmata toti Eccleſiæ proponit. Fidei enim eſt Supremus Magiſter. Ipſi verò Doctores ſunt Magiſtri morum, ac moralium deciſiones à Theologis ſunt requirendæ. In materia Fidei Papam præpono Doctoribus; in materia morum, Doctores præponendi videntur Papæ. Quàm vana ſit huiuſmodi reſponſio, perpendite. In primis hęc diſtinctio, ac limitatio gratis, & ſinè fundamento profertur; indiſtinctè namquè; [vt dicit S.Bernardus] dictum eſt Petro. *Paſce oues meas; & nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.* Ergò ſicut omnes paſcit; ſic & omnibus paſcuis neceſſarijs, & opportunis (cuiuſmodi eſt morum Doctrina) paſcit; ſecùs non ſatis paſceret; ſed perire ſineret defectu neceſſarij pabuli. Ergò & hæc illi competit; ſicut eiuſdem Petri Epiſtolæ teſtantur, quæ non ſolùm Fidem, ſed & mores docent Fideles. Hanc in Concilio Romano definiuit veritatem S.Nicolaus Papa ſic à Gratiano relatus; *Si quis Dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel Decreta pro Catholicæ Fidei diſciplina pro correctione* Fidelium (nota) *pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apoſtolicæ Præſule* (nota) *ſalubritèr promulgata contempſerit, anathema ſit.* Eadem confirmat S.Damaſus Papa apud eumdem. Nàm.

S Bern. de conſiderat. l 2.c.8.

Grat.cau. 25.q 2. c.ſi quis.

Grat. cau. 25.q.1.c. omnia.

X. Domus pluribus ædificatur partibus; omnes autèm partes fundamentis innituntur Domus. Eccleſia eſt Domus Dei, & vnuſquiſque etiàm fidelis Templum eſt Spiritus Sancti. *Dei ædificatio eſtis* [inquit S.Paulus]. Huiuſmodi autèm Domus, ac Templum pluribus ædificatur partibus, ſeu virtutibus. *Fides, quæ eſt ſubſtantia ſperandarum rerum* (vt inquit S.Paulus); Fides autèm cùm ſit fundamentum non conſtruit totam domum; ſed requiruntur opera; *Fides enim ſinè operibus mortua eſt, & ſicut corpus ſinè ſpiritu mortuum eſt,ità Fides ſinè operibus mortua eſt* (ait S.Iacobos). Nàm *Fides ex operibus conſummata eſt* (inquit D.Paulus), *quæ per Charitatem operatur. Charitas autèm patiens eſt*, &c. vndè dicit Cornelius à Lapide; *Fides vt Arbor omnes virtutes complectitur, & eſt veluti Doctor indicans opera Spei, Pænitentiæ, Charitatis, quibus iuſtificamùr.* Hinc etiàm *in Iuſtitia fundaberis* [ait Iſaias] Ergò Fide, Charitate, Operibus, ædificatur Domus Dei; vt dicit S.Auguſtinus; *Domus Dei credendo fundatur; ſperando dirigitur, diligendo perficitur*; & ideò Chriſtus iuſſit Apoſtolis, vt docerent morum præcepta, dicens: *Euntes docete*, &c. *docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Sed hæc tota virtutum domus in-

S.P.Cor. 1. c.3.

S.P. Hebr. c.11.

S.Iacob.c.2

S.P.Gal. 2.5.

S.P.Cor. 1. c.3.

Cornel. Canones rerum in ep.D. Pauli can.3.

Iſa.c.54.

S.Aug.ſer. 256.de tēp. & ſer.24. de verb. Apoſt.

S.Math. c. 28.

innititur fundamento Petri. Ipſe enim vnus eſt fundamentum. Er-
gò ex ore Petri, eiuſque Succeſſoris debet prodire, & Fidei, & mo-
rum doctrina. Vti praxis, ac conſuetudo Eccleſiæ Vniuerſalis ab
initio teſtatur, & teſtantur Concilia Generalia, & tot Decretalium
libri pro vtriſque conditi. Patris igitùr Beatiſſimi nè renuas audire
Prou.c.19 vocem in omnibus, nèc eum contriſtes; quià (ait Salomon) *qui aſ-
fligit Patrem, & fugit Matrem, ignominioſus erit, & infælix.*

XI. *Finem verò loquendi* de Papali Auctoritate *paritèr omnes
audiamus. Deum time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt omnis
Eccl.c.12. homo*: repeto cum Eccleſiaſte. Mandatum autèm Dei primum in
promiſſione eſt: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt lon-
go viuas tempore.* Ergò honoremus *Vnam Sanctam Matrem Eccle-
ſiam Catholicam, & Apoſtolicam*, & vnum Beatiſſimum Patrem
vnius Patris Cæleſtis Vicarium; ac vnius Eccleſiæ vnum, & viſibile
Caput colamus *Papam*: qui magis, quàm Summus Sacerdos Aaron
Exod.c.8. portat *in pectore doctrinam, ac veritatem*: Doctrinam, ſcilicèt,
Cornel.in veritatis, virtutis, ac ſanctitatis: *licet enim* (ait Cornelius à Lapi-
Eccl.c.12. de) *plurimi ſint Magiſtri, qui populum doceant, vnus tamèn om-
verſ.11.
Deut.c.17. nis veræ Doctrinæ Auctor, Fons, & Origo eſt Deus, & Chriſtus,
qui proindè ſuum Vicarium in lege veteri conſtituit Pontificem,
quaſi ſummum Synagogæ Doctorem, & Iudicem, cui in omnibus
auſcultari, & obediri iuſſit*: multò magis in lege noua conſtituit
*S.Petrum, eique Succedentes Pontifices Romanos Eccleſiæ totius
Doctores, & Paſtores; vt ab vno Paſtore* [iuxtà S.Ioannis promiſ-
S.Luc.c.21 ſionem] *quod erit vnum ouile, & vnus Paſtor, vnitas fidei, &
Eccl.c.12. doctrinæ hauriretur, & ſeruaretur, nèc in varias iretur hæreſes,
ac errores: ſic enim Hierarchia Eccleſiæ in Monarchiam, quæ opti-
mum eſt regimen deſinit. Monarchia enim eſt Pontifex. Verba igi-
tùr* (concludit Eccleſiaſtes) *ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui
in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſto-
re vno* [nota], quod vnus eſt Doctor, de cuius plenitudine Do-
ctrinæ cæteri Doctores, ac Magiſtri accipiunt, & cuius putei deri-
uantur foras. Si ergò ab hoc vno accipiunt doctrinam, conſentanei
erunt ipſorum ſenſus; ſi diſſentiant ab hoc vno, doctrinam non ac-
Baron. an. cipiunt: Ergò falſi ſunt Doctores; vti profitebatur S.Cyprianus,
34.n. 203. quod hinc ſcatent hæreſes, & ſchiſmata; & refert Baronius; nèc ſe
Eccl c.12. fallant, dicentes, non opus eſſe Magiſtro; cùm etiàm Eccleſiaſtes,
Eccl.c.10. & Eccleſiaſticus ab alijs ſe didiciſſe profiteantur. *Nulla enim ars ab-
S.Hier.Ru-
ſtico ep 13 ſquè Magiſtro diſcitur*: inquit S.Hieronymus.
l.2.

XII. Ex dictis liquet quanta ſit cuiuſdam Recentioris cæcitas,
vel malignitas, qui plura audet aſſerere, ac ſcribere contrà legiti-
mam Summi Pontificis Auctoritatem, eique nonnullos conatur præ-
ferre

ferre ſui ſimiles Doctores, de quo Recentiore, eiuſque libris ſic repetendum duceret S.Bernardus: *Sicut audiuimus, ſic vidimus libros, & ſententias. N. notauimus verba, ſignauimus myſteria, &* S.Bern. ep. *myſteria iniquitatis inuenta ſunt. Theologus noſter verbis legis, le-* 369. *gem impugnat. Sanctum proÿcit canibus, & margaritas porcis. Fidem corrumpit ſimplicium. Eccleſiæ maculat caſtitatem. Quo ſemèl eſt imbuta recens, ſeruabit odorem; Teſta diù, iamque in Eccleſia hoſtis Eccleſiæ, Fidei perſecutor, in gremio Fidei requieſcit. Ef-* S.Bern. ep. *fuſus eſt ſicut aqua. Maculauit Eccleſiam homo ille, rubiginem ſuam* 193. *ſimplicium mentibus affricuit. Homo ſibi diſſimilis eſt: intùs Herodes, fòris Ioannes, totus ambiguus*; & ad eumdem Summum Pon- S.Bern. ep. tificem etiam nunc Innocentium ſcriberet. *Volant libri, & qui ode-* 189. *rant lucem; quoniam mali ſunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Vrbibus, & Caſtellis ingeruntur, pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle venenum paſſim omnibus propinatur. Tranſierunt de Gente in Gentem, & de Regno ad populum alterum; Nouum cuditur populis & Gentibus Euangelium; noua proponitur Fides; fundamentum aliud ponitur, præter id, quod poſitum eſt. Verum Peccator videbit* Papæ extolli in dies Authoritatem, *&* Pſal.111. *iraſcetur dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit*. Igitur.

XIII. Gaudeamus nos quod exercitus, qui ex Inferorum Portis S.Math. c. 16 erumpere poſſent, hanc doctrinam veritatis labefactare nequeant. Iſa.c.54. Nam *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*: vt prædixit etiam S.P.Tim. Iſaias, quod omnis machina, dolus, ac conatus malignorum homi- 1.c.3. num, ac ſpirituum diſſoluenda erant. Imò Deus ipſe eſt, qui lo- Paral.l.2. quitur per Iſaiam, dicens. *Omne vas, quod fictum eſt contra te,* c.3. *non dirigetur; & omnem linguam reſiſtentem tibi, in Iudicio iudi-* Corn. com. *cabis*. Eccleſia enim Catholica eſt *Domus Dei, ac Columna, ac* m.in ep. S. Petr. *Firmamentum veritatis*: vti Columnæ duæ Salomonis *Ioachim*, Timot. 1. ideſt *directio & Booz*, ideſt *Firmitas* (vt commentatur Cornelius c 3. v 14. à Lapide): quia firma eſt directio, & recta firmitas: ſed columnæ Reg.3. c.7. innituntur fundamento: ſic & Eccleſia fundata eſt ſuper Petri, ac Act. c. 15. ſucceſſoris firmam Petram: ſic Concilia Generalia præſertim Ephe- Conc.Conſinum, & Calcedonenſe repræſentantia vniuerſalem Eccleſiam pro- ſtant. a. 37. feſſa ſunt (vt diximus): vndè repetendum mihi ex Scripturis, & Vuiclef & art.27. Concilio Conſtantienſi. *Petrus eſt vnum, & immediatum os Dei* Huſz. *infallibile; ſed Papa eſt Petrus poteſtate*, vt cum Diuo Bernardo S. Luc.22. ne deficiat vniuerſa confitetur Eccleſia. Ergò *Papa eſt vnum, & immedia-* fides tua. *tum os Dei infallibile*: ſic *Papiſta* ſum & ero [ideſt vt oſtendit Ba- S.Bern. de ronius] *Catholicus*, magis cordis obſequio; quam nominis inuolu- conſid. l.2. c.8. cro; innitens Sacræ Scripturæ; Antiquæ Traditioni; Sacris Conci- Baron. an. 416. n.22. 23.

lijs

Iob. c.34. lijs & Sanctis Patribus, non Nouatorum Commentis. Nam *Chri-ſtianus Catholicus prouidebit* [ait Sanctus Vincentius Lirinenſis]
S.Vinc. Common. 1.c.3. *vt Antiquitati inhæreat, quæ prorſus iam non poteſt vlla nouitatis fraude ſeduci*; te deprecor iterum tota ſpiritus humilitate, *Beatiſſime Pater*; ac bis Sanctiſſime Innocenti. *Si erraui Tu doce me; ſi iniquitatem locutus ſum, vltrà non addam*. Nam *Pater notam*
Iſa.c.38. *faciet Filijs veritatem*: vt Iſaias monet; & ſic reſpondent vltima primis.

CAP. VI.

Declaratio Pontificia quantum valeat.

Reg.2.c.12 I. REx Dauid iuſtè, ſanctèque populos gubernabat, nihilominùs Abſalon populorum auram exoptans probabat clientum rationes, & reprobabat Patris in Miniſtris Iudicibus regimen, eiſque indulgendo, ac blandiendo, ſolicitabat corda Filiorum Iſrael pro ſe contra Patrem. Sic Summus Pontifex vt alter Pater Dauid Sanctè regit Eccleſiam; ſed prodit Abſalon, qui adulando populis, iuſtè ſe profitetur iudicare, eiſque loquendo] placentia, ſolicitat corda fidelium recedere à Santiſſimo Patre. Auditum enim eſt proferri ab aliquo Filio Eccleſiæ hæc verba. *Non iure Pàpa* damnat has propoſitiones,declaratque eſſe peccatum, *ſi fæmina detecto pectore incedant. Noſtrum eſt, qui Theologi ſumus; doctrinamque profitemur, eiuſmodi declarare.* Arrogans, & præſumptuoſa eſt huiuſmodi loquendi ratio, & eo infenſior Pontificiæ Authoritati, quo occultior, & coloratior ſub ſpecie zeli: ſed non ſecundum ſcientiam, etſi ſcientiam plurimam iactent; Imitari videntur hi antiquum ſerpentem, qui ſubdolè primos fefellit parentes, dicens. *Nequaquam moriemini*, quique ſe trasfigurat in Angelum lucis, & ideò difficiliùs detegitur, eique difficilimè occurritur: vti Eccleſia-
Eccl. c.10. ſtes innuit:ſicuti. *Si mordeat Serpens in ſilentio, nihilominus habet, qui occultè detrahit*: nam quod ignorat, medicina non curat; explicat Diuus Hieronymus hunc verſiculum, & propterea *ſermo*
S. P.Tim. 2.c.2. *eorum* (dicendum eſt cum Diuo Paulo) vt *cancer ſerpit*, & inficit in cordibus fidelium reuerentiam, & obedientiam ergà Summum Paſtorem Chriſti Vicarium. Irrepit enim in mentibus hominum non eſſe ampliùs ratum in terris Decretum Summi Pontificis (ratum

etiam

Digitized by Google

etiam in Cælis ex Euangelio) niſi Modernorum Doctorum ſuffragio, ac laude firmetur; & cum Tertulliano de Dei Vicario repetendum videtur : *Niſi homini Deus placuerit , Deus non erit ; homo iam Deo propitius eſſe debebit* : ſic Doctor Papę . Noua labefactandæ Pontificiæ Auctoritatis ars eſt iſta , quæ præſeferens ſpeciem zeli , & minimi detrimenti ; non expergefacit fidelium animos ad horrorem , nèc ad contradicendum viriliter : attamèn verum eſt, quod *lapides excauant aquæ , & alluuione paulatim terra conſumitur* ; Vt autèm magis pateat huiuſmodi declarandi facultas , dicendum eſt , quod.

Tert. Apol. c. 5.

Iob. c. 14

II. Declaratio eſt rei latentis manifeſtatio , veluti qui rem in obſcuro loco poſitam extrahit, & luci exponit : ſic declaratio , & interpretatio non ponit aliquid nouum in eſſe ; ſed quod iam extat in obſcura intelligentia , clarioris intelligentiæ luci exponit : (vt diximus ſuprà cum Imperatore). Non omnes autèm declarant : ſed qui & intelligunt , & poteſtatem habent declarandi ; bina enim Clauis exigitur . 1. *Clauis Scientiæ* . & 2. *Clauis Iuriſdictionis* , quæ Claues datæ ſunt Diuo Petro , eiuſque Succeſſoribus ; Hinc Triplex eſt facultas declarandi propoſitiones , ſeu triplex eſt propoſitionum declarator.

III. Primus , Summuſque declarator , ac interpres in Eccleſia Dei eſt Summus Pontifex , ſiuè in Concilio , ſiuè extrà Concilium , qui non ſolùm eſt Paſtor , ſed Paſtor Paſtorum , à quo paſcendi ſunt homines verbo Fidei , & morum doctrina . Ipſi enim vel legitimo Succeſſori Petri indicitur : *Paſce oues meas* ; indiſtinctè , & elegit eum Deus , vt per os eius , ſicuti per os Petri audire Populos verbum Dei , & credere (vt dicitur in Actis Apoſtolornm) . Suprema igitùr Poteſtas declarandi iuridicè , & auctoritatiuè Propoſitiones eſt Sedis Apoſtolicæ .

S. Ioa. c. 2. Act. c. 15.

IV. Ex his etiàm colligi poteſt , quod duplex potiſſimùm à Summo Pontifice prodire ſolet *definitio*: Primò definit, vti *Supremus Iudex* ac Princeps ſecùndùm *allegata, & probata*: & definitio Iudicialis ex Supremo Tribunali , ac Sede vocanda videtur , & de hac Gregorius Nonus meminit , & Innocentius Tertius ſic de ea diſſerit , ac decernit ; *Iudicium Dei veritati , quæ non fallit , nèc fallitur , ſempèr innititur ; Iudicium autèm Eccleſiæ nonnunquàm opinionem ſequitur , quam & fallere , & ſæpè contingit , & falli* . Secundò definit , vt *Supremus Magiſter* ex reuelatione Patris Cæleſtis , ac inſpiratione , & afflatu Spiritus Sancti , ex Cathedra , toti Eccleſiæ credenda , & *Definitio Magiſtralis ex Cathedra* dici videtur , de qua Superiores Euangeliſtarum promiſſiones loquuntur , & adimplentur . Huius duplicis definitionis exempla plura extant , & in Conce-

Gregor. c. ſuſceptis. de cau. poſſeſſ. Innoc. III. c. A nobis de ſent. excom.

ptione Virginis Mariæ intueri licet: in qua definit Summus Pontifex, vti Supremus Eccleſiæ Director, quod nihil publicè, vel priuatim contrà Immaculatam Conceptionem ſit aſſerendum, non tamèn definit, vti Supremus Magiſter, tamquàm Fidei Articulum eſſe credendum; vt patet ex Bullis Sixti Quarti, Pij Quinti, Pauli Quinti, Gregorij Decimiquinti, Alexandri Septimi: hiſce etiàm Nouatorum Machina diſſoluitur [vt innuimus ſuprà]: nimirùm quicquid Papa aſſeuerat, vel etiàm ſimpliciter definit, non eſt ſempèr definitio *ex Cathedra*; ſed plerùmque *ex Tribunali*, ſicuti Supremus Eccleſiæ Moderator; quemadmodùm reliqui Principes in ſuis Regnis; vel etiàm decernit, vt priuatus Doctor. Eò magis, quo Eccleſia Sponſa Sponſum imitari videtur, qui Diſcipulis ſuis
S. Ioa. c. 16. dixit; *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*. Vndè in primis præcipit aliquid obſeruari ſub pænis, vt ſuauitèr fideles diſponat ad credendum, vt Fidei Articulum, quod priùs vt ſimplex Decretum obſeruabatur: vti feciſſe videtur S. Stephanus
Baron. an. 258. n. 15. Papa, & Martyr, qui primùm præcepit; deindè definiſſe, nè iteraretur Baptiſma [vt ex Baronio videtur], & notat etiàm aliud exemplum Baronius in Annotationibus Martyrologij Romani die 22. Februarij V. *Papiæ*. Ergò attendendum eſt, quo pacto, ac titulo definiat: agnoſci autèm definitio Fidei videtur, ſi dicat illud Dogma eſſe *de neceſſitate ſalutis*, *vel contrarium eſſe hæreſim*, *vel errorem*, vel ſimilia, quæ indicent certitudinem, ac neceſſitatem Doctrinæ.

V. Prioris generis definitiones *ex Throno* Regalis Sacerdotij pro temporum, locorum, ac perſonarum varietate, quandòque, vt le-
Apud Gratian. cau. 22. q. 4. c. deffinitio. ges uariantur: de qua Concilium Eliberitanum ſic ſancit; *Definitio incauta laudabilitèr ſoluenda eſt: nèc eſt prauaricatio, ſed temeritatis emendatio*. Secundi uerò generis definitiones *ex Cathedra* Diuini Magiſterij ſunt immutabiles, ac irreformabiles. Nàm cùm ſint Fidei definitiones, uti Fides perſtat immobilis in ſua ueritate, ſic & eiuſmodi definitiones. Hæc omnia confirmari uidentur ab Vr-
Grat. cau. 25. q. 1. c. ſunt quidam. bano Papa apud Gratianum ſic; *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſempèr licuiſſe nouas condere leges; quod, & nos non ſolùm non negamus: ſed etiàm valdè affirmamus. Sciendum verò ſummoperè eſt; quià indè nouas leges condere poteſt: Vndè Euangeliſtæ aliquid, & Prophetæ nequaquàm dixerunt. Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres ſententialitèr aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs, quod prædicatum eſt, vſquè ad animam, & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli, & Prophetæ deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed*

ma-

Digitized by Google

magis errare conuinceretur. Sed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini Eccleſiam contrà Luporum inſidias optimè cuſtodierunt. Eſt enim indeficiens eorum Fides, nèc Fidei contraria dogmatizabunt vnquàm.

VI. Secundus *Declarator Iuridicus*, & *Ordinarius*; ſed ſubordinatus eſt *Epiſcopus*: ſicut enim Epiſcopis demandatur à Spiritu Sancto cura animarum, & ipſis indicitur paſcere gregem Domini: Ergò ſic poterunt d clarare propoſitiones, quæ ad inſtructionem populorum ſpectant; ſic fecit D. Athanaſius cum Iouiano Imperatore; vt refert Baronius. Tertius *Declarator doctrinalis* tantùm, non iuridicus eſt quilibet Doctor, cui conceſſa eſt facultas à Summo Pontifice declarandi conſtitutiones, & ſcipturas, iuxta tamèn Dogmata, morumque, ac Canonum regulas; non innitendo prudentiæ ſuæ, prioribus contraria effari ſub ſpecie, ac velamento interpretationis: vt dixit cum S. Auguſtino P. Vitalleſchi. Nàm doctor eſt depoſitarius Doctrinæ, non Dominus, cuius (vt loquitur Sanctus Vincentius Lirinenſis cum Cornelio à Lapide) *non auctor debet eſſe: ſed cuſtos.* De declaratione iuuabit etiam regredi, ac legere c. 12. primæ partis.

Baron. an. 363 n. 132. c. ne innitaris de conſtitut.

S. *Vinc. common. 1. c. 27. Corn. in comm. D. Pauli in ep. 1. c. 6. ad Tim.*

CAP. VII.

Cenſuræ Librorum.

STella à Stella difert, & Claritas à Claritate alteriùs: ſic Doctor à Doctore, & eorum Doctrinæ ſæpè diſtant: quinimò ſicut inter Stellas infauſti, (quandoque) apparent Cometæ: ſic inter auctores, & libros aliqui apocriphi: alij inutiles: alij noxij notantut; hinc

Propoſitiones, vel libri diuerſimodè approbantur, vel reprobantur à ſupradictis Declaratoribus: vt Gelaſius Papa docet.

I. Aliqui *Libri* approbantur, vt *Canonici*, ac *Diuini*, qui continent veritates reuelatas à Deo, & propterea infallibiles, & nulli falſitati ſubiecti ſunt, cuiuſmodi ſunt omnes, qui deſcribuntur in Canone, ac Cathalogo compoſito à Sacro Sancto Concilio Tridentino, & componunt Sacram Scripturam, vetus, nouumque Teſtamentum continentes.

C. Sancta Rom. diſt. 15. Trid. ſeſſ. 4. c. 1.

II. *Alij* permituntur tamquam *vtiles*, non tamen vt ſuperiores, & immunes omni penitus errore: huiuſmodi ſunt *Opuſcula* Sancto-

Digitized by Google

rum, inter quas S.Auguſtinus plura in ſuis opuſculis retractauit, & in opuſculis S.Hilarij aliqua notantur, vt refert Baronius.

Baron. an. 369.n.73.

III. Alij tolerantur tamquam *vtiles in aliqua parte*: verumtamèn in alia aliquos continent errores, qui propterea legendi ſunt [ait Gelaſius Papa] cautè. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*; quod monitum repetitur à Diuo Hieronymo pro libris Origenis; Tertulliani, Arnobij, & aliorum. Huius generis eſt Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij.

S. P. Theſ. 1.c.5. S.Hier. ep. 54. ad Tranq.l.1. & ad letã ep 15.l.2.

IV. Alij reprobantur, vt *Hæretici* manifeſtè, ac noxij; eiuſmodi ſunt Hæreticorum libri, qui aduerſantur primis, & propterea anathematè damnantur.

V. Alij damnantur vt *erronei*: alij *temerarij*: *ſeditioſi*: alij *piarum aurium offenſiui*: alij *ſcandaloſi*. Sunt enim plures Propoſitionum damnabilium Gradus ex Concilio Conſtantienſi (vt innuimus ſupra.)

Conc.Conſ. ſeſſ.45.p 3. c.13.

VI. Alij reprobantur, vt *inutiles* & dubiæ Fidei, & Apocriphi declarantur.

VII. Alij denique, nec probantur, nec reprobantur: Sed Sedes Apoſtolica merè negatiuè erga eos ſe habet; quia vel ignorat eos editos; vel quid editi contineant. Nam etſi *Princeps omnia iura in Scrinio pectoris ſui cenſeatur, habere, ea tamèn, quæ ſunt facti, & in facto conſiſtunt, probabilitèr ignorat*: vt inquit Bonifacius Octauus. *Multa quoque* [etiamſi non ignorent] *per patientiam tolerantur, quæ ſi in Iudicium deducta eſſent, reprobarentur, cum exigente iuſtitia non deberent tolerari*. Eadem confirmare videtur Vrbanus Octauus apud Cardinalem De Lauræa in ſua mirabili Epitome Omnium Canonum, & huius habetur Caſus apud Baronium. In præſenti verò Moralium opinatione declarat Sũmus Pontifex Innocentius Vndecimus aliquas propoſitiones damnando, *vt minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas*, non ideò tamèn intendere alias propoſitiones in ipſo Decreto condemnationis non expreſſas vllatenùs approbare. Notent & obſeruent hanc Summi Pontificis proteſtationem Recentiores.

C. Licet Bonif. de conſtit. in 6. C. cum iam de Prabẽd. & dign. De Lauræa epitom V. Eccl. Rom. decreta. Baron. an. 448.n. 75. Innoc. XI. an. 1679. die 22. Maij.

CAP.

CAP. VIII.

Clauis Communis ex Ratione naturali.

I. IN principio cum D.Auguſtino commemorandum cenſemus, quod *libero arbitrio* donatus eſt homo, non vt libertate abuteretur ad omne libitum; ſed vt liberè ſeſe Diuinæ voluntati ſubdens, maiora à Deo conſequeretur dona. Nàm *mortis ſupplicium Dominus homini comminatus fuerat* (inquit S.Auguſtinus) *ſi peccaret: ſic eum munerans libero arbitrio; vt tamèn regeret imperio, terreret exitio, atquè in Paradiſi fælicitate, tamquàm in vmbra vitæ; vndè iuſtitia cuſtodita in meliora conſcenderet, collocauit*. Meditatus eſt enim Deus, vt de homine hoc elogium decantari, cum mercede magna nimis poſſet. *Potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit*. Ergò non effræne omnia percurrere debet liberum hominis arbitrium; ſed Diuino regendum eſt Imperio.

S. Auguſt. Enchir. n. 25.26.27. *Eccl. c. 31.*

II. Imperium Dei lex æterna eſt [de qua in Indice in Prima Parte] quæ omnium regularum eſt Regina, & omnium actionum menſura. Huius legis veluti radij ſunt 1. *Lex naturalis ex lumine rationis* emicans. 2. *Lex Charitatis, ex lumine Fidei* procedens; Lex Rationis facit, vt homo ſit homo, & ad humanam in terris fælicitatem pergat. Lex verò Charitatis efficit, vt homo Chriſtianus ſit, & ad Diuinam in Cælis beatitudinem properet. *Lex naturalis* eſt, veluti prima Radix, ac primum Principium moralium; *Ius Gentium* eſt veluti concluſio generalis ex huiuſmodi Principio deducta: *Ius Ciuile*, ac *Municipale* eſt concluſio particularis, ac determinatio legis naturalis, ac Iuris Gentium; vt docere videtur Diuus Thomas. Lex Charitatis eſt Prima Radix, ac Primum Principium actionum ſupernaturalium (vti dictum eſt in Indice). Huius primi principij *concluſio deducta*, & generalis eſt, *Lex Decalogi*, vniuerſa penè Scriptura, à Sanctis Patribus explicata; *Concluſiones particulares* ſunt *Ius Canonicum*, quod principia, & generales concluſiones determinat ad caſus ſingulares: Cùm verò deſunt particulares Determinationes, ſeu Deciſiones, ac Reſolutiones, reſpicienda ſunt iterùm Prima Principia Rationis, & Charitatis. Homo enim eſt Animal Rationale: quià ex Ratione viuit (vt docet cum D.Dyoniſio S.Thomas): Chriſtianus autèm eſt; quià viuit etiam ex Fide: *Iuſtus* enim *ex Fide viuit*; & *Deum time*; (inquit Eccleſiaſtes) & *man-*

D.Tho. 1.2 q.91. ar. 3. & q. 94. art. 6. P.1.c.8. *D Tho. 1.2 q.71. ar. 2. & D. Dion. de Diuin. nomin. c.4. Eccl. c.12.*

mandata eius obſerua. Hoc eſt enim omnis homo. Ergò hæ vbiquè, & ſempèr cuilibet Fideli præeſſe debent, nèc ab harum præſcripto diſcedendum eſt vnquàm (vt alibi innuimus); qui emergentes caſus in legibus non expreſſos ex legibus ratiocinando decidit, ac determinat (vt innuimus ſuprà P.3.c.); *Legiſta* dicitur; qui verò emergentes Caſus *ex Sacris Canonibus* in Foro exteriori determinat, *Canoniſta* appellatur: qui deniquè *ex Sacris Scripturis*, Sacris Canonibus emergentes quæſtiones determinat in Foro interiori, ſeu pro Conſcientiæ regimine *Theologus* dictitatur, ac *Caſiſta*.

Pſal. 31. III. Qui Ratione viuere contemnit; Homo non eſt; ſed fit *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*: nèc cum huiuſmodi diſputandum eſt verbis, ſed verberibus veluti Balaam cum Aſina ſua: qui verò ex Charitate viuere deſpicit, non eſt Chriſtianus; ſed ſicut Ethnicus, & Publicanus, quibus nulla Fides eſt Chriſti; nèc Spes æternæ vitæ: nobis autèm perſuaſum eſt loqui nos cum Ratione præditis, ac etiàm Chriſtiana Charitate imbutis. Huius autèm Rationis lumina, ac primaria præcepta ſunt. 1. *Religio*, ac cultus *ergà Deum* (vt diximus in Indice P.1.) quę Religio, ac cultus in Dei cognitione, & Amore præcipuè conſiſtit. 2. *Amor ergà Proximum*: vndè dicit cum Platone Cicero, quod *ex quo, quià ſuum*
Cic.off. l.1. *cuiuſque ſit, eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat, eo ſi quis ſibi plus appetat, violabit humanas ſocietates; ſed quoniam, vt præclarè ſcriptum eſt à Platone; non nobis ſolùm nati ſumus; ſed ortus noſtri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici, atque (vt placet Stoicis) quæ in terris gignuntur ad vſum hominum omnia creari. Homines autem hominum cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſſent. In hoc naturam debemus Ducem ſequi, & communes vtilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tùm artibus, tum opera, tum facultatibus deuincere hominum inter homines ſocietatem. Duæ ſunt partes, quibus vitæ quaſi Communitas continetur. Iuſtitia, in qua virtutis eſt ſplendor maximus, ex qua boni viri nominantur, & huic coniuncta beneficientia, quam eamdem, vel benignitatem, vel liberalitatem appellare*
Sen.ep.48 *licet*, quibus & Seneca ſubſcribit dicens. *In commune viuitur: Nec poteſt quiſquam beatè degere: qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit. Alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere. Hæc ſocietas diligenter, & Sanctè obſeruanda eſt, quæ nos omnes omnibus miſcet, & indicat aliquid eſſe commune Ius generis humani; plurimum ad illam quoque de qua loquebar, interiorem ſocietatem amicitiæ colendam proficit. Omnia enim cum amico communia habebit, qui multa cum homine.* Imò his auctoritatem im-

per-

pertitur Eccleſiaſticus, dicens. *Omne animal diligit ſibi ſimile; ſic & omnis homo proximum ſibi.* Eccl.c.13.

IV. Rationis naturalis ſtudioſi obſeruatores, & hinc idonei Teſtes ſunt etiam Antiqui Philoſophi, veluti Plato, Ariſtoteles, Seneca, Cicero, Plutarchus, & eiuſmodi, qui propterea à Sanctis Patribus ſæpè allegantur, & præcipuè à D.Thoma; vt legenti eiuſdem Summā Theologiæ paſſim patebit; & *indè eſt* (ait Sanctus Thomas) S.Tho.p.1. *quod etiam auctoritatibus Philoſophorum Sacra Doctrina vtitur,* q.1.ar.8. *vbi per rationem naturalem Veritatem cognoſcere potuerunt: ſi-* ad 2. *cuti Paulus inducit verbum Arati, dicens; ſicut & quidam Poeta-* P.1. Ad *rum veſtrorum dixerunt. Genus Dei ſumus.* Veritas enim à quo- Act. Ad- cumque dicitur à Spiritu Sancto eſt (vt diximus ſupra.) men 1.n. 20.

CAP. IX.

Clauis argentea ex Prudentia acquiſita.

I. Rationis lumen ignorantiæ tenebris, ac paſſionum fumo ex Adę peccato erumpentibus tenebreſcit: ideò de Ethnicis ad S P.Rom. c.1. Romanos ſcripſit S.Paulus. *Obſeruatum eſt inſipiens cor eorum: di-* S.P. Epheſ. *centes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt*, & ad Epheſios. *Hoc dico, &* c.4. *teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulāt in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratū habentes intellectū, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum.* Multò autèm magis augentur tenebræ, quo aliqui vt Sapientiores videantur, & decipientes alios videantur ſibi illos ſubiugare, ac etiàm ſpiritu contradictionis pleni, omnia Sophiſticis diſputationibus obſcurant: (vti cum Platone, ac Lactantio Firmiano innuimus): Verùm aliqui Recti amatores diligentius perquirentes, quod Ratio dictet, plurimo labore, ac tempore adinuenerunt Index p. 1. *Prudentiam*, ſeu aliquos Rationis radios: vndè dixit Iob: *Trahi-* Iob.c.12. *tur de occultis Sapientia, & in antiquis eſt Sapientia, & in multo tempore Prudentia. Eſt autèm Sapientia* (inquit Seneca) *mens* Sen.ep.117 *perfecta, vel ad ſummum, optimumque perducta. Ars enim vitæ eſt Sapientia, habitus perfectæ mentis eſt.*

II. Igitur cùm mens, ſeu Ratio perfecta eſt, tunc Sapiens eſt; cùm ſcilicèt ſibi omninò conſentit, ſuopteque ingenio redditur, nèc paſſionum, vel alienarum opinionum fumo inficitur, vel torquetur

ad

Digitized by Google

ad aliena ſibi: hinc deſcribitur *Prudentia*, quod ſit *Recta Ratio*; non ſimplicitèr Ratio; poteſt enim Ratio nominetenùs eſſe Ratio; ſed carere veritate, de qua ſic Seneca ſcribit: *Ratio Rationi par eſt; ſicut Rectum Recto. Ergò & virtus, quæ non aliud eſt, quàm Recta Ratio. Omnes virtutes Rationes Rectæ ſunt. Ratio arbitra eſt bonorum, ac malorum. Bonum ſinè Ratione nullum eſt. Sequitur Rationaturam. Quid eſt Ratio? Naturæ imitatio. Quid eſt ſummum hominis bonum? Ex naturæ voluntate ſe gerere. Bonorum vnum propoſitum conſentire naturæ.* *Bonum namquè hominis* [vt diximus cum D.Dionyſio, ac D.Thoma] *eſt eſſe ſecundùm Rationem*; ſed Rectam, non deprauatam alienis, vel animi affectibus, vel mentis opinationibus; vndè Prudentia, ſeu Recta Ratio cum virtute morali coniungitur (vti diximus cum D.Thoma). Nàm.

Sen.ep. 66. Index p. 1. c.3. Par.3.c.23.

III. Prudentia eſt ſanus mentis oculus; eſt ſenſatus animi Pedagogus. Eſt peritus viæ Dux. Eſt Iudex bonorum, vt eligantur, malorum, vt euitentur. Sì dirigit per vias rectas vnum hominem. Prudentia *Monaſtica* dicitur: ſi Domum *Economica*: ſi Ciuitatem, vel Regnum *Politica*: omnes tamèn ad ſuos reſpectiuè fines per media conuenientia, ac congruentes vias deducit. Qui Prudentiam deſpicit, cæcus iactat ſe videre ſinè oculo. Puer vagatur ſinè Pedagogo. Viator iter habet ſinè Duce, & viam iactat ſe inuenire ſinè Indice.

IV. Prudentiæ munus eſt *conſultare*, ac varia inuenire, ac examinare media, ac vias; deindè conſultata, ſeu media propoſita dijudicare, ac eligere aptiora ad finem. Demùm electa *imperare*, ac vrgere ad executionem. Eſt enim Prudentia virtus practica, quæ ad opus tendit.

D.Tho.2.2 q.49.ar.1. V. Prudentiæ comites ſunt [vt docet Diuus Thomas 1. *Memoria*: quia Prudentia ex experientia eorum: quæ vt in pluribus contingere ſolet, fouetur. Experientia autem ex pluribus memorijs, ſeu caſibus ſingularibus naſcitur. 3. *Intellectus*, ſeu Cognitio vniuerſalium Principiorum, ac ſingularium Caſuum, ac factorum, quibus generalia ſunt aptanda, vt ex vniuerſali Regula, & particulari facto particularis fiat reſolutio, ac determinatio. 3: *Docilitas*, ſeu facilitas, non tantum intellectus ad ſuſpiciendam doctrinam, ac Doctorum conſilia; ſed potiùs promptitudo voluntatis ad diſcendum à Doctis. 4. *Solertia*, quæ ſicuti homo rerum æſtimationem ab alio diſcit per Docilitatem; ſic ſolertia per ſe inuenit rectam rei opinionem. Eſt enim ſolertia facilis, & prompta coniecturatio circa inuentionem medij. 5. *Ratio*, ſeu *ratiocinatio*. Nam Prudentis eſt eſſe benè conſiliatiuum. Conſilium autem eſt inquiſitio quædam ex quibuſdam ad alia procedens. 6. *Prouidentia*. Nam *Prudentia*

Art.2. Art.3. Art 4. Art.5. Art.6.

Digitized by Google

tia propriè eſt circa ea, quæ ſunt ad finem, & hoc ad eius officium propriè pertinet, vt ad finem debitè ordinentur. 7. *Circumſpectio.* Etenim ad Prudentiam præcipuè pertinet rectè ordinare aliquid ad finem, quod quidem rectè non fit, niſi finis bonus ſit, & id, quod ordinatur in finem, ſit etiam bonum, & conueniens fini. Sed quia Prudentia eſt circa ſingularia operabilia, in quibus multa concurrunt; contingit aliquid ſecundum ſe conſideratum eſſe bonum, & conueniens fini, quod tamèn ex aliquibus concurrentibus redditur vel malum, vel non opportunum ad finem; & ideò neceſſaria eſt *Circumſpectio*, quæ perſpiciat, quæ rem agendam circumſtent. 8. *Cautio* requiritur, vt vitentur mala, quæ ſpeciem ſæpè habent boni? Vndè monet Epheſios S.Paulus. *Videte quomodò cautè ambuletis*: has omnes Prudentiæ partes integrales tribus verbis perſtringit Moyſes. *Vtinam ſaperent, ac intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Prudentes* igitùr *eſtote* ſempèr.

Art.7. *Art.8.* *S.P.Epheſ. c.5.* *Deut.c.32.*

CAP. X.

Clauis Regia ex Iuſtitia.

I. INter cæteras morales virtutes, quas Prudentia, vt *Index* virtutum, homini oſtendit, & velut Dux, ac Pedagogus earum ad exercitium dirigit, *Iuſtitia* maximè reſplendet, & ſicuti Sol præ cęteris Syderibus fulget, ac toti terrarum orbi micat: ſic Iuſtitia præ cæteris emicat virtutibus: quia *Iuſtitia communis eſt virtus, ac commune eſt bonum* (inquit S.Ambroſius.)

S.Ambr. comm.in Luc.l.2.c.1.

II. Aliæ virtutes interiores hominis paſſiones temperant; Iuſtitia verò externas actiones moderatur, quæ alium reſpiciunt, vt fiat inter homines in externis bonis æqualitas. Eſt autem *Iuſtitia conſtans, & perpetua voluntas, ius ſuum cuique tribuendi.* Iuſtitia *Ius*, ſeu *Iuſtum* intendit ſecundum Ius, ſeu ſecundum legem. Significat enim *Ius* hæc omnia. Iuſtum quoque dicitur, vel quia iubetur; vel quia iuuat. Prudentia dictitatur etiam *Iuris prudentia*, & ab Imperatore etiam Ius: vndè deffinitur. *Ius eſt Ars boni, & æqui*; hæc indicat quid ſit Ius, ac rectum; Iuſtitia illud eligit: Prudentia perficit Intellectum: Iuſtitia perficit voluntatem. Intellectus Prudentiæ lumine Dux eſt: voluntas virtutis amore aſſecla recti eſt. Ex hiſce duobus fontibus actionum manat honeſtas (inquit Seneca). *Actio recta non erit, niſi recta fuerit voluntas. Ab hac enim eſt actio. Rurſus voluntas non erit recta, niſi habitus animi*

L.1. Iuſt ff. de Iuſtitia &c. *Sen.ep.105*

rectus fuerit. Ab hoc enim eſt voluntas. Habitus porrò animi non erit in optimo, niſi totius vitæ leges perceperit, & quid iudicandum ſit exegerit, niſi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas niſi immutabile, certumque iudicium adeptis. Si vis eadem ſempèr velle, vera oportet, velis.

III. Iuris, ſeu legis præcepta ſunt tria. 1. *Honeſtè viuere*, quo vno omnia comprehenduntur virtutum præcepta: nàm qui honeſtè viuit, *rectè* viuit, qui rectè viuit, virtuosè viuit: *Virtus* enim *non aliud eſt, quàm Recta Ratio* (diximus cum Seneca) *omnes virtutes*
Sen. ep.66. *Rationes rectæ ſunt. Ratio rationi par eſt: ſicut Rectum recto*: ſed *Honeſtè* viuere ſumitur potiſſimùm hìc in materia Caſtitatis, quæ alium concernit.

IV. Ergò lumen Rationis eſt ſcintilla claritatis omnipotentis Dei; ſed obſcurata peccatis. Prudentia huius tenebras clarificat. Synderesis eſt in voluntate recti quidam amor; quem Iuſtitia auget, ac promouet: quibus homo, vt homo ſit, reſpondere debet. Iuſtitiæ ęncomia, hiſce perſtringit Salomon: *Initium viæ bonæ facere Iuſtitiam: accepta autèm eſt apud Deum magis, quàm immolare hoſtias.*
Prou. c.16. *Melius eſt parum cum Iuſtitia, quàm multi fructus cum iniquitate. Pondus, & ſtatera iudicia Domini ſunt: Abominabilis Regi, qui agunt impiè; quoniàm Iuſtitià firmatur ſolium. Voluntas Regum labia iuſta; qui recta loquitur, diligetur.* Iuſtiam autèm maximoperè oppugnat habendi cupiditas, quæ ſub honeſti ſpecie ſeſe claudit; hinc traditur.

CAP. XI.

Clauis aurea ex ſupereminente ſcientiæ Charitate.

I. CHaritas lucet, & ardet; quià *Dilectio Dei eſt honorabilis*
Eccl. c.1. *Sapientia*; & ipſa eſt *vnctio, quæ docet nos de omnibus*.
S. Ioa. ep.1. c.2. Ardet: quià *ignis Charitas*; quamobrèm ſicut Prudentia perficit naturalem Rationem: ſic Charitas perficit acquiſitam Prudentiam; vndè S. Paulus ſcribit; *Spiritualis omnia iudicat*; Iudicat autèm
S.P. Cor. 1. c.2. non ex ſpeculatiua ſcientia, ſed ex effectiua experientia; non per viſum ex colore, ſed per guſtatum ex ſapore; Ipſe enim *butirum, &*
Iſa. c.7. *mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*; Hinc S.
S. Sales Amor Dei l. 8. c1. Franciſcus Saleſius dicebat, quod Sancti Anachoretæ omnia ab vno diſcebant Dei Amore; Cui accedit D. Auguſtinus. *Homo* (ait) *Fide,*

Digitized by Google

de, Spe, & Charitate ſubnixus, eaque inconcuſsè retinens, non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos. Itaquè multi per hæc tria etiàm in ſolitudine ſinè Codicibus viuunt; Ergò Charitas lumen eſt; vti confitebantur ſimul Sancta Catharina Senenſis, & Seraphica noſtra Beata Catharina Genuenſis; quorum dicta confirmat Iſaias, dicens; *Lumen Iſrael in igne*. Igitùr duplex hoc *luminare maius Charitatis* [*inſtar* namquè *ſolis ſola regnat Charitas*], & *luminare minus Prudentiæ*, ſeu Rationis naturalis perfectæ veluti Luna, vniuerſum Genus humanum ad morum regimen illuminare, ac dirigere debent, & ni velint homines ambulare in tenebris, ad lapſum, hæc lumina minimè negligere vnquam debent; ſed in *omnibus Ratio & Charitas ſuprema lex ſunto*.

S. Aug. to. 3 de Doctr. Chriſt. l. 1. c. 39. S. Cath. Sen. de Proid. c. 3. B. Cath. Genuenſ. vit. c. 20. 31. Iſa. c. 10.

II. *Gratia autem non deſtruit; ſed perficit naturam* [vt inquit Sanctus Thomas]: hinc Charitas Rationis naturalis præcepta de diligendo Deo, ac Proximo perficit, eleuando ea ad ſuper naturalem ordinem, ac ad æternæ vitæ meritum. Nam præcipit Charitas. *Diliges Dominum Deuum tuum ex toto &c. & Proximum tuum ſicut teipſum*: & hæc gemina dilectio videtur eſſe *quiditas*, ac Spiritus Chriſtianorum: vndè ſic profeſſus eſt Ipſemet Chriſtus: *In hoc cognoſcent omnes: quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*. Quamobrèm [dicit Idem Apoſtolus] *qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodò Charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua; ſed opere & veritate*. *Quicquid enim præcipitur* (inquit Sanctus Gregorius Papa) *in ſola Charitate ſolidatur*.

S. Thom. 1. q. 1. ar. 8. ad 2. S. Io. c. 13. S. Io. ep. 1. c. 3. S Greg. ho. 27. in Eu.

III. Charitatis ſtudioſi Diſcipuli, ac Cultores ſunt Sancti Dei homines, qui audiunt, quid Spiritus Charitatis dicat Eccleſijs: vndè eiuſdem fiunt idonei Magiſtri: quamobrèm ſi Charitatis nobis ſatis ex Scripturis non affulgeat lumen, conſulamus Sanctos, qui vel ſcripto Sacram Charitatis Scripturam exponent, vel exemplo dubia Charitatis nobis explanabunt. Nam ſi fortè [inquit Sanctus Auguſtinus] *occultum eſt, quemadmodum accipiendum ſit, quod præcipitur in Diuinis Scripturis, in Factis Iuſtorum* (nota) *intelligatur*. *Viua* enim *lectio eſt vita Iuſtorum* (inquit Sanctus Gregorius Papa]. Hinc Sanctus Franciſcus Saleſius ſcripſit, quod vnum eſt Ieſu Chriſti Euangelium à quatuor Euangeliſtis conſcriptum, à Sanctis Eccleſiæ Doctoribus expoſitum, & à Sanctis opere exercitum, *Nullumque aliud eſſe diſcrimen inter Euangelium ſcriptum ac Vitam Sanctorum, quam inter muſicam notatam, ac muſicam cantatam*: propterea *legite* [monet alibi] *Hiſtorias, & vitas Sanctorum, in quibus veluti in ſpeculo vos videbitis exemplar vitæ*

S. Aug. to. 4 l. de mend. c. 15. S. Gregor. mor. l. 24. c. 6. S. Sales l. 1. ep. 31. Introd. p. 2. c. 17.

Chriſtiana: plures tamèn eorum actiones magis ſunt admirabiles, quam imitabiles. Sanctorum ſanè vita (inquit Sanctus Ambroſius) *cæteris norma viuendi eſt. Ideoque digeſtam plenius accepimus ſeriem Scripturarum, vt dum Abraham, Iſaac, & Iacob, cæteroſque Iuſtos legendo, cognoſcimus, veluti quemdam nobis innocentiæ tramitem, virtute eorum reſerratum, imitantibus veſtigijs perſequamur.* Ergò Sancti Charitatis cultores obſeruentur: vti animatum Chriſtianæ legis exemplar; & in omnibus Ratio præluceat, ſi vt Homo vult quis ſemper operari. In omnibus quoque Charitas ardeat, ſi vt Chriſtianus vbique agere cupit.

S. Ambroſ. lib. de S. Ioſeph. c. 1.

CAP. XII.

Clauis ferrea ex odio turpis lucri.

HOmo proptèr Deum colendum in Spiritu, ac Veritate, & Mundus proptèr Hominem conditus eſt: vndè Regius canit Pſaltes. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Omnia ſiquidem ſubiecit, non tamèn pro ſingulis generum [vt dicunt]: ſed *pro Generibus ſingulorum. Non* enim collectiuè *omnia omnibus expediunt* (dicit Sapiens). Sed omnia omnibus diſiunctiuè expediunt.

Pſal. 8. Eccl. c. 37.

II. Quæ ſingulis opus ſunt, pauca ſunt. Nam *natura paucis eſt contenta* (vt inquit Seneca). *Exiguum natura deſiderat; opinio immenſum; naturalia deſideria finita ſunt: ex falſa opinione naſcentia, vbi deſinant, non habent. Nullus enim terminus falſo eſt*, qui iterùm dicit. *Paruo fames conſtat, magno faſtidium. Natura minimum petit. Natura ſapiens ſe accommodat. Ineſt omni ſæculo, quod ſat eſt. Non eſt in rebus vitium; ſed in ipſo animo.* Quamobrèm Rex Salomon ſuas hiſce fundebat ad Deum preces, *mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo neceſſaria; ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam; quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomen Dei mei*; hinc eſt, quod dicit S. Paulus; quod *qui diuites fieri volunt, incidunt in laqueum Diaboli. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*; Et Dei Sapientia, cùm conuerſaretur intèr homines in terris, profeſſa eſt; *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Quàm difficile eſt confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Videte, & cauete ab omni auaritia; quia non*

Senec. ep. 16. 17. Prou. c. 30. S. P. Tim. c. 1. e. 6. S. Math. c. 6. S. Marc. c. 10.

Digitized by Google

non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his, quæ poſſidet. Diuitiæ autèm non damnantur; ſed nimius diuitiarum affectus, & confidentia; hinc *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*; monet Dauid. S.Luc.c.12 Pſal.61.

III. Non præcipitur (inquit Beda) in Euangelio, vt *nil pecuniæ reſeruetur à Sanctis, vel ſuis ſcilicèt, vel pauperum vſibus ſuggerenda, cùm & ipſe Dominus, cui miniſtrabant Angeli, tamèn ad informandam Eccleſiam ſuam loculos habuiſſe legatur, & à Fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus, alijſque indigentibus tribuens; ſed ne Deo proptèr iſta ſeruiatur, & ob inopiæ timorem iuſtitia deſeratur*; eſt enim turpe lucrum quicquid contrà rationem comparatur; veluti *quicumque* (ait S.Iulius Papa) *tempore meſſis, vel vindemiæ non neceſſitate, ſed proptèr cupiditatem comparat annonam, vel vinum. V.G. de duobus denarijs comparat modium vnum, & ſeruat vſquè dùm vendatur quatuor, aut ſex, aut amplius; hoc turpe lucrum dicimus*; & Concilium Maguntinum clarè definit, dicens; *Quicquid plus iuſto appetit homo, turpe lucrum eſt; nèc tamèn iuſtum negotium eſt contradicendum, proptèr neceſſitates diuerſas*. Sufficientia enim corporis nobis expediunt, & pietas animæ colenda; nèc ſimus ex illis, de quibus Iſaias conqueritur; *Non eſt finis theſaurorum eius; ſed nihil ſoliciti ſitis*; monet Chriſtus. S.Iul Pap. apud Grat. cau q.4.c. quicumq; C. Multa negotia. ne clerici vel monachi. Isa.c.2. S Math. c.6.

IV. Cùm autèm Ratio dictauit Gentibus eſſe rerum Dominia pro bono pacis diſtinguenda, vnà ſimul conſtituit modos, quibus quid cuique fieret, & inſupèr introduxerunt modos, ſeu contractus, quibus aliena nobis neceſſaria attribuerentur. Nàm *omnium actionum humanarum Mater eſt neceſſitas* (inquit S.Auguſtinus); quapropter docet, & Ariſtoteles, quod *contractus ille licet, qui contrahentium iuxtà ſuam naturam, & nomen indigentiæ ſubuenit*: quod ab Imperatore confirmatur. Etenim ſicut Ratio dictauit ad maius vitandum malum, eſſe faciendam communium rerum diuiſionem, ſic etiàm dictauit celebrandos eſſe contractus, per quos ſibi neceſſarijs rebus in magnum ſui damnum nemo priuaretur, & aliquo modo aliena compararet per contractuum celebrationem, qui idcircò mutuis indigentijs introducti ſunt, & proſunt: non ſunt autèm excogitati ad augendas vltrà menſuram opes, quæ ſuperfluant, ſed ad ſubleuandam egeſtatem. Non enim Homo conditus eſt proptèr Res, ſed res proptèr hominem, vt hæ illi ſeruiant, ac eiuſdem neceſſitatibus ſubueniant ad victum, ac ad vitam: vt innuit S.Paulus, dicens: *Eſt magnus quæſtus pietas cum ſufficientia*: qui autèm plura, quàm ſibi prudentèr, vel ſuis, uel Patriæ expediunt, expetit, turpe lucrum cenſetur: cùm Ratio ei non aſſiſtat, ſicut docere uidetur S.Aug. in pſ.83. Ariſt. eth. l.5.c.5. Imper. l.1. orig. emti di ff. de contrah. empt. & L. mutuum ff. de rebus credit. S.P.Tim.1 c.6.

tur

Digitized by Google

S.Tho.2.2. q.77. ar.4. Prou.c.23. tur D.Thomas cum Sapiente. *Noli ergò laborare, vt ditteris: ſed Prudentia tua pone modum*. Sit moderatus habendi amor, & hinc tot lites, tot bella, & doli ceſſabunt. Bona hominis, hic obitèr, quadruplicis ordinis recenſentur, quorum alter alterum excellit. S.Math. c. 16. 1. *Bona Animæ*, de qua ſic Euangeliſta ſcribit: *quam dabit homo commutationem pro Anima ſua?* 2. *Bona Corporis*, ſeu bona uitæ, Iob c.12. de qua ſic apud Iob diſſeritur; *Cuncta, quæ habet homo, dabit pro Anima ſua*, ſeu vita. 3. *Bona ſamæ*, ac honoris, de quo ità Sapiens Prou.c.22. decernit: *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*. 4. *Bona* S.Luc.c.12. *fortunæ, de quibus ſic animæ ſuæ loquebatur diues* quidam; *Habes multa bona*. Turpe lucrum, ac præpoſterus ordo eſt ſuperiora pro inferioribus expendere, ac aurum pro ferro; niſi fruſtulum auri pro ferri copia rependatur, vti dictum eſt P.2.c.92.n.5.

CAP. XIII.

Claues Morales ex Cauſis.

I. QVatuor ſunt Cauſarum genera. 1. *Efficiens*, ſeu *agens* à qua veluti à fonte fluit operatio, quaſi riuulus, ac ſæpè opus veluti riuuli lacus. Si efficiens per ſuam virtutem, ac iuxtà proprias vires agit, dicitur *Cauſa per ſe*: Si verò per alienam vim ſibi contingentèr comitem operatur, dicitur *Cauſa per accidens*. Si ipſa ſola, dicitur *Cauſa totalis*, & efficax, ſi per alienam impreſſionem operatur, dicitur *Cauſa inſtrumentalis*; quià verò ab agente creato *ex nihilo nihil fit*; ideò requiritur ei. 2. *Cauſa materialis* circà, vel in qua operatur *Agens*; eſtque veluti receptaculum operationis cauſæ efficientis: quæ efficiens, vt agere poſſit, ſeſe approximat materiæ; eſt enim approximatio conditio ſinè qua efficiens cauſa non ageret in diſtans ſubiectum; quod ſubiectum ab Agente approximato in primis præuijs quibuſdam accidentibus diſponitur, ac præparatur ad vlteriora, & hæ *diſpoſitiones*, ac *conditio*, quandòque ſortiuntur etiàm cauſæ nomen; cùm tamèn vera cauſa ſit ipſum agens, & hæc ſint requiſita ſolùm ad agendum; cùm verò diſpoſita eſt materia, ac præparatum eſt ſubiectum, in hoc introducit efficiens formam, & hæc eſt 3. *Cauſa formalis*, qua formatur ſubiectum illud per illam formam, & rudis materia fit pulchra, ac formoſa conſtituitur in eſſe ſpecifico, ac diſtinguitur à cæteris, fitque & ipſa forma alterum agens potens etiàm ad agendum. Nàm hoc intende-

bat

bat conſequi prius Agens; vt ſibi ſimilem produceret formam, & hoc bonum intentum ab Agente dicitur 4. *Cauſa Finalis*.

II. Eſt autèm finis, gratia cuius operamur, qui quamuis ſit vltimus in re, eſt tamèn prior in voto, iuxta illud; *Quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione*: *& eſt Finis Cauſarum*, ac primum mobile, quod mouet cauſam efficientem, quæ ſeſe approximat materiæ, & hanc diſponit, eique tandem ingerit formam, quæ & ipſa euadit efficiens, & alteri propagat ſuam ſpeciem, ac formam, ſitque in ſpecie perpetuitas rei; vt experientia Magiſtra nos docet. Patet etiàm hinc dictum Ariſtotelis; quod *Forma, Finis. & Efficiens ſæpè coincidunt*. *Forma* eſt reſpectu materiæ. *Finis* reſpectu cauſæ efficientis. *Efficiens* reſpectu alterius *effectus* ſimilis ſibi. De cauſis ad hanc rem *agit*, & Seneca. *Ariſtot. Phiſic. l.2.* *Sen ep.65.*

III. Quemadmodùm in genere naturæ quatuor ſunt cauſarum genera: ſic philoſophandum erit in genere moris, & recenſendæ ſunt, & hic *Efficiens, Materialis, Formalis*, & *Finalis*. Verùm Finalis exercet in genere moris officium formalis, ac eiuſdem gerit vicem: vt docet Sanctus Thomas, ſic. *Forma actus in moralibus attenditur principalitèr ex parte Finis, cuius ratio eſt: quia principium moralium actuum eſt voluntas, cuius obiectum & quaſi forma eſt Finis: ſempèr autèm Forma actus conſequitur formam agentis. Vndè oportet, quod in moralibus id, quod dat actui ordinem ad finem, det ei & formam*: ſicut enim forma. 1. conſtituit compoſitum. 2. diſtinguit idem à cæteris; ſic & Finis conſtituit actum moralem, ac diſtinguit à reliquis. *S.Tho.1.2. q.83.ar.8.*

IV. Vt clariùs hoc percipiatur, recolendum eſt, cum Ariſtotele, & D.Thoma, duo eſſe principia *actus humani* (qui & *mos* dicitur) eſtque *actus præmiditatus voluntarius & liber*, vtpotè qui à voluntate deliberata procedit. Intellectus autèm, & voluntas, cum ſint potentiæ, actuantur per aliquid ab extrinſeco ſibi accedente. Diuerſo tamen pacto. Nam Intellectus actuatur, & redigitur ad actum recipiendo in ſeipſo ſpecies rerum intellectarum, quæ ſpecies ſunt veluti formæ, quibus ipſe informatus, ſit omnia intelligendo. Voluntas verò ſeſe addicendo bono ſibi propoſito, idemque amando, conuertitur quodammodò in obiectum amatum, & quale eſt hoc, talis ipſa euadit: vndè dicit quidam Sanctus. *Si terram amas, terra es, ſi cælum amas, cælum es*. Cui conſonat S. Auguſtinus: *Affectus omni operi tuo nomen imponit*. Eſt enim Finis veluti Sol: ſplendidus eſt; ſi bonus eſt: vel ſicut Sol obſcuratus in Ecclypſi, ſi malus eſt finis, qui illuminat omnia opera, vel obtenebrat; vt ipſamet veritas Incarnata confirmat dicens. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lu-* *S. Auguſt. lib. de ſpiritu, & anima c.4.* *S. Math. c. 6.*

cidum

cidum erit. Sin autèm oculus tuus fuerit nequam: totum Corpus tuum tenebroſum erit: hinc dicit iterùm Diuus Thomas. *Actus humani, ſiue conſiderantur per modum actionum, ſiue per modum paſſionum, ſortiuntur ſpeciem à fine. Vtroque enim modo conſiderari poſſunt: quia homo mouet ſeipſum, & mouetur à ſeipſo. Dictum eſt autèm, quod actus dicuntur humani, in quantum procedunt à voluntate deliberata. Obiectum autem voluntatis eſt bonum, & finis, & ideò manifeſtum, quod principium humanorum actuum in quantum ſunt humani, eſt finis, & ſimilitèr eſt terminus eorumdem. Nam id, ad quod terminatur actus, eſt id, quod voluntas intendit tamquam finem, ſicut in agentibus naturalibus forma generati eſt forma generantis.*

S.Tho.1.2. q.1.ar.3.

V. Finis alius eſt vltimus; alius intermedius; alius principalis; alius acceſſorius, & appendix Finis principalis eſt illa res, quæ præ alijs obijcitur voluntati; & ideò dicitur *obiectum*, voluntatiſque appetitum excitat, & ideò *Bonum* appellatur. *Bonum* enim eſt, *quod omnia appetunt*, & in eo terminatur voluntatis appetitus, & finis eiuſdem motus, & idcircò *Finis* dicitur. Nam *obiectum* (ait Diuus Thomas in Commentarijs Epiſtolæ D.Pauli ad Hebræos) *idem eſt quod finis, finis & bonum idem ſunt*. Vocatur etiam *motiuum* ſaltem principale; *Ratio formalis*, & in contractibus dicitur *pretium*, vel pretio æſtimabile, ſicuti ſunt vel munus à manu, vel à lingua, vel ab obſequijs. Bonum verò eſt triplex. 1. *Honeſtum*, quod eſt conforme rectæ rationi, virtutique conſonum, & propterea dignum honore: vndè dicitur *Honeſtum*, ſeu *Honeſtas*, quaſi *honoris ſtatus*, in quo ſtat radix, ac meritum honoris. 2. Bonum *delectabile*, quod ſenſibus eſt conſentaneum, ſoletque etiam eſſe acceſſorium honeſti, ſi non ſenſibile, ſaltem intelligibile: nam Honeſta actio eſt arbor, cuius fructus eſt voluptas. Voluptas namque *perficit operationem, vt fructus quidam reſultans*: vt ait Ariſtoteles. 3. *Bonum vtile*, quod iuuat ad comparandum honeſtum, vel delectabile.

D.Thom. coment. ad Hebr. in epiſt.c.1.

Ariſt.eth. l.9.c.8.

VI. Honeſtum autèm bonum eſt Finis intentus à recta ratione: *mens* enim *omnis id expetit, quod eſt optimum ſibi, & probus obtemperat menti*; ait Ariſtoteles, & confirmatur ipſius dictum ab Eccleſiaſte dicente. *Deum time, & màndata eius obſerua. Hoc eſt omnis homo*: quam Eccleſiaſtis deffinitionem pluribus confirmat, & explicat Cornelius à Lapide referens hanc Epicteti ſententiam. *Hominis nomine dignus non eſt, qui virtutis ſtudioſus non eſt*. Igitur ordo naturæ, Deique naturæ conditoris hic eſt: vt homo in primis appetat bonum Honeſtum: deindè comitem percipiat delectationem, bonoque *delectabile* gaudeat. 3. demum vt conſequatur priora, eligat bonum *vtile*; ſi verò prius velit delectationem operationis

Ariſt.eth. l.9.c.8. Eccl.c.1.

Corn.in 12 verſ.13.

co-

Digitized by Google

comitem, quam operationem delectationis parentem, inuerteretur ordo, occurretque defectus, ſaltèm leuis, qualis nobis in Patriarcha Iacob pingitur. Ipſe enim prius Rachel iuniorem deſponſare meditabatur; ſed Socer Liam natu maiorem (vt decebat) dedit: ſic non decet malle priùs delectationem, quæ poſt operationem eſt optanda, ſaltèm ordine dignitatis, & cauſæ: verum ſi ob delectationem ſolam excludendo [quantum in ipſo eſt] ipſam operationem, operari vellet, grauis foret ordinis peruerſio. Caueant ergò omnes, ne imitentur ad literam eumdem Patriarcham Iacob, qui benedixit prius iuniorem nepotem, quam natu maiorem: ſic ne prius intendant in voluptatem poſteriorem, quam in operationem, quæ prior intendi debet: multò magis ne excludant ipſam operationem, quam recta ratio intendit. Gen.c.19. Gen.c.48.

VII. Notandum videtur, quod diſpoſitio in moralibus, non neceſſariò producens effectum, ſed liberè etiam, & ciuilitèr vocatur *Excitatiuum*, ac *Alliciens*; quia ſicut aſtra inclinant, ſed non cogunt; ſic eiuſmodi diſpoſitio: quæ ſicut gratia Dei excitat, ſed non cogit, & petit, ac expectat conſenſum; ſed non exigit, hoc eſt non compellit. [Exigere enim in ciuilibus videtur eſſe compulſio] ſicut Angelus excitauit, & allexit Petrum; ſed non compulit ad ſequendum ſicut alter Angelus coegit Lot egredi de Sodomis manu eius appræhenſa. Sic qui diſponit alium ad liberè dandum, vel faciendum etiam Ciuilitèr ex debito gratitudinis excitàt: qui verò obligat ex Iuſtitia, ciuilitèr cogit, & non ſolum diſpoſitionem ad obligandum; ſed formalem obligationem cogentem ad dandum, vel faciendum ingerit, ac inducit, vel in re, vel in voto, ſi (quantum in ipſo eſt) vellet in animo ſuo, & corde alium efficacitèr obligare. Ex huiuſmodi doctrina quamplures clareſcunt errores. Gen.c.19.

CAP. XIV.

Aliæ claues Morales ex dolis, ac Fallacijs.

I. Virtuti vitium inſidiatur, vnoque gradu ab illa diſtat. *Malum enim ex ſingulis defectibus*: vicinumque virtuti oſtium habet, illiuſque ſpecie laruatum apparet; vti Sanctus Gregorius Papa aſſerit dicens, quod *plerumque vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur*: Nam & ipſe Sathanas (Pater, ac Magiſter vitiorum) ſe transfigurat S.Greg. Pap.2.c.1.

in Angelum lucis; quamobrèm magnoperè cauendum, ne decipiamur ſub ſpecie recti, & boni finis, & quod nobis videtur lumen ad ambulandum, non ſit illuſio ad cadendum; vt Ipſemet Chriſtus monet dicens: *vide, ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.*

S.Mat.c.6.

II. Accidit alia deceptio non minus vitanda, cum aliqui [concupiſcentia tranſuertente ſenſum] negligunt cautionem, & eligũt in corde ſuo bonum, vel vtile, vel delectabile omiſſo Honeſto; cuius tamèn colore, ac pallio illud induunt, ac ſibi, alijſq; bonum perſuadere tentantes, dicunt malũ, bonum, tenebras lucem, & excogitant Subtilitates, Reflexiones, Præciſiones, mutant nomina; transfigurant res; & ſicut Rebecca, ſic & ipſi veſtibus Eſau valdè bonis induunt Iacob; *Speciem quidèm pietatis habentes* (vt ait S.Paulus) *virtutem eius abnegantes*; *Aliud eſt tamèn* (ait S.Hieronymus) *virtutem habere; aliud virtutis ſimilitudinem; aliud eſt rerum vmbram ſequi: aliud veritatem: neſcio quomodò turpiora ſunt vitia, cum virtutum ſpecie calantur*: quaſi noſtra imaginatio, ac locutio vim habeat immutandi rerum qualitates, vel ipſa poſſit abſcondere ipſi Iudici Deo rei veritatem, cordiſque noſtri arcanas intentiones cælare: non eſt autèm ſic [ait S.Paulus] Etenim *Sermo Dei eſt efficax; & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſquè ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoquè, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis*; propterea idem Apoſtolus ſcribit ad Corinthios: *Nolite antè tempus iudicare, quoaduſquè veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Mementote igitur, quod Deus ponderat verba; ſed *ſpirituum ponderator eſt Dominus* (inquit Sapiens), nèc perpendit ſubtilitates; ſed *appendit corda Dominus*. Ad hanc rem facit, quod S.Hieronymus ſcribit ad Ruſticum: *Plerique artibus, & negotiationibus priſtinis carere non poſſunt, mutatiſque nominibus eadem exercent commercia*: [& ad Bonaſum] *vocabula nos ipſi vitijs detrahentes offendimus plurimos*, quibus ſic repetendum cum Chriſto foret: *Vos eſtis qui iuſtificatis vos coràm hominibus: Deus autèm nouit corda veſtra; quià quod hominibus altum eſt, abominatio eſt antè Deum.*

S.P.Tim. 2.c.3. S.Hier. ad Celant. ep. 20.l.2. S.P.Hebr. c.4. S.P.Corin. l. 1.c.4. Prou.c.16. Prou.c.21. S.Hier. ad Ruſt.ep.13 l.2. S.Hier. ad Bonaſ.ep. 16.l.1. S.Luc.c.16

III. Alia fallacia eſt detegenda. Virtus [vt diximus] eſt finitima vitio, ſaltèm in infimo ſuo gradu, eiuſque confinia, vt latro, ac prædo graſſatur vitium; Ità vt ſi quis, vel paululùm terminos virtutis tranſgrediatur, deprædabitur ſtatim ab ipſo peccato inſidiante: *eſt enim peccatum è finibus virtutis egreſſio*: qui igitùr in finibus vult ambulare, facilè egredietur foras: vndè dicebat S.Paulus: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*: quià (vt explicare videtur Clemens Alexandrinus apud Cornelium à Lapide) *qui faciunt*

S.P. Cor 1. c.10. Cor. in ep. D.Pau.ad Cor.1.c.10.

ciunt, quidquid licet, facilè dilabuntur, vt faciant, quod non li- *Eccl.c.3.*
cet; hinc *Sancti Viri* (ait S.Gregorius Papa) *habent hoc proprium,* *S.Greg.*
vt ſempèr ab illicitis longè ſint, à ſe plerùmque etiàm licita abſcin- *Dial.l.4.*
dunt. Nàm *qui amat periculum* [ait Eccleſiaſticus] *peribit in il-* *c. 11.*
lo. *Eſt* autèm *periculum timendæ rei appropinquatio* (ait Ariſtote-
les). Nàm *Confinia virtutis ſunt vitiorum* [ait Seneca]. *Virtus* *Ariſt.rhet.*
enim eſt medium intèr extrema contraria (vt dicit Ariſtoteles), & *l.2.c.5.*
è confinibus facilis eſt excurſus; hinc fortè alludit Eccleſiaſtes di- *Sen.ep.120*
cens: *nè ſis iuſtus multum*: quià *ſummum Ius, ſumma iniuria*; *Ariſt. eth. l.2.c.6.*
hoc eſt nè accedas ad extremos fines virtutis, quià in his, cùm fini- *Eccl.c.7.*
tima ſint vitia, facilè laberis; *qui enim à nullis refrænat licitis, vi-*
cinus eſt illicitis [inquit S.Auguſtinus]. Sunt enim lubrici confi-
nes, & præcipites rupis oræ, nèc homo propriæ virtuti fidere de- *S.Aug. to.*
bet; imò diffidere; vt monebat illuminatiſſimus S.Philippus Ne- *9 de vtil. ieiunij c.5.*
rius. Sicut enim non poſſumus ponderare pondus ignis; vti Deus; *S.Philip.*
nèc poſſumus imperare mari, dicentes cum Deo: *Huc vſquè venies,* *Ner.vit.l.2*
& non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos; *c.17. n.14. Iob.c.38.*
ſic nèc pondus, nèc impetum fomitis ad malum librare; nèc paſſio-
nibus cordis imperare (eſt enim cor quaſi mare feruens vt dicit
Iſaias) quarè fit, vt quod eligebatùr prius ſub ſpecie boni, eligitur *Iſa.c.57.*
indè, & ſi malum euaſerit: hinc S.Philippus Nerius cuidam iuueni
Logicæ ſtudenti, & cum ſorore innocentèr ludenti, dixit: Scias; *S.Philip.*
quià Dæmon optimus eſt Logicus, imò & Sophiſta peſſimus, & do- *Ner.vit. l.*
cebit quandòque te abſtrahere, ac præſcindere à conſideratione, *2.c.7.n.15.*
quod ſit ſoror, remanebitque ſola ratio, quod ſit fæmina, & deci-
piet te: Nàm *qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber*; hoc eſt, qui *Eccl. c. 10.*
munimenta, ac cautelas amouet, facilè in tentationes, & morſus
incidet Diaboli (vt exponit idem Cornelius ibidèm), *Non ſolùm à*
malo, ſed ab omni ſpecie mala abſtinete vos; præcipit Apoſtolus. *S.P Cor. 1. c.10.*
Accedit & alia ratio. Nàm aliqua bona (vt diximus) ſunt conter-
mina malo, vt ſimplices, & imperiti ea minimè diſcernant; *benè*
nàmque *diſtinguere non eſt multitudinis imperitæ* (dicit quidam
Philoſophus;) vndè fit, vt ea intuentes, mala eſſe cenſeant, & indè
ſcandalizentur ſcandalo puſillorum [quod Charitas etiàm vitare iu-
bet]: vndè idem Apoſtolus iterùm ſubdit: *Omnia mihi licent; ſed* *S.P.Cor. 1. c.8.*
non omnia ædificant; ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non man-
ducabo carnem in æternum; nè fratrem meum ſcandalizem. Quo-
tiès autèm hoc contingit, quod reſponſa laxorum Theologorum
ſcandalizant puſillos; imò, & firmos: multò magis ſi idem Theolo-
gus libera vtens opinionum electione (vt dicunt) vni reſpondeat ex
vnius auctoris ſententia; alteri ex aduerſarij ſenſu det reſponſum:
vti ſæpè proprijs auribus conqueri de huiuſmodi reſponſionum ua-

Digitized by Google

riatione, ac ſententiæ inconſtantia audiui; quaſi Theologia ſit Ars illuſoria, & uenalis, cui pluris, cui minoris: undè patet ex huiuſmodi nouo opinandi modo, & periculum operantis, & alienum oboriri ſcandalum: undè plures labeſcunt. Poſterioribus hiſce duobus permotus rationibus, Summus Pontifex Innocentius Vndecimus damnat ſequentes propoſitiones, *vt minimum tamquàm ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas*; & quià approximant operantem ad periculum, & quià puſillis ſępè ſunt ſcandalo. Vlteriùs.

Innoc. in præf. prop.

IV. *Finis neceſſaria facit ea, quæ ſunt ad finem*; dicit etiam Ariſtoteles, ac medijs ad ipſum ordinatis communicat ſuam bonitatem: Hoc autèm uerum eſt, cùm media ſunt adiaphora, ſeu indifferentia, nèc bona, nèc mala moralitèr; ſecùs bonitas finis non honeſtat malitiam mediorum [ut dictum eſt prima parte cap. 2.] & hic animaduertendum eſt ualdè (ait S. Franciſcus Saleſius); quià Finis eſt ueluti Sol, cuius pulchritudine capiti complures fixis oculis ipſum reſpicientes, hallucinantur, nèc aſpiciunt, quà ambulant, uel quò uadant, & hinc corruunt; eo magis, quo qualis unuſquiſque eſt, talis ei finis uidetur; [ut fatetur Ariſtoteles] & iuxtà diſpoſitionem oculi videtur color: fitque quidam circulus vitioſus: habitus, ac diſpoſitio operantis facit, vt finis ei videatur bonus, & bonus finis facit, vt videantur bona, & reliqua, ſcilicèt tàm affectus operantis, quàm media; ipſeque homo, cùm ſit cauſa ſui habitus, ac diſpoſitionis, eſt etiàm cauſa, quod finis appareat ei talis: ſic docet Ariſtoteles. Notandum etiàm videtur, quod in qualibet actione duo conſiderantur potiſſimùm. 1. *actio ipſa*, ſeu *opus*, & *ſubſtantia actus*, *reſque præcepta*, quæ exprimi ſolet verbo logicè ſumpto; V.G. *colo*. 2. *modus*, qui aduerbio explicatur, & determinat, ac rem ipſam explicat. *Eſt enim modus adiacens rei determinatio*. V.G. colo Deum deuotè: deuotè eſt aduerbium, ac modus. Finis autèm diſtinctus ab opere præcepto, eſt modus: Nàm *intentio Finis eſt quidam modus formalis actus ordinati ad finem*: vt docet D. Thomas. Virtus autèm, ac meritum potiùs in modo, quàm in opere conſiſtit: vt idem D. Thomas docet in Commentarijs etiàm Epiſtolæ ad Corinthios. *In actibus* [ait] *virtutum duo ſunt. 1. ſpecies actus. 2. modus agendi. Non ſufficit quod ſolùm operetur actum virtutis ſecundùm ſpeciem: niſi etiàm ſecundùm debitum modum operetur*: quam Doctrinam docet etiàm Ariſtoteles, & cum eo Cornelius à Lapide commetans Caput ſextum Sapientiæ, & confirmat Spiritus Sanctus dicens: *qui cuſtodierint iuſta iuſtè, iuſtificabuntur*: vndè dicitur, quod *Deus remunerat non verbum, ſed Aduerbium*: verùm aduertendum, quod *modus* eſt duplex. 1. eſt *intrinſecus*, & eſſentialis actui, vt ſit actus humanus dignus pœna, vel præ-

Ariſt. eth. l. 3. c. 4.

S. Tho. in q. 100. a. 10

S. Thom. com. Corn. 2. c. 8. lect. 1.

Ariſt. eth. l. 2 c. 4.

Sap. c. 6.

Digitized by Google

præmio, & hic in tribus conſiſtit: Primò, vt ſit *à cognoſcente* ſingula; (vt dicit Ariſtoteles, & D.Thomas). Secundò *voluntarius*. Tertiò autèm *liber*; Vndè Eccleſiaſticus dicit; *qui potuit tranſgredi, non eſt tranſgreſſus*; & S.Paulus repetit ad Corinthios: *non ex neceſſitate*; *ſed poteſtatem habens ſua voluntatis*. Hæ tres conditiones requiruntur, vt actus ſit humanus, obnoxius pænæ, vel præmio: animaduertendum eſt, quod quælibet ſpecies virtutis, ac præcepti habet ſuos modos intrinſecos, & *eſſentialia ſpecifica*, quæ ineſſe debent, vt virtus, ac præceptum in ſpecie exerceatur; & hoc ſatis patet. 2. Alius eſt *modus extrinſecus*, ſeu accidentalis operi; uel actui; cuiuſmodi ſunt cæteræ circumſtantiæ, quæ actum comitantur; ueluti ſi fiat proptèr hunc, uel alium finem; hoc, uel illo affectu: diligentèr; vel negligentèr; delectabilitèr, vel tepidè, firmitèr, vel infirmitèr. Primus modus, cùm ſit intrinſecus operi precepto, præcipitur cum ipſo opere. Nàm præceptum imponitur homini, non belluæ, vt humano modo, ac more adimpleatur: ſcilicèt cum 1. *cognitione*. 2. cum *voluntate*. 3. & cum voluntatis *libertate*: Alter modus non præcipitur ab humano Legislatore, cùm præcipitur præcisè opus; niſi & ipſe modus nominatim præcipiatur. Hæc docet D.Thomas, & alibi diſſeruimus: Deus autèm non ſolùm vult opus, ſed & modum operis: nèc actum virtutis reſpicit; ſed potiùs cauſam, ſiuè intentionem, cum cæteris circumſtantijs: vult enim adorari *in ſpiritu, & veritate*, ac integritate operis.

Ariſt. eth. l.3.c.1. S.Tho.1.2. q.100.a.9. S.P. Cor.1. c.7.

D.Tho.1.2 q.100.ar.9 10. S.Io.c.4.

CAP. XV.

De Prudentia, & Probabilitate.

I. CÆteris virtutibus communis eſt *Prudentia*, & per omnes quoquè virtutes vagatur *Probabilitas*; idcircò cæteris præponuntur hic. Prudentia eſt Conſiliaria, imò Dux, ac Diretrix virtutum. Nàm hæ finem, ac bonum ipſarum virtutum reſpiciunt, ac intendunt: Verùm quo medio, quaue via ſit comparandum, ignorant: ſuntque virtutes ſicut Tobias Filius, qui ad Imperium Patris in Rages Ciuitatem Medorum proficiſci cupiebat, at viam neſciebat; Vndè opus illi fuit Angelus Raphael Ductor eius: ſic Prudentia virtutes manuducit ad bonos ipſorum Fines.

II. Prudentia (vt patet ex dictis ſuprà) plumbeo pergit pede; hinc monet Eccleſiaſticus, dicens: *Antè omnia opera verbum verax præcedat te, & antè omnem actum conſilium ſtabile*. Verbum au- *Eccl c.37.*

tèm

Digitized by Google

tèm verax, ac ſtabile conſilium innititur (ad minus) duobus teſtibus, omni exceptione maioribus (vt diximus pluriès) & Chriſtus cum Moyſe confirmat, dicens : *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum:* Sic probabilitatis ſententia duobus ſaltèm Auctoribus omni exceptione ſuperioribus innititur; imò quatuor: (vt ſuperioribus partibus iàm dictum eſt ſeptuagiès.)

S. Math. c. 18. Deut. c. 17. Vid. p. 2. c. 18. P. 3. c. 1. 2. 3 4 8 9. 20. 21.

III. Prudentia, ſi legis, rationiſque veritatem apertè non conſpicit, eius ſaltèm (vt nupèr diximus) certam ſimilitudinem reſpicit: Verùm ſi eidem alia veriſimilior innoteſcat, hanc ſequitur (vti pluriès etiam ſuperiùs aſſeruimus, iterumque aſſerimus ſequentibus (præter iam dictas) moti rationibus: nimirum; ſi potentia appetat, ac indigeat lumine vſque ad octo gradus, pauciores eidem non ſufficient, nec ſatisfacient :(vt patet) nec opus eſt probatione. Vndè ſi offeratur lumen, vt duo, & aliud, vt quatuor: hoc appetet, & alterum reſpuet; vtpotè magis alienum à ſuo appetitu, & indigentia; quod patet etiam in ordine gratiæ: vndè dicebat Sanctus Paulus. *Nunc cognoſco ex parte : tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum:* interim *ſequor* [ſcribit idem], *ſi quomodò comprehendam, ſicut & comprehenſus ſum;* & Sanctus Petrus hortabatur dicens : *creſcite in cognitione*, &c. nam *iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem*, ait Salomon. *Idcircò hoc oro* (ſcribit iterum Sanctus Paulus), *vt Charitas veſtra magis, ac magis abundet in ſcientia, & omni ſenſu*; & Corinthios monet, dicens. *Æmulamini Chariſmata meliora.*

S. P. Cor. 1. c. 13. S. P. Phil. c. 3. & Theſ. 1. c. 4 S. Pet. 2. c. 3 Prou. c. 4. S. P. Phil. c 1. S. P. Cor. 1. c. 12.

IV. Intellectus igitur noſter, cum appetat, ac indigeat veritatis certitudine, ac eiuſdem lumine vſque ad octo gradus, vel in Principijs per ſe notis, vel in ſcientificis concluſionibus ex eiſdem deductis: vel demùm in clara, & intuitiua ſummæ veritatis cognitione, non quieſcit in minori lumine: Natura namque eſt principium motus, donec in ſuo termino quieſcat plenè : & *natura ſempèr deſiderat id, quod melius eſt* [ait idem Ariſtoteles]. Idem agit gratia; excitat ſempèr, & profitetur Deo cum Dauid: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Si igitùr offeratur lumen; vt duo, & aliud, vt quatuor, ad maius reſpiciet, & feretur intellectus, ſicut & voluntas. Nam deſiderium Intellectus; [ſic loqui liceat] eſt veritas bonitatis, & appetitus voluntatis eſt bonitas veritatis (nam verum & bonum re ipſa coniunguntur); ſicut igitur appetit duos gradus luminis: quia pars ſunt maioris luminis, vt octo ab ipſo deſiderati: Ergò multò magis appetet lumen, vt quatuor: etenim ſi duo gradus lucis faciunt rem appetibilem: quatuor facient appetibiliorem; nam *tale additum tali, facit ipſum magis tale*; vt ait Ariſtoteles. Ergò intellectus feretur in quatuor, relictis duobus, &

Ariſt. de Gen. & cor. Ariſt. Top. l. 3. c. 4.

vo-

Digitized by Google

voluntas (ſi rationabilitèr volet) eliget itèm quatuor omiſſis paucioribus: natura ſiquidèm (quoad fieri poteſt) tendit ſempèr, ac appropinquat termino ſuæ perfectionis, & quietis.

V. Lumen in intellectu nihil eſt aliud, quam manifeſtatio veritatis, ſecundum Diuum Paulum ad Epheſios: *omne quod manifeſtatur, lumen eſt*; vt etiam docet Diuus Thomas. Probabilitas manifeſtat aliqualitèr veritatem; Ergò aliquale lumen eſt. Si ergò probabilitas, vt duo lumen eſt. Probabilior, vt quatuor, maius lumen eſt: iuxta ſuperius axioma; quod *tale additũ tali, facit ipſum magis tale*. Lumen autem minus offuſcatur à maiore, & *vbi maior minor ceſſat*: nam docet D. Thomas cum experientia, *lux maior euacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis*: *Si duo* (ait Idem) *lumina accipiantur eiuſdem ordinis, minus offuſcatur per maius*. Eadem ſentit, ac docet S. Hieronymus apud Caſſiodorum in Pſalm. *61*. *Lampas ſtellæ comparatione non lucet*; *Stellam lunæ confer, & cæca eſt*; *Lunam Soli iunge, non rutilat*; *ſic omnia vana fiunt, quæ dum melioribus comparantur, fulgore proprio minuuntur*. Probababilitas eſt lumen minus probabiliore. Probabilior eſt lumen maius probabilitate; ergò hæc offuſcabitur, & euaneſcet in eodem intellectu circà eamdemmet rem ſtudioſo: & hoc ipſum videtur innuere Sanctus Petrus, dicens: attendendum eſſe minori lumini, *veluti lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donèc Lucifer oriatur*. Ergò euaneſcit Probabilitas, comparente Probabiliore; Ergò hanc ſuperſtitem lucem (ſi non vult ambulare in tenebris, ac prætèr rationem) ſequi oportebit. Prætereà Intellectus eſt tamquàm tabula raſa [vt dicit Ariſtoteles, & Sapiens dicens] *dabit cor ſuum in ſimilitudinem picturæ*. Probabiliores rationes ſunt colores. Probabiliores ſunt colores contrarij, vel diuerſi. Cùm verò vni picturæ alij colores ſuperponuntur, euaneſcunt debiliores.

D. P. Eph c. 5. *S. Th. 1. q. 106. ar. 1.* *S. Tho. 3. q. 5. ar. 4. ad 1. & q. 9. ar. 1. ad 2.* *Caſſiod. in pſal. 61.* *S. Pet. 2. c. 1.* *Ariſtot. de Anima l. 3* *Eccl. c. 38.*

VI. Animaduertendum autèm hìc; quod non agitur de ſequendo, quod melius ſit, cùm agitur de ſequenda probabiliore; ſed diſſeritur de ſequendo bono; ſed bono certo, relicto quandòque meliore. V. G. Quæritur, an poſſint recitare præces, qui interſunt Miſſæ diebus feſtiuis; vel teneantur comitari ſpiritu celebrantem Diuina Myſteria; probabilis dicitur *negatiua*; probabilior *affirmatiua*; & tamèn non videtur de meliore; ſed de certiore: nàm homo veritatis certitudinem deſiderat, ſicut & euidentiam: homo enim natura ſcire deſiderat; ſcire autèm eſt veritatem cognoſcere euidentèr, & certò: Si verò nequit euidentèr, & certò ſimul, ſaltèm certò; Ergò ſi plura, & rationabilia probent vnum; pauciora, & minus rationabilia aliud; pluribus, &c. credet tamquàm teſtimonijs veri boni ab eo quæſiti, relictis paucioribus numero, & fide inferio-

rioribus; ſecùs prudentèr non ſe geret; ſed inſipientèr quemadmodùm fecit Roboam Rex Iſrael, qui *derelicto conſilio ſeniorum*. 1. (probabiliore) ſequutus eſt conſilium Iuuenum (probabile). Nam *in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia* (ait Iob): & propterea monet Eccleſiaſticus. *In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & Sapientiæ illorum ex corde coniungere. Si dilexeris audire, ſapiens eris*. Vndè idem Eccleſiaſticus concludit quod: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens*; Hinc patet ſapientèr proſcribi Neotericorum ſententias dicentes.

Reg 3.c.12 — Iob.c.12. — Eccl.c.6. — Eccl. c. 39.

Alex.VII. 27. *Si liber ſit alicuius Iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem*. Contra vid.n.2.3.& ſup,c.7.

Innoc.XI. 2. *Probabilitèr exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem*. Contra vide num. 4. 5. 6. vide part. 3. cap.6.7.

Innoc.XI. 3. *Generatim, dum Probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca quantumuis tenui, modò à Probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſempèr prudentèr agimus*. Contra vide n. 3. & part.3.c.11.n.4.

Innoc.XI. 4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*. Contra vide n.5. 6. & parte 3.c.4. num.9. c.6.n.4.

CAP. XVI.

De Fide.

S.P.Heb. c. 11. I. F*Ides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, & argumentum non apparentium*, deffinit D.Paulus: eſt etiam initium, ac fundamentum totius vitæ chriſtianæ ac virtutum baſis, quæ virtutes, vt Columnæ ſpirituales, ſuper fidem locantur.

II. *Argumentum non apparentium*; quia fides eſt de non viſis, ac ineuidentibus. Nam *quæ apparent, non habent fidem. ſed agnitionem, nec fides habet meritum. Vbi humana ratio præbet experimentum* (vt dixit Sanctus Gregorius Papa); quarè, quæ creduntur, non demonſtrantur *poſitiuè* eſſe vera; ſed *negatiuè*, hoc eſt, non eſſe impoſſibilia, nec poſſe afferri argumentum contrarium, quod non ſoluatur à Fidelibus. Verùm etſi non demonſtrentur eſſe *vera*, demonſtrantur tamèn eſſe adeò *veriſimilia* per plura, ac diuerſa rationabilia motiua, vt Pſaltes canat. *Teſtimonia tua Domine, credibilia*

S Greg. hom. 26.in Eu. — Pſal.92.

Digitized by Google

lia facta ſunt nimis; & Chriſtus profitetur neminem in præſentiarum, cui Euangelium ſufficientèr proponatur, poſſe excuſari.

III. *Si non veniſſem* (inquit) *& locutus non fuiſſem eis, peccatum non haberent*; *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Vndè Ricardus à S. Victore dicebat. *Domine, ſi error eſt, à te ipſo decepti ſumus*. quia verò, & ſi credibilia facta ſunt nimis, non ſunt tamèn clara, idcircò, requiritur voluntatis pia affectio mota à Deo per donum fidei, quæ ob infallibilem Diuinæ veritatis auctoritatem *captiuat intellectum* in obſequium Chriſti (vt inquit S.Paulus, & D.Thomas]. S.Ioã.c.15. Ricard. S. Vict.l.2.c. 2.de Trin.

IV. Igitur *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit*; *qui verò non crediderit, condemnabitur*: *quia ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*; dicit D.Paulus. Vndè liquet *Fidem* eſſe neceſſariam de neceſſitate medij, vt Finem Fidei, quæ eſt ſalus æterna, conſequamur (vt dicit S.Petrus) ac etiam de neceſſitate præcepti; quia ſi condemnatur, qui non credit. Ergò peccat non credendo: qui autem peccat, aliquod præceptum violat, quia, *vbi non eſt lex, nec præuaricatio*: docet D.Paulus, & confirmat Ipſemet Chriſtus, dicens; quod, *cum venerit Paraclitus, arguet mundum de peccato*; *quia non crediderunt in me*. S.P.Cor.2. c.10. S.Tho.2.2. q...ar.9. S. Mar. c. 16. S.P. Hebr. c.11. S.Petr.1.c. 1. S.P.Rom. c.4. S.Ioa.c.16.

V. Credenda ſunt autèm potiſſimum omnibus, & omni tempore, quod *Deus* ſit *Ens Entium*, & *Cauſa Cauſarum*; & deindè quod prouidentiam habeat eorum, quæ condidit. *Accedentem enim ad Deum* [ait Sanctus Paulus] *oportet credere, quod ſit, & quod Remunerator ſit*. S P. Heb. c.11.

VI. Credenda Iudæis implicitè fuerunt Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & adorandæ Incarnationis. Omnes enim ſaluabantur per Fidem futuri Meſſiæ. Hæc credenda implicitè Iudæis, Chriſtianis verò explicitè credi oportet. Nam Baptiſmus miniſtratur cum inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis. Sed *quomodò inuocabunt, in quem non crediderunt* (ait Sanctus Paulus) propterea mandat Apoſtolos Chriſtus; vt prius edoceant gentes, deindè baptizent. *Euntes docete, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Sic docet etiam Cathechiſmus Romanus, & S.Thomas. Non ſolùm autèm eſt credendum; ſed. S.P.Rom. c.10. S.Math. c.28. Cath.p.1. de 1. art.

VII. Fidei actus ſunt iterandi. Nam homo, dum viuit in terris, viator eſt ad Cçlũ; uiator uerò ſi conſiſtat in primo greſſu, deſinit iter habere, nèc ad Patriam perueniret; vndè D. Paulus ſcribit ad Corinthios: *Sic currite, vt comprehendatis*; vti ſe feciſſe ſcribit ad Timotheum; dicens; *curſum conſumaui*. Si igitùr properamus ad Patriam Paradiſi, Fides exercenda eſt per actus repetitos: Nàm ſect.10. S.Tho.2.2. q.2.a.7.8. S.P.Cor.2. c.9. S.P.Tim. 2.c.4.

Digitized by Google

S.P.Cor. 2. c.5. *per Fidem ambulamus*, (inquit S.Paulus) *& accedere ad eum, eſt credere*: inquit S.Auguſtinus: Itèm: *Iuſtus ex Fide viuit*: vt ſcri-
S. Aug. in Pſ 33. bit S.Paulus: nimirùm, vel quià fide formata eſt veluti animæ vita; vel quià, ſicut pane viuit homo ſecundùm carnem; ſic Fide viuit
S.P.Rom. c.1. ſecundùm ſpiritum: vndè dictum eſt, quod *non in ſolo pane viuit*
S.Mat.c.4. *homo; ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: ſicut igitùr panem quotidiè comedimus; ſic & Fides frequentèr eſt exercenda:
S.P.Cor. 2. c.4. vndè D.Paulus dicit, quod *homo, qui intus eſt, renouatur de die in diem*. Nàm ſi fide viuit homo, Fide continua operatur. *Eſt* enim
Ariſt. eth. l.10.c 4. *vita operatio quædam*: [vt ait Ariſtoteles] quarè alibi ſubdit D.
S.P.Phil. c.3. Paulus; *quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum*: vbi pluribus idem probat Cornelius à Lapide. Etenim *in via Dei non progredi, regredi eſt*. Caro nàmque concupiſcit aduersùs ſpiritum, qui ſi ſtrenuè carni non reſiſtit per virtutum actus, ſuperabitur; vndè dicit Chriſtus, quod *Regnum Cælorum*
S.Mat.c 1. *vim patitur, & violenti rapiunt illud*; Hinc dicit etiàm Sapiens;
Prou.c.4. quod *iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſquè ad perfectam diem*; & ſimilitèr de anima fideli decantatur; *quæ*
Cant c 6. *eſt iſta? quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*; Hinc hortatur D.
S.Pet. ep.2 c.3. Petrus; *Creſcite in gratia, & cognitione Domini Noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti*; imò idem S.Petrus ſatis apertè hanc veritatem
Idem 2.c.1 docet ſequentibus verbis, ſi exactè perpendantur. *Fratres* (ait) *magis* (nota non ſimplicitèr tantùm) *ſatagite* (nota iterùm agendum eſſe non parcè; ſed ſatis) *vt per bona opera* [nota, non opus vnum, ſeu actum ſolum], *certam veſtram vocationem*, ſcilicèt ad fidem. Ergò iterandi actus Fidei; cum 1. *magis*. 2. ſit *ſatagendum*. 3. per *opera plura*.

VIII. Quotiès verò eliciendus ſit Fidei actus, non adeò patet; verùm ex ſequenti conſideratione eiuſdem iterandi tempus agnoſci poterit. Deus efficacitèr iubet, dicendo; *Memento, vt diem Sab-*
Pſal.45. *bati ſanctifices*, & per Pſaltem repetit: *Vacate, & videte, quoniàm ego ſum Deus; ſciendum* autèm (ait Liranus) *Quod per obſeruatio-*
Liran. in Iſa.c.58. *nem Sabbati hic intelliguntur omnia, quæ pertinent ad debitum Dei cultum: ſic & in præcepto Decalogi. Exodi Capite vigeſimo; Veri* autèm *adoratores adorant Deum in ſpiritu, & veritate* [vt
S.Ioa.c.4. inquit S.Ioannes): Ergò Fide, quæ veritas eſt, octauoque die Deus adorandus videtur, ſiuè implicita, ſiuè explicita, quæ Fides etſi concipiatur in corde, tamèn ſæpè edenda eſt foris in corpore. Nàm.

IX. *Prouidemus bona, non ſolùm coràm Deo, ſed etiàm coràm hominibus*; vt ſcripſit D.Paulus; idcircò virtus fidei, & cæteræ de-
S.P.Cor. 2. c.8. bent lucere oculis proximorum; *luceat lux veſtra coràm hominibus*

vt

vt videant veſtra opera bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt, (ut dixit Chriſtus) nàm *qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in Maieſtate ſua*: è contrà: *qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor, & ego eum coràm Patre meo, qui in Cælis eſt; qui autèm negauerit me coràm hominibus, negabo eum coràm Patre meo, qui in Cælis eſt*; & propthereà profitetur D. Paulus quod *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autèm confeſſio fit ad ſalutem.* S. Math. c. 5. S. Luc. c. 9. S. Math. c. 10. S. P. Rom. c. 10.

X. Iterùm profiteor me moralia moralitèr tractare, ut animabus proximi proſim, cùm præſertim moneat Eccleſiaſticus non nimis ſcholaſticè, ſed ſimplicitèr legis ueritatem eſſe quærendam; *qui quærit* (ait) *legem, replebitur ab ea, & qui inſidiosè agit, ſcandalizabitur in ea.* Eccl. c. 32. Profiteor quoquè me doctrinis minùs ſanis refragari; non Doctoribus detrahere. Ex præmiſſis igitùr innoteſcit, quàm iuſtè condemnentur ſequentes.

Propoſitiones.

1. *Homo nullo vnquàm vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Diuinorum ad eas virtutes pertinentium.* Contrà vide n. 4. Alex. VII.

4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.* Contrà vide n. 2. 3. & ſup. p. 3. c. 4. 6. Innoc. XI.

16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.* Contrà vide n. 4. Innoc. XI.

17. *Satis eſt, actum fidei ſemèl in vita elicere.* Contrà vid. n. 7. Innoc. XI.

18. *Si à poteſtate publica quis interrogetur fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt peccaminoſum per ſe, non damno.* Contrà vid. n. 9. Innoc. XI.

19. *Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Contrà vid n. 3. Innoc. XI.

20. *Hinc poteſt quis prudentèr repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* Contrà vid. n. 2. 3. Innoc. XI.

21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis, imò cum formidine, qua quis formidet ne non ſit locutus Deus.* Contrà vid. n. 2. 3. Innoc. XI.

22. *Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autèm explicita Remuneratoris.* Contrà vid. n. 5. Innoc. XI.

23. *Fides latè dicta ex Teſtimonia Creaturarum, ſimileue motiuo ad iuſtificationem ſufficit.* Contrà. Fides ad iuſtificationem ne- Innoc. XI.

Digitized by Google

D.Tho.2.2 q.1.ar.1.

ceſſaria eſt ſupernaturalis, eiuſque motiuum eſt veritas prima reuelans ; vt docet D.Thomas, imò Tridentinum.

Trid. ſeſſ. 6.can.3. Innoc.XI.

64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumuis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiàm culpabilem, neſciat Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti*. Contrà vid.n.6.

Innoc.XI.

65. *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe*. Contrà vid.n.7.8.

CAP. XVII.

De Charitate.

S.Greg. ho. 27.in Eu. S.Aug.tr. 87. in Io. S.Tho.2.2. q.23.ar.5.

I. Charitas eſt amor ſupernaturalis ergà Deum ob ſuam Bonitatem, & ergà Proximum ob Dei amorem. Vna enim eſt Charitas, qua Deum diligit homo proptèr ſe, & Proximum proptèr Deum; vt docet Sanctus Gregorius Papa, & S.Auguſtinus, & S.Thomas.

S.P.Rom. c.5. S.Hier.in Math.l.5. in c.5. Deut.c.30 S.Io.ep.1. c.3. S.P.Cor.2. c.6.

II. Charitas iſta in corde eſt; *Charitas namquè* (inquit S.Paulus) *diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; quamobrèm S.Hieronymus dicit, quod *dilectio intus in corde eſt*. *In corde tuo ſiquidèm eſt*; (ait Moyſes); *Filioli mei* igitùr [ait S.Ioannes] *non diligamus verbo, nequè lingua, ſed opere, & veritate*; *In Charitate ſanè non ficta*; repetit S.Paulus, & *ſit dilectio ſinè ſimulatione*. Nàm corde Deus, ac Proximus amandi ſunt. Hinc diſertè Dominus mandat.

S.P.Rom. c.12. S.Math.c. 22.

III. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*; *Hoc eſt maximum mandatum*; *Secundum autèm ſimile eſt huic*; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum: in his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet, & Prophetæ*. Vide ſuprà de Fide num.7. Ergò per ſe obligat Charitatis præceptum.

IV. Cùm autèm Charitas excellentior ſit viatoribus via (vt inquit S.Paulus) non eſt ſiſtendum in ea, ſed progrediendum, donèc per ipſam, veluti ſcalam Iacob, aſcendamus ad Patriæ perfectiſſimam Charitatem. Ergò vnus actus nòn ſufficit: ſicuti nèc aſcenſio ad vnum ſcalarum gradum: imò in via hac, *qui non proficit, deficit*. Homo enim *cùm nunquàm in eodem ſtatu permaneat*, ipſi *non progredi, regredi eſt*. Naturæ nàmque promptæ ad malum, niſi vis fiat veluti fluuij curſus ad malum detrahit mortalem. Ergò ſatagendum *vt per bona opera* (nota *non* vnum opus) qualia ſunt potiſſimùm

opera

Digitized by Google

opera, & actus Charitatis, *certam noſtram vocationem faciamus* (hinc reddit rationem dicti ſui S.Petrus) quod *facientes non peccabitis aliquandò*: ſicuti non abripitur à fluuio, qui iugitèr contrà fluuij ictum conatur: concludendum eſt cum D.Petro [vt innuimus] Conſtat ergò ſequentes ritè damnatas eſſe. *S.Petr.2.c.1.*

Propoſitiones.

10. *Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali.* Contrà. Nàm amor Proximi eſt ſimilis amori Dei; hic verò eſt internus. Ergò. vide n.2. *Innoc.XI.*

11. *Præcepto Proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* Contrà vide n.2. *Innoc.XI.*

5. *An peccet mortalitèr, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* Vide n.4. & ſup.c.16. num.7. *Innoc.XI.*

6. *Probabile eſt ne ſingulis quidèm rigorosè quinquennijs per ſe obligare præceptum Charitatis ergà Deum.* Vide n.3.ſup.c.16.n.8. *Innoc XI. Innoc. XI.*

7. *Tunc ſolùm obligat, quandò tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.* Contrà vide n.3.

CAP. XVIII.

De Religione, & de Sacramento.

I. SAcramentum Legis Euangelicæ eſt vas admirabile, & pretioſum magis, quàm *vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo* (de quo Eccleſiaſticus ait). Eſt enim plenum Gratia Dei, in cuius comparatione aurum veluti arena, argentum, ùt lutum computantur [ut inquit Sapiens]. Hanc igitùr, *vt aquam ſalientem in vitam æternam* ſupèr nos, & in animabus noſtris Deus (ut promiſit per Ezechielem Prophetam) ex hoc uaſe effundit: Vndè dicit Concilium Tridentinum; quod per Sacramenta: *Omnis vera iuſtitia, vel eſſe incipit, vel capta augetur, vel amiſſa reparatur.* Cùm igitùr Donum gratiæ, non ſolùm primæ, ſed & augmenti, adeò ſit pretioſum, ac ueluti per uaſa cæleſtia Sacramentum Miſericors Dominus nobis infundat; cauendum nè fractum ſit hoc uas per inualiditatem; imò curandum eſt: ut ſit integrum per ualiditatem, nè gratia Dei (ut dictum eſt) effundatur foras; grauiſſima enim iactu- *Eccl.c.43. Eccl.c.50. Sap.c.7. S.Ioa.c.4. Ezech.c.36 Trid.ſeſſ. 7. in prop.*

ra

Digitized by Google

S.Tho.1.2. q.113.a.9. ra eſt, potior quàm iactura uniuerſi (ut inquit S.Thomas,) ſi uel gradus gratiæ non comparetur.

Trid.ſeſſ. 22.c.4. II. Inſupèr, ut Sacramenta nos repleant Diuina gratia reuerentèr; imò *Sancta ſanctè ſunt tractanda*; ut indicit Tridentinum; nèc ulla res poterit nos excuſare à reuerentia Sacramentis debita. Potiùs enim debemus mori, quàm fædare peccato, & fædari: Vndè cùm ſimulatio mendacium ſit in factis, ſicut & mendacium peccatum eſt; ut dicit S.Thomas; multò magis in adminiſtratione Sacramentorum peccatum erit, & propterea reijciendæ.

S.Tho.2.2. q.111.a.1.

Propoſitiones.

Innoc.XI. 1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.* Contrà. Primò: quià Probabilior [ut dictum eſt] ſequenda probatur. Deindè, quià lex reuerentiæ debitæ Sacramentis, & damnum, vel vnius gradus gratiæ id vetant: multò magis in Sacramentis Baptiſmi, & Ordinis.

29. *Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Contrà vide etiàm infrà cap.25.& ſuprà P.1. c.22.n.22. Simulatio peccatum eſt, & mendacium in factis: vti docet D.Thomas: & præſertim in Sacris rebus, ac Sacramentis: quam ob rem nullo metu admitti debet: iuxtà illud Domini præceptum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autèm non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum, qui poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam.*

S.Tho.2.2. q.111.a.1. S.Math.c.10.

CAP. XIX.

De Confeſſione.

I. Vita æterna, quæ eſt vltima in executione, prima eſt in intentione: Nàm *Finis eſt cauſa cauſarum*, ac veluti primum mobile, quod deſiderio ſui mouet agens ad agendum, & ad capienda media conuenientia. Medium autèm ad conſequendam gloriam, eſt gratia; imò hæc eſt vita æterna inchoata: vndè dicit S.Paulus. *Gratia Dei vita æterna*. Gratia autèm Dei peccato amittitur, & amiſ-

S.P.Rom.c.

Digitized by Google

amiſſa per Sacramentum Pænitentiæ recuperatur; vt dicit Concilium *Trid. ſeſſ. 6. c. 20. & c. 11 ſeſſ. 7. Proem.*
Tridentinum.

II. Pænitentiæ verò Sacramentum ex parte pænitentis requirit cordis contritionem ex motiuo ſupernaturali: vt dicit Concilium Tridentinum: *Oris confeſſionem* omnium peccatorum mortalium in ſpecie; & numero, quæ memoriæ occurrunt: vt Concilium Tridentinum præſcribit: Nàm Confeſſarius eſt Iudex, & Medicus, quibus nota debent eſſe diſcrimina, vt iuſtè iudicet, & opportunè animæ morbis medeatur; Hinc Innocentius Tertius in Concilio generali Lateranenſi priùs ſic iubet: *Omnis vtriuſque ſexus Fidelis poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltèm ſemèl in anno fidelitèr confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam pænitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere; & c. requirit etiam Sacramentum pænitentiæ ex parte pænitentis operis ſatisfactionem* in voto, cum confitetur, & reipſa poſt iniunctam pænitentiam; vt integrum ſit opus. *Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Trid. ſeſſ 4 c. 9. Decret. l. 5. tit. 38. c. omnis de pænit.*

III. Ex parte Sacerdotis abſoluentis poteſtas requiritur, ac Iuriſdictio, eſt enim Iudex: cui opus eſt Iuriſdictio in hoc Foro conſcientiæ, & Tribunale ſpirituali, quam Ipſemet Chriſtus Diſcipulis contulit, dicens. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Sine qua ſicut Diſcipuli non abſoluiſſent; ſic nec cæteri abſoluerent: Iuriſdictio autèm confertur ab Ordinarijs per approbationem (vt declarat Tridentinum Concilium) nec abſque Ordinarij approbatione poteſt quis à peccatis abſoluere: quia vbi nulla eſt potentia, nullus eſt actus. Si autèm alicui delegetur Iuriſdictio ab Ordinario, vel Summo Pontifice, Ordinario Ordinariorum, & iterùm ei reuocetur, & auferatur, nihil aget abſoluendo, cum deſit illi poteſtas. *Omnis enim res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur*; vt inquit Summus Pontifex. *S. Io. c. 10. & S. Ioan. c. 23. Trid. ſeſſ. 14. Trid ſeſſ. 14. c. 7. & ſeſſ. 23. c. 15. de Ref. C. Omnis de reg. iur.*

IV. Quando igitùr præcipitur Confeſſionis Sacramentum, præcipitur collectio dictarum rerum, hoc eſt præcipitur res apta ad pariendam gratiam, & gloriam; præcipitur medicamentum animæ, non venenum. Eccleſia enim ſcit, quod; *niſi abundauerit iuſtitia noſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum non intrabimus in Regnum Cælorum.* Phariſæis autèm ſic minatur Chriſtus. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, quia mundatis quod foris eſt, Calicis, & Paropſidis; intùs autem pleni eſtis rapina, & immunditia:* nec Spiritus Sanctus diffundit gratiam, niſi verum ſit Sacramentum partibus omnibus perfectum: quia alitèr eſſet vmbra, & fictio Sacramenti *Spiritus autem Sanctus diſciplinæ effugiet fictum*: vt inquit Sapiens; rectè igitur damnantur hæ. *S. Math. c. 5. S. Math. c. 23. & S Luc. c. 11 Sap. c. 1.*

Pro-

Propoſitiones.

Alex.VII. 11. *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere*. Contra. vide n. 2. *Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil*: vt ait S. Bernardus de Conſiderat. lib. 2. c. 8. ſunt autem confitenda quæ occurunt memoriæ indiſtinctè; ſed huiuſmodi occurrunt; ergò Confeſſori manifeſtanda.

Alex.VII. 14. *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Contra. vide n. 4. vide etiam ſup. p. 1. c. 22. n. 22. & p. 4. c. 14. n. 4.

Alex.VII. 15. *Pænitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pænitentiam adimpleat*. Contra. vide n. 2. proprijs viribus; ait Concil. Lateranenſe.

Alex.VII. 16. *Qui beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab ordinario*. Contra vid. n. 3.

Alex.VII. 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſſè reuocata per Concilium Tridentinum*. Contra. vide num. 3.

Alex.VII. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt Conſilium, non præceptum*. Contra. vide n. 2. Sacerdos in peccato mortali celebraturus eſt veluti debitor in termino elapſo ſolutionis, qui ſi in termino præciſè ſoluere nequit, tenetur ſaltem ſtatim, ac poteſt: ſecus, *mora ſua cuilibet eſt nociua* (ait Bonifacius VIII.).

Bon. Octa. c. mora. de reg. iur. in 6.

Alex.VII. 39. *Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. Contra. Non eſt primum, cum differtur ad vltimum, cum non poteſt vlterius differre Confeſſionem, proptèr inſtans præceptum. Sacerdos (vt dictum eſt) eſt debitor Confeſſionis, quam ſi in termino ipſo præſtare non poteſt, obligatur prima opportunitate: nam debitor *qui tardius ſoluit, minus ſoluit* [inquit Imperator]. Ergò iam peccat.

Innoc.XI. 55. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem*. Contra. Qui tenetur ſoluere aureum nummum, non ſatisfacit ſoluendo adulterinum; & qui tenetur comedere cibum ad vigorem vitæ, non ſatisfacit immiſcendo cibis mortiferum venenum. Vide etiam c. 14. n. 4. & p. 1. cap. 22. num. 22.

Innoc.XI. 56. *Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui genti-*

tilitèr viuunt, eſt nota prædeſtinationis. Contra n.4. & ſup. P.1. c.22.n.12.

57. *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò hone-* Innoc.XI.
ſtam. Contrà vide n.2.

58. *Non tenemur Confeſſario interroganti, fateri peccati alicuius* Innoc.XI.
conſuetudinem. Contrà vide n.2. Confeſſarius eſt Iudex, cui paren- Innoc.XI.
dum, & eſt Medicus, cui detegendus plenè morbus.

59. *Licet Sacramentalitèr abſoluere dimediatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus Pænitentium, qualis V.G. poteſt contingere in die magna alicuius feſtiuitatis, aut indulgentiæ.* Contrà n.2. Vide etiàm ſuprà Par.4.c.14.n.4.

60. *Pænitenti habenti conſuetudinem peccandi contrà legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nèc eſt neganda, nèc differenda abſolutio: dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* Contrà vide n.4. & P.1.c.22.n.22. & videtur ſapere errorem damnatum à S.Gregorio Septimo de falſis
pænitentibus, qui perſeuerantes in peccatis abſoluebantur; vti Ba- Baron. an.
ronius refert. 1079 n 36

CAP. XX.

De Iuramento.

I. C*Ælum, & terram ego impleo*: dicit Immenſa Dei Maieſtas:
& omnium, quæ fiunt, & dicuntur in vniuerſo terrarum Or- Ierem.c.23
be, *Ego ſum teſtis, & Iudex*: ſubdit idem Deus per Ieremiam. Ieremc.29.

II. Teſtis autèm iſte immenſæ Maieſtatis non eſt rogandus; *niſi*
Veritate, Iudicio, & Iuſtitia; ait Ieremias, & cum eo Catechiſmus Ierem. c.4.
Romanus, & D.Thomas. *In Iudicio*; eſt rogandus nè pro minima Cath Ro.
re, ac ioco adhibeatur teſtis, quem adorant Dominationes, tre- p.3.ſeſſ 11.
munt Poteſtates. *In Iuſtitia*: eſt enim & ipſe Iudex iuſtus, & rectus, de iuramen:
oditque iniquitatem. *In Veritate*: eſt enim Deus veritatis, & veri- S.Tho.2.2.
tas ſumma. q 89.ar. 3.

III. Ergò cauendum quomodò vocetur in Teſtem, nèc ludendum q.98 ar. 1.
cum eo. *Sanctum enim, & terribile eſt nomen eius*; & *Deus non* ad 12.
irridetur (vt ait S.Paulus), & ideò prouerbium Italicum quoquè Pſal.111.
aſſerit: *Scherza con i Fanti, e laſcia ſtar i Santi*: multò magis *San-* S.P.Galat.
ctus Sanctorum. c.6.

IV. Contrà hominem in iurando, vel mendacem, vel leuem, vel iniuſtum acritèr iraſcitur Deus; eique minatur per Prophetam di-

Pſal. 49. cens; *Exiſtimaſti iniquè, quod ero tui ſimilis? Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. Videtur hic iurans, profiteri Deum poſſe fieri ſibi ſocium; vel mendacij, vel iniuſtitiæ; vel profiteri videtur Deum habere proportionem cum re leui; cùm aſſumat ipſius nomen, ac magnitudinem ad hanc aſtruendam; & hoc eſt contemnere ipſius Immenſam Maieſtatem. Nàm ſicut æſtimatio eſt opinio de alterius virtute, quam opinionem teſtari ſolemus honore, ſeu externis aliquibus factis, ſignificantibus primò alienæ virtutis; deindè Dignitatis conceptum; è contrà. *Contemptus* [ait Ariſtoteles] *eſt actus opinionis in id, quod nihil dignum æſtimatur*; qui autèm vocat Deum in teſtem mendacij, vel iniuſtitiæ, videtur opinari illum poſſe cooperari, vel mendacio, vel iniuſtitiæ: Ergò non æſtimat ipſius ſummam veritatem, nèc conſequentèr dignum reputat fide, & honore. Ergò contemnit. Vndè hùc facit doctrina Sancti Thomæ, dicens, quod periurium de ſui ratione importat contemptum Dei, & *qui iocosè periurat, non euitat Diuinam irreuerantiam; ſed quantùm ad aliquid magis auget, & ideò non excuſatur à peccato mortali*. Similitèr ſi leuis rei appellat Deum in Teſtem, videtur paruifacere eumdem, cùm rei paruæ adiungat Deum, Optimum, Maximum.

Ariſtot. rhetor. l. 2. c. 2.

S. Tho. 2. 2. q. 98. ar. 3. c... & ad 2

V. Omnia verò Mundi Regna, vniuerſaque natura nihil eſt in comparatione vnius gradus Dei gratiæ: vt docet D. Thomas, & confirmat Spiritus Sanctus apud Sapientem, & in Cantico Canticorum, & cùm homo omnia hæc contemnet, pro nihilo deſpicit eam. Ergò nihil eſt, quod Dei gratiæ ſuffici poſſit; Ergò nulla erit vtilitas abutendi iuramento. Hanc Doctrinam ſonare videtur Interrogatorium 14. Concilij Coſtantienſis ſic formatum: Interrogetur. *Vtrùm credat, quod periurium ſcientèr commiſſum ex quacumque cauſa, vel occaſione pro conſeruatione vitæ corporalis propriæ, vel alterius etiàm in fauorem Fidei ſit mortale*. Hinc meritò notantur ſequentes.

Sap. c. 7. Cant. c. 8. Conſtant. Conc. ſeſſ 45.

Propoſitiones.

Innoc. XI. 24. *Vocare Deum in Teſtem mendacij leuis, non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem*. Contrà vide

Innoc. XI. Grat. cau. 22 q. 5. c. quacumq; & c humana aures. 25. *Cum cauſa licitum eſt iurare ſinè animo iurandi, ſiuè res ſit leuis, ſiuè grauis*. Vide etiàm P. 1. c. 22. n. 22. Contrarium huic aſſertioni ità docet S. Iſidorus Hiſpalenſis apud Gratianum dicens; *quacumque arte verborum quiſque iuret, Deus tamen, qui conſcien-*

Digitized by Google

ſcientia teſtis eſt, ità hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit; quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & Proximum dolo capit; cui ſubſcribit Sanctus Gregorius Papa apud eumdem.

CAP. XXI.

De obſeruatione Feſtorum.

I. V*Niuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Altiſſimus*; ait Salomon; hinc quamuis vniuerſum propter hominem creauerit: hominem tamèn propter ſeipſum condidit: Quamobrèm ſicut vniuerſus ſeruit ſex hebdomadæ diebus homini, hominem vult ſeptima die ſeruire Deo: quantum autèm hoc ſit curæ, cordique Deo, verba ipſa præcepti teſtantur (vt dicit Catechiſmus Romanus) dicentia: *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices*; patet etiam ex modo, quo Eccleſia Dei Feſtos dies præcipit (vt videre licet in opere æquè glorioſo, ac laborioſo inſcripto *Epitome Canonum omnium* Eminentiſſimi, non minus Doctrina, quam Purpura Cardinalis Laurentij Brancatio, *De Laurea*. Sanctificàtur autem dies feſti. 1. ceſſando ab operibus ſeruilibus. 2. ſed multò magis vacando maiori Dei cognitioni; Vndè dicit ipſemet Deus; *Vocate, & videte, quoniam ego ſum Dominus*. Scit enim Dominus, quod Deum colit, qui nouit (vt dicit Sapiens). *Noſſe te conſumata iuſtitia eſt*. 3. & propterea eidem deferendo cultum, pijs quibuſdam actionibus, & præſertim fide. *Tales* enim *quærit adoratores Deus*, *qui adorent eum in ſpiritu, & veritate*; vt docet S. Ioannes.

Prou. c. 16.

Epitome vid. Feſta.

Pſal. 45.

Sap. c. 15.

S. Ioa. c 4.

II. Hæc autèm pietatis opera exigit Deus, vt diligentèr præſtentur; ſecùs *maledictus homo* [inquit Ieremias, & cum eo Concilium Tridentinum] *qui agit opus Dei negligentèr*. Hinc monet S. Petrus, dicens; *Satagite*; & Ioſue itèm admonet, dicens; *Diligentiſſimè* [nota] *præcauete, vt diligatis Dominum*.

Ierem. c. 48

Trid. ſeſſ. 22. Decret. de obſeru. in Miſſ.

S. Pet 2. c. 1

Ioſue c. 23.

III. Opus autèm exercendum præcipuè die feſto à fidelibus, eſt intereſſe Miſſarum celebrationi; vt ſic excitentur eorum corda ad Dominum, vt commemoretur Diuiniſſimum hoc Myſterium à Chriſto celebratum, & quod à Sacerdotibus iterùm conficitur, & recolitur memoria Paſſionis eius: vt *Chriſto pro nobis paſſo, & nos eadem cogitatione armemur*: (vt inquit S. Petrus), quamobrèm Eccleſia cæremoniarum ordinatiſſima ſerie exhibet fidelibus Diuina hæc Myſteria; (vti docet S. Thomas, & cum eo idem Tridentinum

S. Pet. 1. c. 3

S. Tho. 3. q. 83. ar. 4.

Trid. ſeſſ. 22 c. 4 5.

Digitized by Google

quæ propterea cum iubet Diuinis hiſce myſterijs intereſſe; præcipit aſſiſtentiam actioni ſucceſſiuæ, ordinatæ, inſtructiuæ, commemoratiuæ plurimorum ſucceſſuum Saluatoris, ac excitatiuæ cordium noſtrorum ad Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; qui autem ſimul plures Miſſæ partes confunderet, ac penetraret, non eſſet hæc aſſiſtentia operi præcepto ab Eccleſia peragendo iuxta conſuetum, ſanctumque morem, ſed inexcogitata pietatis perturbatio: ſicut enim à Sacerdotibus vult Eccleſia celebrari ordinatè Miſſam iuxtà Rubricas: ſic vult fideles ordinatæ, non confuſæ intereſſe celebrationi; & modica deuotio, imo magna negligentia appareret, ſi ſecùs fieret; & ideò timendum, ne maledictus eiuſmodi homo foret; vndè Sanctiſſimè reijciuntur ſequentes.

Propoſitiones.

Innoc.XI. 52. *Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* Contra vide n.1.

Innoc.XI. 53. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor ſimul à diuerſis celebrantibus audit.* Contra vide n.2.3.& Caramuel Theol.Fund.p.2.n.78.

CAP. XXII.

De Celebratione Miſſarum.

S.P. Cor.1. c.4. & ad Tim.c.1. S.P Cor.1. c.9. S.Pet.1.c.4

I. SVmmus Pontifex eſt Summus diſpenſator Myſteriorum Dei, & iurè poteſt cum D.Paulo profiteri: *Diſpenſatio mihi credita eſt*; & cum Diuo Petro; *ſicuti boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*; ſicut igitur diſpenſat: ſic & benè dijudicat diſpenſanda; ſecus non eſſet diſpenſator fidelis, & prudens: ſed diſſipator. Cum ergò *de celebratione Miſſarum*, quæ eſt inter Myſteria præcipuum aliquid conſtituit, vel declarat, prudentèr egiſſe dicendum eſt, eidemque parendum: Nam *qui poteſtati ordinatæ à Deo reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ideò ſibi damnationem acquirit*; ait S.Paulus.

S. P.Rom. c.13.

Cornel. Comment. ad Cor c.9. n.52. S.P Tim. 1 c.5.

II. Sacrificium pretio non æſtimatur; eſt enim impretiabile, nec vt ſacrum vendi licet: ſtipendium verò debetur Sacerdoti pro ſua ſuſtentatione ex Iuſtitia: vt inquit Cornelius à Lapide cum Diuo Paulo; etenim, *qui Altari deſeruiunt, cum altare participant.* Dignus

Digitized by Google

gnus enim eſt operarius mercede ſua: dicit cum D. Paulo S. Lucas; S. Luc. c. 10.
cuius ſuſtentationis taxatio; ſicut aliarum rerum, à Superioribus fit.

III. Vrbanus Octauus, ſeu Sacra Congregatio Concilij Tridentini auctoritate eiuſdem pro celebratione Miſſarum ſequentia decernit. 1. Sacerdos tenetur Miſſam celebrare iuxtà eleemoſynam præſcriptam à tribuente, vel ab Epiſcopo ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ ſi tribuens non præſcripſit. 2. Si verò minorem præſcripta accipiat Sacerdos adhuc tenetur. 3. Sacerdos ratione Beneficij, ſeu Capellæ, legati, ſalarij obligatus, ſi alias eleemoſynas ſuſcipiat, non poteſt eadem Miſſa ſatisfacere. 4. Sacerdos accipiens maiorem eleemoſynam pro celebranda Miſſa, non poteſt retenta ſibi parte, alteri celebraturo dare conſuetam, ſed totam. (5. Niſi habeat titulum Beneficij cum dicta obligatione celebrandi). 6. Nèc Miſſarum onus ſuſcipiat, quod congruo tempore nequeat ſatisfacere, niſi tribuentis eleemoſynam interueniat, pro ampliori dilatione, conſenſus. Quamobrèm.

IV. Qui pro vna celebratione duplex acciperet ſtipendium, Iuſtitiam violaret, atquè fidelitatem; *fidelitas* autèm, (quæ & *Fides* aliquandò dicitur) *eſt dictorum, conuentorumquè conſtantia, & veritas: ità vt fiat quod dictum eſt: vndè fides etiàm dicitur:* vt inquit S. Auguſtinus cum Cicerone. Si verò non fiat; vbi Fides? Igitùr tolerandæ non ſunt ſequentes propoſitiones, quæ apertè diſpenſatori Myſteriorum Dei aduerſantur. S. Aug. ep. 19. ad Her. Cic. off. l. 1.

Propoſitiones.

8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiàm ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani Octaui.* Iulius Cardinalis Spinula Epiſcopus Lucanus, zelo, prudentia, cæteriſque virtutibus Eminentiſſimus æquè, ac dignitate; refert in ſua Synodo impreſſa Lucæ anno 1681. declarationem editam 25. Ianuar. 1659. à Sacra Congregatione huic Propoſitioni penitùs aduerſam. pag. 317. Alex. VII.

9. *Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.* Contrà n. 3. Alex. VII.

10. *Non eſt contrà Iuſtitiam pro pluribus ſacrificijs ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre. Nequè eſt contrà fidelita-* Alex. VII.

ta-

Digitized by Google

tatem, etiamſi promittam promiſſione etiàm iuramento firmatam danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram. Contrà 3. 4.

CAP. XXIII.

De Sollicitatione.

I. *QVi occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur. Nàm qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati:* inquit Philoſophus; ſic qui cauſam ſolicitationis præbent per litteras, ſolicitationem feciſſe dicuntur; ſicut Dauid, quià litteras dedit Vriæ, per quas ſignificabatur Duci Ioab exponendum eſſe vitæ diſcrimini; idcircò eumdem interfeciſſe gladio Filiorum Ammon Deus conquæritur per os Prophetæ Natan. *Is enim committit, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur* (ait Pontifex), *& qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.*

Act.Pont. c.ſi culpa de iniurijs, & dam. Reg.2.c.11.12. C.Mulieres de ſent.excommun. C. Qui per. De reg.iur. in 6.

II. *Non poteſt arbor mala, bonos fructus facere; nèc colligunt homines de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus:* Sic ex peccato, quod eſt mala arbor, & totum ſpinæ, non poſſunt capere aliquem fructum fideles; vndè dicit Imperator; *Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt: nè videatur* [inquit Summus Pontifex] *de ſua malitia commodum reportare.* Igitùr iuſtè reprobantur hæ.

Propoſitiones.

Alex.VII. 6. *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pænitenti Chartam poſteà legendam, in qua Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proindè non eſt denunciandus.* Contrà vide n.1.

Alex.VII. S.Tho. p.3. q.10.a.2.ad 1. 7. *Modus euadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſoluere abſquè onere denunciandi.* Contrà vide n.2. Imò non deberet illi confiteri, ſed alteri; ut docet D.Thomas.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV.

De Simonia.

I. MInor Gratiæ Dei radius, ſeu gradus, qua *Diuinæ efficimur conſortes naturæ* [ut loquitur S.Petrus] vniuerſum naturę ordinem, ac cunctos etiàm pretioſiores theſauros maximoperè excedit; Imò nihil in naturæ ordine ei poteſt comparari; (ut innuit Sapiens); undè fit, ut inæſtimabilis ſit Gratia, ac impretiabilis, nulloque pretio æſtimari, comparari, uel uendi queat. *S.Petr. 2.c. 1.* *Sap.c.7.*

II. Verùm non gratia ſolùm, ſed & Sacramenta gratiæ uaſa, omne excedunt pretium.

III. Itèm Ordines, Officiaque ad Sacramentorum adminiſtrationem, & gratiæ communicationem deputata, aliæque Sacræ Functiones nullo poſſunt comparari pretio, cùm ad Gratiam aliquo modo pertineant:

IV. Cùm uerò: *qui altari deſeruiunt, cum altare participant:* (ut ait S.Paulus) aſſignatum eſt *Beneficium* proptèr *Officium*, hoc eſt *Ius* percipiendi temporalia ad uictum ex Præbenda, ut ſatisfacere poſſit officio, quæ cùm annexa ſint ſpiritualibus, ſpiritualitatem (ſaltèm iure humano) participant. *Acceſſorium enim ſequitur naturam principalis.* *S P.Cor. 1. c.9.* *C. Acceſſorium. De Reg.iur. in 6.*

V. Sanctæ Functiones Ordinum, ac Officiorum, nulla rei temporalis æſtimatione exercendæ ſunt. Nàm S.Petrus Simoni Mago pecuniam offerenti pro accipienda ſpirituali poteſtate, ſic reſpondit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniàm Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* *Act.c.8.*

VI. Quoniam uerò, qui gratiam Dei, ac ſpiritualia dona, Officia, Functiones, Beneficia, pretio comparare ſtudent; peccato Simonis Magi (à quo Simoniaca labes, ac Simonia eſt orta) participes fiunt: Hinc Simoniacus efficitur, non ſolùm qui accipit, ſed & qui dat: vt Ipſemet Chriſtus apertiſſimè indixit: *Gratis accepiſtis, gratis & date*; niſi ad redimendam iniuſtam vexationem; ſicuti fecit Gregorius Sextus apud Baronium, vel niſi pro bono pacis à Iudicibus iubeatur litiganti: vt inquit Innocentius Tertius. *S.Math.c. 10.* *Baron. an. 1044 n.6 7* *Innoc. Ter. c niſi eſſent de prab. & dign.*

VII. Quàm damnabilis ſit contraria doctrina in Viſione à Domino didicit proprio experimento, ac docet Henricus Secundus Imperator, qui puerulus accepta à quodam Clerico Ludicra argenti fiſtula, eidem promiſſo Epiſcopatu, ad quem grandis factus eundem

dem

Baron. an. 1047. n. 10. dem nominans valdè à Deo ignita caſtigatione eruditus fuit: vt refert Baronius. Vndè reicias ſequentes.

Propoſitiones.

45. *Dare temporalia pro ſpirituali, non eſt Simonia, quandò temporale non datur tanquam pretium: ſed dumtaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contrà.* Contra. vide etiam ſupra par. 4. c. 13, n. 7. c. 14. n. 2. Innoc. XI.

46. *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic vt illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.* Contra. Vide dictis locis.

CAP. XXV.

De Pietate erga Parentes.

I. ENixè imperat Deus honorari Patrem in terris, vt ipſum, qui Pater in Cælis eſt, *ex quo omnis Paternitas in Cælis, & in terra,* diſcant homines multò ampliùs honorare; ſitque honor vnius, tyrocinium ad honorem alteriùs; habent enim omnes à Patre. 1. *eſſe*, per generationem. 2. *melius eſſe*, per educationem. 3. *bona* ad viuendum per theſaurizationem: quibus duobus ex æquo reſpondere non poſſumus; vt dicit etiam Prouerbium Ethnicum. *Dijs, Parentibus, & Magiſtris non poteſt reddi par.*

II. Honor autèm iſte includit in primis. 1. amorem: ipſe enim Pater eſt veriſſimè proximus eius: pars, ac ſanguis eſt filius, à quo habuit etiam cor, vt amet. 2. externam reuerentiam, ac 3. ſubſidium in neceſſitatibus.

III. Parentibus igitùr debemus in *corde* affectum: in *Actu* honorem: in *effectu* ſubſidium, vt multa bona conſequamur à Domino: Vndè ſic Eccleſiaſticus monet: *Qui honorat Patrem ſuum, iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur: qui honorat Patrem ſuum, vita viuet longiore: & qui obedit Patri, refrigerabit Matrem: qui timet Dominum, honorat Parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt, in opere, & ſermone, & omni patientia: honora Patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio* Eccl. c. 3.

ctio ab eo, & benedictio illius in nouiſſimo manet. Benedictio Patris firmat Domos Filiorum. Maledictio autèm Matris eradicat fundamenta. Patris autèm Cæleſtis Vicarius in terris eſt Beatiſſimus Pater Romanæ Eccleſiæ Paſtor: ſicut & Mater fidelium Romana eſt Eccleſia. Ergò honorandus Pater Sanctiſſimus, cuius benedictio plurimùm prodeſt; ſicut & Matris Eccleſiæ maledictio multùm obeſt.

IV. In hoc primo ſecundæ Tabulæ Decalogi præcepto, quæ dilectionem proximi continet, & quæ aduerſantur, remouet, & quæ conſentanea ſunt; iubet: notandum attentè, quod non ſolùm prohibemur odiſſe proximum, eiuſque perſonæ diſplicentiam habere: ſed inſupèr iubemur eum amare: vt apertiſſimè docet Sanctus Ioannes dicens, *qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Filioli mei non diligamus verbo, & lingua; ſed opere, & veritate: nam probatio dilectionis, exhibitio eſt operis*: ait S. Gregorius. *Amare autem eſt velle bonum alicui*; docet cum Ariſtotele Sanctus Thomas. Ergò proximo bona velle debemus opere, & veritate. Ergò vetamur velle illi mala. Nam ſi bona illi non volumus, defectus eſt amoris; ſi mala deſideramus, exceſſus eſt odij: nec proſunt præciſiones, vel formalitates; quia verè tenemur diligere proximum. Ergò verè velle illi bonum. Ergò non poſſumus optare illi malum; vel, *an ſimul odiſſe poſſumus, & diligere*; concludit S. Gregorius Papa.

S. Io. 1. c. 3. S. Gregor. ho. 30. in Euang. Ariſt. rhet. l. 2. c. 4. S. Tho. 1. 2. q. 26. a. 4. Vide ſup. c. 17. S. Greg. ho. 27 in Eu.

V. Ratio itèm vetat ne medium tam exceſſiuum, ac exorbitans, quale eſt hominis mors, præſertim Patris, eligatur ad comparanda bona temporalia, longè inferioris ordinis: vt Conſtantinus Magnus Imperator etiam pro ſua ſalute exemplo docuit abſtinendo à ſanguinis humani balneo; qui autem optat, labitur ſenſim ad peiora, quia: *qui ſpernit modica, paulatim decidet* (ait Sapiens). Damnentur igitur.

Vide p. 3. c. 15. n. 8.

Eccl. c. 19.

Propoſitiones.

14. ***Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris; ſed vt bonum cupientis; quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas.*** Contra *Hæreditas* [inquit Salomon Prouerb. c. 20.] *ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit.* Vide etiam ſupra par. 3. c. 15. num. 8. In praxi bonum cupientis eſt connexum cum malo Patris; ſed non licet velle Patri malum. Ergò damnanda Propoſitio. Innoc. XI.

15. ***Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrieta-***

Innoc. XI. *te perpetrato propter ingentes diuitias inde ex hæreditate conſecutas*. Contra ſuperiora aduerſantur.

CAP. XXVI.

De Homicidio.

Baron. an. 348. n. 9. I. IMperatoriæ Maieſtati tantus debetur honor: vt ipſius etiam ſtatuæ ſint colendæ, & qui has violat, grauibus pęnis ſit obnoxius, ac reus læſæ Maieſtatis: vnde Theodoſius Antiochenſes Imperatoriæ ſtatuæ violatores gladio punire meditabatur; niſi Sanctus Flauianus Epiſcopus deprecator acceſſiſſet: Imperatori ſic inter alia dicens. Si doles, Imperator, quod tua Imago mortua, ex ære conflata, violetur; memento quod homines Antiocheni ſunt Imago viua Dei, Regis Regum, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum; qua oratione placatus, illis ignouit, Imperator.

II. Tantus eſt Dei zelus ne violetur homo ad imaginem Dei conditus, vt ab ipſis etiam beſtijs vltionem ſe requiſiturum profeſſus ſit: *ſanguinem* (ait) *animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum* Geneſ. c. 9. *beſtiarum & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis; quicumque effuderit humanum ſanguinem, effundetur ſanguis illius: ad Imaginem quippè Dei factus eſt homo*: & D. Petro confirmauit dicens: *quicumque gladio acceperint, gladio peribunt*; S. Math. c. 26. vndè prouerbium eſt; *qui gladio ferit, gladio perit*; nec ſolum perfecta Dei imago violari vitatur; ſed nec imperfecta in fętu, vel ſemine: vt dicetur.

III. Solus Deus eſt vitæ hominum Dominus, nullique licet interficere quemquam, niſi ſit Princeps, Dei Miniſter, ordinatus in iram ei, qui malum agit; S. P. Rom. c. 13. propter quod gladium portat [vt dicit Sanctus Paulus]: quare ad Principem populi, eiuſque Iudices confugere oportet, ſi quis iniuriam à proximo patitur. A quo *pro menſura delicti erit, & plagarum modus*. Deut. c. 25. (vt dicit Moyſes), qui Princeps, ac Iudices morti (quæ eſt extremum ſupplicium) niſi pro grauioribus criminibus, adiudicabunt reum.

IV. Si vnuſquiſque ſeſe vlciſci vellet, propria auctoritate, & iudicio, vniuerſa perturbaretur Reſpublica: vndè dicit Imperator. L. non eſt ff. de reg. iur. *Non eſt ſingulis* (ait) *concedendum, quod per Magiſtratum publicè poſſit fieri, ne occaſio ſit maioris tumultus; expedit enim vnum mori*, ne magnum aperiatur oſtium priuatæ vindictæ: etenim facilè quiſque falleretur in propria cauſa, & paſſione commotus, deterio-

ra

ra præſumeret contrà innoxium: hinc etſi leges ciuiles videantur permittere Marito occiſionem vxoris in adulterio depræhenſæ ; Sacri tamèn Canones manifeſtiſſimè vetant apud Gratianum , qui refert grauem pænitentiam impoſitam Aſtulpho proptèr ſimile delictum.

Grat. cau. 33.q.2.c. Admonen.

V. Si nulli priuato licet interficere hominem ; multò minus viro Religioſo . Hic enim , cùm non ſolùm profiteatur obſeruare Chriſtianam legem, ſed & Conſilia Euangelica , & vt ad perfectionem Vitæ Euangelicæ aſpiret , ipſi indicatur à S.Paulo : *Nulli malum pro malo reddentes . Non voſmetipſos defendentes , Chariſſimi ; ſed date locum iræ . Noli vinci à malo , ſed vince in bono malum* , & cum D.Paulo conſonat S.Petrus , *ſi quid* [ait] *patimini proptèr Iuſtitiam ; Beati* ; & iterùm : *Nemo veſtrum patiatur , vt homicida , aut fur , aut maledicus , aut alienorum appetitor . Si autèm , vt Chriſtianus non erubeſcat : glorificet autèm Deum in iſto nomine ; Nàm , Beati , qui perſecutionem patiuntur , proptèr iuſtitiam* ; debent enim Religioſi imitari Dominũ ; *qui cùm percuteretur , non repercutiebat* ; addit S.Thomas . *Siquidèm per infamiam , & bonam famam* (repetit S.Paulus) . *Religioſi* debent ſequi Chriſtum Crucifixum etiàm pro nobis .

S.P.Rom. c.12. — *S.Pet.1.c.2* — *S.Mat.c.5.* — *S.Tho.2.2. q.64.ar.4.* — *S.P.Cor.2. c.6.*

VI. *Vim vi repellere licet* ; *Omnes leges , & iura permittunt cum moderamine inculpatæ tutelæ* ; verùm pro tuenda re modica , cuiuſmodi eſt vnus aureus , non licere hominem occidere , agnoſcet ; qui ſuperiora perpendet ; & ponderauerit Canonem , qui vetat occidi furem diurnum , niſi ſe zelo defenderit ; *iàm enim plus eſt , quàm fur .*

C.18.ſignificaſti l.5. tit.2. de hom.vol. — *C.3 ſi perſidiens. tit eod. c.10*

VII. *Inſontem autèm , & iuſtum non occides* : enixè prohibet Deus : cuiuſmodi ſunt præſertim fætus in ventre matris : vndè dicit Pontifex : *Si aliquis cauſa expellendæ libidinis , vel odij meditatione homini , vel mulieri aliquid fecerit , vel ad potandum dederit , vt non poſſit generare , vel concipere , vel naſci ſoboles , vt homicida teneatur* : Sicuti faciebat , qui ſemen fundebat in terram , nè liberi naſcerentur ; & idcircò percuſſit eum Dominus , quod rem deteſtabilem faceret (ait Geneſis) . Tertullianus ſimilia profeſſus eſt , dicens ; *Nobis homicidio ſemèl interdicto , etiam conceptum vtero , dum adhuc ſanguis in hominem delibatur , diſſoluere , non licet . Homicidij feſtinatio eſt , prohibere naſci ; nec refert natam quis eripiat animam , an naſcentem diſturbet ; homo eſt , & qui eſt futurus , & fructus omnis iam in ſemine eſt .*

Exod.c.23. — *Pontif.l.5. t.12. De homic. vol. n c. ſi aliquis.* — *Gen.c.8.* — *Tert.Apol. c.9.*

VIII. Non ſolum re ; ſed nec voto , ac deſiderio permittit Deus ; vt proximo mortem optemus : imò disertè præcipit amare eum [vt ait Sanctus Ioannes] & amare *opere , & veritate* . *Amare* autem [vt dictum eſt] *eſt velle bonum alicui* (vt aiunt Ariſtoteles , & S. Thomas) .

S.Ioa.1.c.3 — *Ariſt.rhet. l.2.c.4.*

mas). Ergò opere, & veritate, & *Charitate non ficta*; [vt loquitur D.Paulus] bonum vitæ, non mortem eidem optare debemus. Iure ergò repellantur hæ.

Propoſitiones.

Alex.VII. 5. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico Calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere, minantem occidere, quandò alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere niſi occidatur*. Contrà vid.n.5.

Alex.VII. 18. *Licèt interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certa imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare*. Contrà vid.n.4.

Alex.VII. 19. *Non peccat Maritus propria occidens auctoritate vxorem in adulterio deprehenſam*. Contrà vide n.4.

Innoc.XI. 31. *Regularitèr occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei*. Contrà vid.n.6.

Innoc.XI. 32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus; ſed etiam ad quæ ius incboatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus*. Contrà vid.n.4.6.

Innoc.XI. 33. *Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe talitèr defendere, ſicut ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem*. Contrà. Iudices adeantur.

Innoc.XI. 34. *Licèt prouocare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur*. Contrà vid.n.7.

Innoc.XI. 35. *Videtur probabile omnem fœtum, quandiù in vtero eſt carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac conſequentèr dicendum erit in nullo abortu homicidium committi*. Contrà vide n.7.

Innoc.XI. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali, de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum*. Contrà vide n.8. & vide etiàm P.3.c.15.n.7.8. & ſuprà p.4.c.14. n.2.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVII.

Defenſio honoris.

I. PRimum, ac *Supremum* hominis *Bonum* eſt *Deus*.

II. Secundum *Bonum* eſt *Deus* Deorum in Sion clarè *Viſus* ſeu *Viſurus*.

III. Tertium *Bonum* eſt Diuina *Gratia*, Dei aſsimilatio.

IV. Quartum *Bonum* cæteræ *virtutes*, à Deo infuſæ, ac Dona Spiritus Sancti.

V. Quintum *Bonum* virtutes acquiſitæ tam *morales*, quàm *intellectuales*; hæ enim ſunt filiæ Rationis naturalis, quæ & ipſa à Deo eſt (vt dictum eſt): vndè virtutes *morales* ſunt veluti quidam *radius* Diuinitatis. *Infuſæ* autem, ac ſupernaturales ſunt *candor lucis æternæ*, ac Sol de Sole, lumenque de lumine; imò *Specioſior Sole*, & pretioſior auro. *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus*; [ait Sapiens], & hæc omnia dicuntur, *Bona interna* hominis, & *Bona animi*. Sap.c.7.

VI. *Corporis Bona* ſunt, vita, ſanitas, pulchritudo, *Bona fortunæ*, & temporalia, quæ & ſubſtantia huius ſæculi dicuntur; ſunt Bona externa; quia ſunt extra animum, & externis patent ſenſibus.

VII. Virtus autem, vtpotè lux de luce, nequit in tenebris deliteſcere; ſed foris emicat, vndè dicit Salomon. *Sapientia hominis lucet in vultu eius*; hæc ergò cum foris reluceat, allicit intuentium oculos, qui virtutem animaduertentes in Proximo, huius etiam opinionem, ac exiſtimationem concipiunt; quia etſi vas ſit fictile, æſtimatur tamen, ac ſi theſaurum contineat: de quibus loqui videtur D. Paulus, ſcribens, *habemus theſaurum in vaſis fictilibus*: & en *effectus virtutis* externus; *Bona opinio*, ſeu *Reputatio*, ac *exiſtimatio*. Eccl.c.8.& Prou.c.17. S.P.Cor.2.c.4.

VIII. Qui autèm alios æſtimant, ſuam opinionem non in eorum mente tantùm fouent; ſed & ipſiſmet virtute præditis ſtudent adteſtari per aliqua externa facta, ac ſigna, & ecce *alter effectus* virtutis externus, nimirùm *Honor*. *Eſt enim bonor teſtificatio alienæ virtutis à nobis conceptæ*. *Honor autèm bonorum externorum eſt maximum*: (ait Ariſtoteles): vlteriùs procedunt virtutis Fautores; de ea loquuntur, ac de his, qui ea nitent: Nàm *conceptum ſermonem tenere quis poterit?* (vt inquit Iob) ſic virtus, & *Sapientia aperit* Ariſt. eth. l.4.c.3. Iob.c.1c.

etiam

Digitized by Google

etiàm os mutorum , & linguas infantium facit eſſe diſertas ad ſui
Eccl. c 49. laudem : hinc prodit *tertius effectus virtutis externus* , *Bonum ſci-*
Sap. c.10. *licèt nomèn : memoria* enim *iuſti* (ait Sapiens) *cum laudibus* , &
Prou. c.10. *nomen impiorum putreſcet* : hinc de Ioſia dicitur : *In omni ore quaſi*
mel indulcabitur . Patet autèm , quod Bonum nomen eſt denomi-
natio merè extrinſeca in ore laudantium : ſed denominatio intrinſe-
ca ex parte laudati ; quià præſuponit intùs in nominato , virtutem ,
Introd. p.3. c.7. ſicut folia arboris , Radicem : Vndè S.Franciſcus Saleſius ſic expli-
cat hæc verba : *Curam habe de bono nomine* , ideſt , *de virtutibus* ,
Eccl. c.41. *quæ ſunt fundamentum huius denominationis ; meliùs autèm eſt*
Prou. c.22. *nomen bonum , quàm diuitiæ multæ* ; & iterùm : *melius eſt nomen*
Eccl. c 7. *bonum , quàm vnguenta pretioſa* .

IX. Ex bono nomine , ſeu priuata laude nominatæ perſonæ , ori-
tur *Fama* ; ſeu publica vox , ac laus : Nàm *Fama non eſt vnius ſer-*
Sen. ep.102 *mo* (ait Seneca) , *nèc infamia vnius mala exiſtimatio* . Ex publica
verò fama , ac laude oritur Gloria . *Gloria* enim [ait idem Seneca]
multorum iudicijs conſtat ; *claritas bonorum* . *Gloria* autèm (ite-
rùm ait Seneca) *vmbra virtutis eſt , etiàm inuitos comitabitur* .
Sen. ep.79. Ergò virtus eſt veluti corpus ; quod , vt vmbra ſequitur Gloria : &
ſicut ſine corpore non eſt vmbra ; ſic ſinè virtute vana , imò nulla
eſt Gloria .

X. Mundus verò virtutis inimicus , virtutis tamèn eſt amator
fructuum . Boni virtutis effectus illi dulces ; ſed virtus illi amara . 1.
Æſtimatio . 2. *Honor* . 3. *Bonum* nomen . 4. *Fama* . 5. *Gloria* ſunt
Idola adhuc hominum Chriſtianorum , & auertat Deus , nè ſint etiàm
Religioſorum : Verùm vt hæc virtutum præmia conſequeretur ab-
ſquè veris virtutibus , mundus excogitauit , ac docet vanas virtu-
tes : vti ſunt Pulchritudo ; Specioſa Cæſaries ; & animoſitas etiàm
contrà prudentum iudicia : dicendi facilitas : Ingenij acumen : vltio ,
& ſimilia , de quibus S. Franciſcus Saleſius monuit ; ſed *non erit di-*
S Franc. Sales Intr. p.3. c.17. *gnus Honore* (ait Ariſtoteles) *ſi prauus ſit , cùm honor præmium ſit*
virtutis , ac bonis hominibus tribuatur ; non enim falſa virtus veræ
Ariſt. eth. l.4 c.3. virtutis producit fructus : *Nũquid colligunt ur de ſpinis vua , aut de*
tribulis ficus ? ait Euangeliſta : nàm profeſſus eſt Deus ipſe Pater
S. Mat. c 7. omnis veræ virtutis Samueli , quod , *quicumque glorificauerit me* ,
Reg. 1. c.2. *glorificabo eum* ; *qui autèm contemnunt me , erunt ignobiles* . Ergò
timor Domini gloria , & gloriatio : concludendum cum Eccleſiaſti-
Eccl. c.1. co : & *Gloria magna eſt ſequi Deum* (ait idem) : Quamobrèm vir
Eccl. c.23. nobilis ſciens Monomachiam , ſeu duellum à Summo Pontifice gra-
uiſſimis cenſuris vetari , ſi obtemperet Vicario Chriſti , non amittet ,
ſed acquiret honorem , & ſimilitèr ſi ſe non vult vlciſci audiens Chri-
ſtum

ſtum dicentem: *Ego autèm dico vobis; diligite inimicos veſtros, mihi vindicta, ego retribuam*; non inglorius erit, ſed glorioſior apparebit: huc facit doctrina S.Thomæ. Sequentes ergò refelle. *S.Math.c.5 S.P.Rom. c.12. S.Tho.2.2. q.64.ar.5. ad 5.*

Propoſitiones.

2. *Vir equeſtris ad Duellum prouocatus poteſt illud acceptare, nè timiditatis notam apud alios incurrat.* Contrà vide n.10. Non eſt nota timiditatis timor Dei; nèc timendum eſt hominum iudicium, vbi eſt timendum Dei, qui vult obedientiam ſibi, ac ſuis Miniſtris, qui Duellum grauitèr interdicunt. *Alex.VII.*

30. *Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, niſi alitèr hæc ignominia vitari nequit; idem quoquè dicendum ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.* Contrà: adeundi Iudices, nèc in propria cauſa quis debet eſſe, & Iudex, & executor: multò minùs proptèr alapam non eſt infligenda pæna mortis. *Innoc.XI.*

CAP. XXVIII.

De Gula.

1. SAnctus Franciſcus Saleſius ſub metaphora cibi, & comeſtionis agit aliquandò de carnali opere; ideò & nos præmittimus hunc titulum ad lucem etiàm ſequentis. Natura, ſeu potiùs naturæ Conditor Deus dedit nobis potentias ad actus, quos, vt libentiùs exerceremus, adiunxit aliquam voluptatem, tamquàm acceſſorium principali (vt inquit Ariſtoteles) cui Seneca reſpondet. *Voluptas non eſt merces, nèc cauſa virtutis; ſed acceſſio.* Qui ergò voluptatem intenderet cum excluſione principalis, ordinem naturæ, rationiſque perueteret, & conſequentèr peccaret. Naturalis nàmque ratio regula eſt honeſti [vt dictum eſt]; veluti ſi ægrotanti præberetur poculum ſuaui vino plenum, ægroque gratum, vt cum dulcedine vini deglutiret medicinales quoſdam minimos bolos, ſeu pillulas, ipſe verò clàm bolos extraheret ex poculo, & proijceret, ſoloque vino gauderet, hic ſanè malè ageret: ſic contingit in moralibus: Si quis excluderet bonum actionis, & ſola voluptate frueretur: ſicut etiàm ſi quis concupiſceret ſeruire Deo proptèr ipſius perfectionem; *Ariſt eth. l.10.c.4. Senec de vita beata l.1.c.9.*

nem; & deindè proptèr gloriam, & mercedem Paradiſi, non delinqueret. Nàm Sanctus Dauid canebat: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas proptèr retributiones*: qui autèm ob ſolam retributionem Deo ſeruiret, excludendo, quantùm in ſe ipſo eſt, votum, ac affectum placendi ipſi Domino Deo, inuiſus foret: quià perhiberetur non amare Deùm; qui ſicut non excludit ſpem retributionis; ſic nèc ipſe vult excludi; ſic vſuuenit in cibo, & potu. Practicè autèm pauci videntur excludere, quià bibunt, ac edunt nihil cogitantes. Ergò non excludunt, ſed potiùs implicitè includunt, quod ratio includi exigit.

Pſal.118.

II. Vndè D. Auguſtinus; *Reficimus quotidianas ruinas corporis, edendo, & bibendo, Nàm fames, & ſitis quidam dolores ſunt. Vrunt & ſicut febris, necant, niſi alimentorum medicina, ſuccurrat. Hoc me docuiſti, vt quemadmodùm medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam*; & alibi idem repetit: *Medicamentum famis* (ait) *eſt cibus, & medicamentum ſitis eſt potus, & medicamentum fatigationis eſt ſomnus.*

S. Auguſt. conf. l. 10. c. 31.

S. Aug. in Pſal. 37.

III. Multò magis damnabilis eſt ratio dicentis: Nimirùm, quod licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui; Nàm homo debet habere ſub Imperio rationis appetitus ſuos [vt illi indixit Deus], & dominari in illos, ſecundùm rationis præſcriptum; ſecùs eſſet homo; *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus* (vt dixit Pſaltes), quæ animalia aguntur, potiùs quàm agant (vt dicunt Philoſophi) nullaque diſtantia intèr hominem, & beluam intercederet; quià omiſſo rationis gubernaculo, ambo perducerentur, quò naturæ impetus afferret, vt ſuis naturalibus appetitibus ſatisfacerent; Pſaltes autèm grauitèr monet, dicens; *Nolite fieri, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*: verùm: *in freno, & chamo maxillas eorum conſtringe*. Ergò (exponit Caſſiodorus hunc locum) *hæc duo animalia ſupradicta cobibent iuſta retinacula, vt ad arbitrium iubentis incedant, nè ſuis voluptatibus efferantur. Ideò* enim (inquit S. Thomas) *homini data eſt ratio, vt ea, ad quæ natura inclinat, non paſſim, ſed ſecundùm rationis ordinem exequatur*. Explodatur igitùr.

Geneſ. c. 4. Pſal. 31.

Caſſiod. in Pſal. 31.

S. Tho. 2. 2. q. 69. ar. 4. ad 5.

CAP.

Digitized by Google

Propoſitio.

8. *Commedere, & bibere vſquè ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quià licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*. Contrà vide ſuprà. *Innoc. XI.*

CAP. XXIX.

De Luxuria.

I. NAtura; imò Deus naturæ Auctor expreſsè, directèque condere voluit maſculum, & fæminam, ad propagandam ſpeciem: vndè iuſſit, dicens: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Nàm ſicut cuilibet indiuiduo opus eſt cibus, vt conſeruetur: ſic ſpeciei, vt conſeruetur, opus eſt procreatio; uti hiſce confirmat Imperator dicens: *Idcircò filios, filiaſue concipimus, atquè edimus, vt ex prole eorum, earumque diuturnitate nobis memoriam in æuum relinquamus*. Conſeruatur nàmque indiuiduum in ſua ſpecie, & ueluti in Imagine uiua: undè ſic loquitur Eccleſiaſticus: *Mortuus eſt Pater, & quaſi non eſt mortuus. Similem enim reliquit ſibi poſt ſe*: hinc dicebat Tobias, quod *ipſe cederet ad vxorem amore filiorum magis, quàm libidine ductus*. *Geneſ. c. 9. & 22.* *L. Liberorũ ff. de verb. ſignif.* *Eccl. c. 30.* *Tob. c. 6.*

II. Vt autèm procreationi operam darent, maſculus, & fæmina, adiunxit illi uenercam uoluptatem; ſicuti ut manducent, addidit cibi delectamentum; ſecùs nemo vellet comedere; ut uidemus, cùm deeſt ægro fames; nèc procreationi operam nauarent; attenuant enim proprias ſuas uires Genitores; Ideòque acrior eſt uoluptas hæc, ut ad bonum ſpeciei, ſibi indiuiduum minuat proprias uires.

III. Diximus autèm ſuprà de cibi uoluptate hanc eſſe ordinatam ad uirium refectionem per cibi ſumptionem; qui uerò deperditarum uirium reparationem excluderet, & ederet tali arte; ut ei cibus non prodeſſet, ordinem naturæ inuerteret, ac Rationi aduerſaretur, quæ, ſicut non excludit ab actione edendi uoluptatem; ſic vult, quod nèc excludatur à uoluptate ipſa actionis utilitas: ſic philoſophandum eſt de uoluptate carnali.

IV. Scriptura innuit vnius vxoris virum, vnique viro vxorem eſſe oportere: nàm refert maſculum, & fæminam factos eſſe à Deo,

& quod forent duo in carne vna, quamuis aliquandò indultum ſit, vt plures mulieres appræhenderet vir vnus. Diuiditur enim nimis affectibus (vt innuit etiàm D.Paulus); ac etiàm ſimul erunt, quantùm earum vita durabit, & ſi libellus repudij permiſſus fuit Hebręis ob duritiam cordis illorum. Hinc repudiantur hæ.

Propoſitiones.

Alex.VII. — 24. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ; ideòque ſufficit in Confeſſione dicere ſe procuraſſe pollutionem*. Contrà S.Paulus diſtinguit, dicens; *Nequè molles, nequè maſculorum Concubitores*. Et Moyſes paritèr ſpecificat beſtialitatem. Ergò non ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ.

S.P.Cor. 1. c.6. Exod.c.22.

Alex.VII. — 25. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto dicens: Commiſi cum ſoluta graue peccatum contrà Caſtitatem, non explicando copulam*.

Alex.VII. — 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis*. Contrà vide D.Thomam: nàm delectatio carnalis venerea, & libidinoſa eſt commotio venereorum ſpirituum ordinata à natura ad vlteriora: cui autèm non licet finis, nèc medium licebit.

D.Thõ 1.2 q.74.ar.8.

Innoc. XI. — 9. *Opus Coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali*. Contrà vide n.3. & nota particulam, *ob ſolam*, quæ eſt particula excluſiua.

Innoc.XI. — 48. *Tàm clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolùm eſſe malam; quià interdicta, vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur*. Contrà vide n.4.

Innoc.XI. — 49. *Mollities iure naturæ probibita non eſt. Vndè ſi Deus eam non interdixiſſet, ſapè eſſet bona, & aliquandò obligatoria ſub mortali*. Contrà vide n.1. & ſuprà c.26.n.7.

Innoc.XI. — 50. *Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum*. Contrà. Adulterium Dei præcepto vetatur, non mariti interdicto; nèc vir diſpenſandi ius habet in lege Dei: Hinc S.Paulus ait; non ſolùm qui faciunt; ſed etiàm, qui conſentiunt facientibus. Prætereà hæc Propoſitio errorem Nicolaitarum ſapere videtur, qui proprias vxores alijs permittebant: vt dicunt S.Iſidorus apud Gratianum, & Baronius.

Grat. can. 24.q.3.c. quidam. Baron. an. 68.

CAP.

CAP. XXX.

De Furto.

I. VNum genus humanum ex vno Parente progenitum, ad vnum vnius mundi Dominum vno mutui amoris vinculo, à Deo conditum erat; ſed ob peccatum ſciſſa eſt amoris vnitas, & introducta eſt rerum diuiſio, nè magis, ac magis diſſolueretur humana ſocietas, ac percrebeſceret ex rerum cupiditate, odium, ac contentio perſonarum; ſed cùm ad maius malum vitandum diſtincta ſint rerum Dominia, Gentes exceperunt (vt ratio dictat; & dicit D. Thomas) extremam cuiuſque neceſſitatem, in qua omnia adhuc forent communia, cùm ſcilicèt indigens non habet vndè vitam à morte tueatur. Vitam enim cuiuſque præferendam rebus cenſuere; extrà verò hunc caſum, ſi aliena cupere liceret, ſeminarium perennium rixarum foret, & relaberentur in idem diſcrimen, quod coegit Gentes ad diſtinctionem Dominiorum; vt ſcilicet remouerentur contentiones, odia, & homicidia. Hinc dicit Pontifex Gregorius Nonus. *Si quis* (ait) *propter neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus pæniteat hebdomadas tres, & ſi reddiderit, non cogatur ieiunare.* Eademmet cum Pontifice docet Diuus Thomas, gloſando de neceſſitate graui, non extrema, & Cathechiſmus Romanus. *Furti* autem *nomine benè intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ. A parte, Totum* ſignificauit Deus.

S.Tho.2.2. q.66.ar.7.
Gregor. c.ſi quis tit. de furtis.
S.Tho.2.2. q.66.ar.7. Catech.p.3 de ſeptim. præc.ſeſſ.; 21.

II. Quicumque autem extra neceſſitatem extremam aliquid alterius ſurripit, vel alio modo apud ſe alienam rem habet, & detinet, ad reſtitutionem tenetur. Nam *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*; Eſt regula Iuris Canonici deſumpta ex Diuo Auguſtino. Reſtitutio autem videtur oriri ex culpa Theologica graui, quæ coram Deo, & non coram Iudice iudicetur lęthalis: vndè ex peccato veniali non videtur naſci huiuſmodi obligatio; quia in moralibus *Parum pro nihilo reputatur*, nec grauis reſtituendi obligatio cenſetur indè oriri: verum hoc dato, nihilominus, ſi quis pluribus venialibus furtis, etiam non præmeditatis ſimul in ſuo corde, ſed occaſionalitèr repetitis, notabilem alterius rem inciperet detinere, ad reſtituendum teneretur ſub mortali, non ratione ſingulæ acceptionis rei paruæ; ſed ratione detentionis rei magnæ. Inſuper.

C.peccatū. De Reg. Iur.in 6. S.Aug.ep. 54.
S.Auguſt. apud Grat. c.14.q.5.c. pœnale.

III. Omnis, qui per iniuſtum damnum (quod & præiudicium ve-

Digitized by Google

C.Mulieres l.5.tit.39. de ſentent. excom.l.5. tit.36.de Iniurijs. rius dictitatur) alteri creat, reſtituere tenetur, & non ſolum qui facit; ſed & qui mandat. Nam: *Is committit verè, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. Hinc ſi culpa tua datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, ſeu alijs irrogantibus opem fortè tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſiue negligentia euenerunt. Iure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo iniuriam veriſimilitèr poſſe contingere, vel iacturam.*

S.Tho.2.2. q.62.ar.7. Pontificiæ doctrinæ ſubſcribit Sanctus Thomas cum cæteris moraliſtis. *Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus; participans, motus, non obſtans, non manifeſtans.* Hinc expunguntur hæ.

Propoſitiones.

Innoc.XI. 36. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.* Contra. vide n.1.

Innoc.XI. 37. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.* Contra. vide n.2. Poſſet iſtis repetere herus. S.Math. c.20. *Amice non facio tibi iniuriam.* (Si re uera abſit metus, ac dolus): *nonne ex denario conueniſti mecum, tolle quod tuum eſt, & vade.*

Innoc. XI. 38. *Non tenetur quis ſub pæna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt, per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.* Contra vide. n.2.

Innoc.XI. 39. *Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum, tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.* Contra. vide n.3.

CAP. XXXI.

De Vſura.

1. PRo communi Gentium bono à Gentibus facta eſt diuiſio rerum, introductaque eſt Dominiorum diſtinctio [vt dictum eſt] ſed cùm vnus abundaret, quibus alter egeret, idcircò vt indigentibus ſuccurreretur,[1] introducti ſunt ab ijſdem Gentibus *contractus*, (vt dicit Ariſtoteles, & Imperator) per quos vel ambo contrahentes, mutuæ neceſſitati ſubueniunt; permutando res ſuas, vel vni ſal-

Ariſt.eth. l.5.c.9. Vid.ſupra c.12.

Digitized by Google

ſaltèm prouidetur. Nàm contractus alij in gratiam amborum; alij in gratiam vnius ſolùm ineuntur: vt vni ſubueniatur excogitatus eſt *contractus mutui*, quo indigens, alienam rem ab alio recipit, redditurus eamdem, non in indiuiduo; ſed in ſpecie Logica, vel in genere, legalitèr loquendo.

II. Ad hunc contractum patet eſſe neceſſarium aliquod tempus, quo accipiens mutuò ſibi ſubueniat, quià ſinè debito tempore non poteſt aliquid fieri proficuum; deindè patet hunc eumdem contractum gratis ineundum; eſt enim inuentus in gratiam accipientis, vt propriæ indigentiæ ſuccurrat, non dantis mutuum, qui (vt ſupponitur) tunc non indiget. Hinc etiàm Chriſtus indixit: *Mutuum date, nihil indè ſperantes*: ſicut præcepit etiàm Iudæis Moyſes: *Fratri tuo, abſquè vſura, id, quo indiget, commodabis*: Eſt enim vſura contrà huius contractus naturam; deindè cùm in mutuo *meum* fiat *tuum* [vndè dicitur *mutuum*] qui exigit vſuram, colligit ex aliena re fructum; imò ex re infrugifera, qualis eſt pecunia, fructus prætendit. *Vſura* enim *pecuniæ, quam percipimus, in fructu non eſt; quià non ex ipſo corpore; ſed in alia cauſa eſt, ideſt ex noua obligatione*: (ait Imperator) Huius Regulæ hanc exceptionem tradit S. Ambroſius apud Gratianum, ſcilicèt: *vbi Ius belli, ibi etiàm Ius vſuræ*: cùm verò inimicus non eſt, qui æget, non licet dare ei pecuniam ad vſuram. Nàm verum quidèm eſt, quod.

S.Luc.c.6.
Deut.c.23.
L.*vſura.* *ff. de verb. ſigu.*
S.*Ambr. apud Grat. can.14.q.4 c.Ab illo.*

III. Cùm deficeret in terris mutuus amor, intrauit diuiſio rerum ac frigidum illud verbum meum, ac tuum; non tamèn ità obſeruanda eſt rerum diuiſio, ac retinendum tuum; vt deficiat penitus amor in proximum. Hic enim præcipuè ab ipſamet natura nobis commendatur, & à Deo Optimo Maximo diſertiſsimè imperatur. Ergò, cum indiget proximus mutuo, gratis, & amore mutuum eſt dandum, nec exigendum aliquid vltrà ſortem pro dato mutuò: ſi verò alter gratitudinis cauſa, ſpontè dat; caue tu ne exigas, & ne vrgeas, vel ne quod ex beneuolentia, & gratitudine dicitur reddi, ex Iuſtitia tù in mente tua velis. Nam *ſi aliquis* (ait Diuus Thomas) *ex pecunia mutuata expectat, vel exigat quaſi per obligationem pacti taciti, vel expreſſi, recompenſationem, vſura eſt*. Si verò non quaſi ex obligatione; ſed ex beneuolentia, quæ ſub æſtimatione pecuniæ non cadit: licet hoc accipere; ſiquidem ſi accipiat aliquid, non quaſi exigens; nec quaſi in obligatione tacita, vel expreſſa: ſed ſicut donum gratuitum, non peccat. Hoc dicit in corpore eiuſdem articuli: primum ſcandaloſum eſt tibi, & alijs. *Tu verò ne ponas animæ tuæ ſcandalum*: Monet Eccleſiaſticus.

S.Tho.2.2 q.79.ar.2. ad 3.
Eccl.c.32.

IV. Pecunia præſens plus valet, quam futura [vt dicitur]: Hoc autem intelligi videtur, ſi pecunia præſens vitet damnum emergens,

vel

L.minus ff. de reg.iur. vel lucrum ceſſans, & ſic intelligenda videtur Regula Iuris, quod, *minus eſt habere actionem, quam rem*; ſecus pecunia præciſè ſumpta ratione temporis præſentis, vel futuri non eſt pretioſior. Nam ſi quis poſt menſem expectaret excuſſam nouam pecuniam, non poſſet tantumdèm veterem in præſentiarum recipere; quia noua eſt futura, vetus verò eſt præſens: ſi igitur debitor ſit ſoluendo, ac vir bonus gerit vicem depoſitarij, & in hoc caſu vera eſt altera regula

L.qui actionem ff. de Reg.Iur. Iuris, dicens, quod: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur*, & confirmatur alibi ab Imperatore di-

L.Apud ff. de verb. ſignif. cente. *Id apud ſe quis habere videtur, de quo habet actionem. Habetur enim, quod peti poteſt*. Ex ſuperioribus ſequentes vita.

Propoſitiones.

Alex.VII. 42. *Licitum eſt mutuanti aliquid vltrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendum ſortem vſque ad certum tempus.* Contra. vide n.2. Tempus enim neceſſarium eſt mutuo.

Innoc.XI. 40. *Contractus Mobatra licitus eſt etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præciſè inito cum intentione lucri.* Contra. Mohatra eſt ficta venditio, cum quis indigens nummis, alter dat merces, quas emptor iterùm vendit eidem, vt nummos cogat; ſi prius venditor obliget ad ſibi retrouendendum, vt lucrum capiat, illicitus eſt contractus; vel quia eſt mutuum tacitum, & vſura palliata, vel quia additur onus iniuſtum, vel quia minoris iuſto pretio retrouenditur.

Innoc.XI. 41. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid vltrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari*. Contra. vide n.4.

Innoc.XI. 42. *Vſura non eſt dum vltrà ſortem aliquid exigitur, tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex Iuſtitia debitum*. Contra. Exigere eſt quadam ui compulſiua alium urgere ad ſoluendum; ut ex Calepino etiam pa-

D.Tho.2.2 q.79.ar.2. tet: & D.Thoma. Ergò uidetur mutari nomen ſolum. *Non eſt au-*

Sen.ep.17. *tem in rebus*[uel nominibus]*vitium; ſed in ipſo animo*: diceret etiam

D.P.Rom.c.11 & Rom.c.4 5. Seneca. Ergò *Gratia* (inferret etiam D.Paulus) *iam non eſt Gratia*. Si exigitur tamquam debita.

CAP.

CAP. XXXII.

De Iuſtitia & Iudice.

I. IVdicibus indicit Deus per Moyſem: *quod iuſtum eſt iudicate,* Deut.c.1.
nec accipietis cuiuſquam perſonam. In re, autem obſcura fa- L.non de-
uendum eſt potius repetitioni, quam aduentitio lucro. Si uerò am- bet ff. de
bæ partes æqualia habent iura, diuidenda res eſt; prout Reg.Iur.
iudicauit Rex Salomon in cauſa duarum meretricum; quamuis tunc Reg.3. c.3.
(cùm res diuidua non eſſet) aliò tenderet in corde ſuo illius ſenten-
tiæ pronunciatio.

III. *Dignus eſt operarius mercede ſua*: ait cum S.Paulo Prouer-
bium: *Omnis labor optat præmium*; & è contrà merces eſt digna S.P.Tim.1
operario, & præmium optat laborem. Vndè S.Paulus indicit; *qui* c.5.
non vult operari, nèc manducet: quià (ait Dauid) *labores manuum* S P Theſſ 2.c 3.
tuarum manducabis: Hinc ſi delectat mentem magnitudo præmio- Pſal 127.
rum; ſed non deterreat certamen laborum; ſubdit S.Gregorius S Greg. ho.
Papa: merces, ac præmium Iudicis eſt honor officij, & ſportulæ ta- 17 in Eu.
xatæ, qui propterea obligatur fungi officio ſuo, & proferre iudicij
ſententiam. *Iudex* enim dicitur, quià *Ius* dicit; hinc Plato dicit:
Non ad hoc ſed & Iudex, vt per gratiam cõcedat, ſed vt iudicet ſecun- Plato l.27.
dùm leges. Atquè id iureiurando promiſit, non per gratiam cuicum- Apolog.
que libuerit (nota) *condonare; ſed iudicare ſecundùm leges.* Ean-
dem confirmat Doctrinam S.Auguſtinus in quadam Epiſtola, & ite- S.Aug.to.2
rùm alibi hanc ſancit regulam: *Quicumque ſibi ſtipendia publicè* ep.54
Decreta conſequitur, ſi ampliùs quærit, tamquàm calumniator, Idem apud Grat.cau.
& concuſſor, Ioannis ſententia condemnatur; & cum D.Auguſtino 23.q.1.c.
eadem repetit S.Iſidorus Hiſpalenſis. Sententię ergò prolatio neceſ- militare.
ſaria eſt illi, & ſiuè proferatur pro vna parte, ſiuè pro alia, non af- S.Luc.c.3.
fert Iudici incommodum, vel aufert commodum pretio æſtimabile; S.Iſidor. ſent.l.3.c.
nàm tantùm vocis exigitur in dicendo; *laudo Petri iura*, ac laudo 38.
iura Pauli; ſicuti ſi quis teneatur ſoluere creditori nummum aureum
A, vel nummum aureum B, cùm ſit eiuſdem impreſſionis.

III. Commodum autèm, quod recipit litigans, vel incommo-
dum, quod vitat, eſt ex parte ipſius litigantis, ſuumque eſt, non L.Neque
iudicis; quarè Iudex non poteſt eidem vendere, quod illius eſt; pignus.ff.
Nàm *nequè pignus, nequè depoſitum, nequè precarium, nequè em-* de reg. iur.
ptio, nequè locatio ſuæ rei conſiſtere poteſt; [ait Imperator] cui L.28.Rem.
videtur D.Thomas ſubſcribere, dicens; *Si aliquis multum iuuetur* ff.de conbenda em-
ex otione.

S.Tho.2.2. q.77.ar.1. *ex re alterius, quam accepit, ille verò, qui vendit, non damnificatur, carendo illa, non debet eam ſuperuendere; quia vtilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente; ſed ex conditione ementis; nullus autèm debet vendere alteri, quod non eſt ſuum* (nota) *licet poſſit ei vendere damnum, quod patitur.*

IV. Non poterit igitùr Iudex vendere arbitrium ſuum uni potiùs, quàm alteri in paritate rationum: eo magis quo Iudex ex officio tenetur reddere unicuique ſuum; iuxtà magis probabilem; Hinc damnatæ ſunt hæ.

Propoſitiones.

Alex.VII. 16. *Quod litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.* Contrà uide ſuprà n.2.

Innoc.XI. 2. *Probabilitèr exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxtà opinionem etiàm minus probabilem.* Contrà uide etiàm P.4.c.6.7.

CAP. XXXIII.

De Legibus.

Sap.c.6. S.P.Rom. c.12. Plut.p.2. ad Princ. indoct. S.P.Ephes. c.6. I. PRinceps eſt Dei Miniſter; (ut aiunt Sapiens, & S.Paulus) Hanc aſſecutus eſt ueritatem etiàm Plutarchus; *Veriùs dixeris* (ait) *Principes Dei eſſe adminiſtros ad tuendam hominum ſalutem; vt quæ Dij bona hominibus largiuntur, ea partim diſtribuant, partim conſeruent; qui verò reſiſtunt Dei ordinationi, ſibi damnationem acquirunt; & ideò* (ait S.Paulus) neceſſitate *ſubditi eſtote non ſolùm proptèr iram, ſed etiàm proptèr conſcientiam; quià ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit* S.Luc.c.12 *multis*; uti proteſtatus eſt Ipſe Chriſtus, repellenda igitùr eſt ſequens.

Propoſitio.

Alex.VII. 28. *Populus non peccat etiamſi abſquè vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXIV.

De Eleemoſina.

I. DIuiſio rerum, ac diſtinctio dominiorum eſt introducta, nè homines penitùs rerum cupiditate ſe ſe perimerent; ità tamèn ratio ordinauit hoc humanæ prauitatis medicamentum, ut quilibet Dominus ſpontè egeno daret, quod ſibi foret ſuperfluum, & alteri deeſſet, & ſic exerceretur *liberalitas*, quæ à Fidelibus *eleemoſina* nuncupatur, ac *opus miſericordiæ*; Nàm; *Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi*; ait Eccleſiaſticus; *Amare autem, eſt velle bonum alicui*, qui uerò vult, & poteſt, facit; nàm quod eſt in poteſtate, & uoluntate erit; (ait Ariſtoteles). *Eccl. c.3. Ariſt. rhet. l.2. c.19.*

II. Superfluum uerò intelligimus, quod naturæ noſtræ, ac ſtatus neceſſitati ſuperfluit, non autèm opinioni; Nàm *exiguum* [ait Seneca] *natura deſiderat; opinio immenſum*; Hinc Deum præcabatur Salomon; *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo neceſſaria*. Naturæ, non opinioni ſatisfieri cupiebat. *Sen. ep.16. Prou. c.30.*

III. *Qui autem habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodò Charitas Dei manet in eo?* S. Ioannes, & S. Iacobus, & de hiſce disertè monet Eccleſiaſticus, & Tobias iterùm monuit Filium; *Si multum tibi fuerit, abundantèr tribue; ſi exiguum tibi fuerit, exiguum libentèr impertire ſtude, non, vt alijs ſit remiſſio: vobis autèm tribulatio* (explicat S. Paulus) hoc eſt, non ut pauperes lautiùs uiuant, uos neceſſitati ſubiacetis; ſed ſolùm, quod ueſtra abundantia ſuppleat illorum indigentiam; ſic commentatur Cornelius à Lapide. Iurè ergò repelluntur. *S. Ioa. 1. c.3. S. Iacob. c.2. Eccl. c.4. Tob. c.4. S. P. Cor. 2. c.8. & 9. Cornel. ibidem.*

Propoſitiones.

12. *Vix in ſæcularibus inuenies etiàm in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ità vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quandò tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui*. Contrà, damnabuntur in Iudicio hac de cauſa; quià *Eſuriui*, (dicet Chriſtus) *& non dediſtis mihi manducare*. Ergò tenentur. *In noc. XI. S. Math. c.*

43. *Annuum legatum pro anima relictum, non durat plùs, quàm per* *Alex. VII. C. quia circa. de priu.*

Digitized by Google

per decem annos. Contrà. *Indefinita propoſitio æquiualet vniuerſali*: ut dicit Innocentius Tertius.

CAP. XXXV.

De Reſtrictione Mentali.

Pſal.7. *Pſal.43.* I. SOlus Deus *eſt Scrutator cordium*, nullusque alius cognoſcit interiores animi ſenſus; ſed vnus *ipſe nouit abſcondita cordis*; quæ tamèn, ſi liberè vellet homo, vt alijs patefaceret, dedit illi Dominus linguam diſertam, ac poſuit in ore eorum verba conuenientia rebus; vt quæ corde concepit, ore parturiat, nèc vnquàm mentiatur, ſeu loquatur contrà mentem. Eſt enim *mentiri contrà mentem ire* (ait Caſſiodorus) ſeu menti contraria effari. Porrò omne *S.Aug.toi 3. Enchir. c.22.* mendacium (inquit S.Auguſtinus) *Ideò dicendum eſt eſſe peccatum; non ſolùm quandò ſcit ipſe quod verum ſit, ſed etiàm ſi quandò errat, & fallitur; hoc debet loqui, quod animo gerit, ſiuè illud verum ſit, ſiuè putetur, & non ſit: Omnis autèm, qui mentitur, contrà id, quod animo ſentit, loquitur, voluntate fallendi: Et vtiquè verba propterea ſunt inſtituta, non per quæ ſe inuicèm homines fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat. Verbis igitur vti, ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt. Nèc ideò vllum mendacium putandum eſt, non eſſe peccatum; quià poſſumus alicui prodeſſe mentiendo. Poſſumus enim & furando aliquandò alicui prodeſſe, ſi pauper cui palàm datur, ſentit commodum, & diues, cui clàm tollitur, non ſentit incommodum: nèc ideò tale furtum quiſquam dixerit non eſſe peccatum. Poſſumus & adulterando prodeſſe, ſi aliqua, niſi ad hoc & conſentiatur, appareat, amando moritura, & ſi vixerit pænitendo purganda; nèc ideò peccatum tale negabitur adulterium.*

II. Cùm verò eſſet *terra labij vnius*, *ac ſermonum eorumdem*, *Gen.c.11.* vnoque idiomate loquerentur omnes, ob hominum arrogantiam, confudit Deus linguas eorum, ac diuiſit in ſeptuaginta (vt dicunt) idiomata; ità vt qui verba conuenientia rebus habebant, indigerent deindè verbis; vt res indicarent; & cùm plures ſint res, quàm verba, factum eſt in abundantia rerum, & penuria verborum; vt homines conuenerint caſu, & aliquandò conſulto, vt vno, eodemque verbo plures res ſignificarentur; vndè ortum eſt *æquiuocum*, hoc eſt

quod

Digitized by Google

quod vna, & æqualis vox plura ſignificat, ex vnanimi hominum inſtitutione.

III. Notandum autèm eſt, quod ſicuti animi ſenſus explicantur verbis; ſic etiàm alia ſigna ex inſtitutione hominum; patefaciunt hominis ſenſa; cuiuſmodi ſunt *Nutus*: vndè innuebant Patri Ioannis (vt inquit S. Lucas) & Sapiens monet, nè quis capiatur *nutibus* mulieris: *inclinatione capitis*: vndè Sapiens dicit; *habeat caput reſponſum tuum*: & S. Auguſtinus ſic disertè ad rem noſtram ſcribit: *Loquebantur animum meum frons, gena, oculi, color, modus vocis, quam verba, quæ promebam*; ſubſcribit hiſce Seneca: *Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & vnum interdùm reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum riſus, inſanum vultus, habituſque demonſtrat. Iſta enim in apertum per notas exeunt*; ſic etiàm dicit Sapiens de Apoſtata: quod: *graditur ore peruerſo*; *annuit oculis*; *digito loquitur*: ſicut etiàm S. Ioannes, *indice* prodidit Chriſtum; & *facta ipſa* mentis ſunt ſigna: vndè S. Paulus de quibuſdam dicit: *factis negant*.

S. Luc. c. 1. Prou. c. 6. Iſai. c. 3. S. Auguſt. conf. l. 8. c. 8. Sen. ep. 52. Prou. c. 6.] Eccl. c. 32. & Catbech. p. 2. c. 1. ſeſſ. 8. S. P. Tit. c. 1.

IV. Æquiuoca verba, vel etiàm facta, vel mixta ex vtriſque ab hominibus inſtituta, licet etiàm nunc adhibere: nàm quod communitas hominum, ac Reſpublica facit, rationabilitèr facere, & fieri poſſe ab alijs cenſetur: vti exempla etiàm Sanctorum confirmant, & præſertim S. Franciſci, ac S. Athanaſij; Abraham quoquè vocauit *vxorem* ſuam *ſororem*, & alia plura in Scripturis, & Sanctis Patribus reperiuntur: Mendacium quippè (ait S. Auguſtinus) *eſt falſa ſignificatio cum voluntate fallendi. Non eſt autèm falſa ſignificatio, vbi etſi aliud ex alio ſignificatur, verum eſt tamèn, quod ſignificatur, ſi rectè intelligatur*.

Gen. c. 20. Reg. 1. c. 16. S. Ioa. 1. c. 8. 11. S. Luc. c. 2. S. Gregor. Dial. l. 1. c. 1. S. Aug. lib. contra mendaciū c. 12.

V. Nouiſſimis verò hiſce temporibus excogitata eſt à quibuſdam noua loquendi forma, ac ars immutandi antiquam verborum ſignificationem. Nàm addito, vel retento à loquentibus aliquo in eorum mente, mutant, vel reſtringunt verborum ſenſum, & hi dicuntur loqui cum *Reſtrictione mentali*: & noua hac arte eludunt homines, & illudunt hominis inſtitutioni: *Reſtrictionem* autèm *mentalem* à ſingulo, & ad priuatum placitum adhibere, non licet; quià non licet priuato homini mutare, quæ ſpectant ad communem hominum ſocietatem: ſicuti etiàm *priuatorum conuentio iuri publico non derogat*: (vt inquit Imperator). *Non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi vſu nomina exaudiri debent*: addit idem Imperator: ſin autèm vocabula non ex communi vſu, ac inſtitutione vſurpentur: ſed ex proprio arbitrio, iàm falſa erit verborum ſignificatio. Ergò mendax. Si verò ex cuiuſque placito verba adhibere liceret, iàm nullum eſſet mendacium; quià quilibet loqueretur

L. Neque pignus. ff. de reg. iur. Digeſt. 1. l. 33. tit. 10. L. 7. labeo §. 2. ff. l. 33. tit. 10.

Digitized by Google

ad mentem ſuam , ſuaque vocabula ſuo arbitrio reſponderent : & ignarus eorum, falleretur ex his excogitatis mendacijs . Verùm .

VI. Humanæ ſocietati magnoperè officit *Reſtrictionis mentalis* vſus ; hominum enim ſocietas conſiſtit, & fouetur communicatione rationabilium cogitationum ; ac liberorum cordis affectuum : hiſce enim homo differt à beluis, & horum communicatione ſibi inuicèm deuinciuntur; vndè ipſemet Chriſtus dicebat Apoſtolis : *Iàm non dicam vos ſeruos, ſed amicos ; quià, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*. Si autèm deſit in locutione veracitas, deficit & vera ſenſuum in ſermone communicatio ; & deficiet indè humana ſocietas ; quam tantoperè optabat in dies magis conglutinari Chriſtus : vndè orabat Patrem ; vt *vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus : quià omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*. Hinc dicit S.Thomas : *quià Homo eſt animal ſociale, naturalitèr vnus homo debet alteri id, ſinè quo ſocietas humana ſeruari non poſſet : non autèm poſſent homines ad inuicèm conuiuere, niſi ſibi inuicèm crederent, tamquàm ſibi inuicèm veritatem manifeſtantibus*. Hinc [Seneca monet]. *Hæc ſit propoſiti noſtri ſumma : quod ſentimus, loquamur : quod loquimur, ſentiamus :* Verùm mala deteſtabiliora ex his excogitatis mendacijs prodeunt, quæ ex Diuo Auguſtino differuntur in libro *Contrà mendacium* in Tomo quarto aduersùs Priſcillianiſtas . *Ipſi enim ſoli* [inquit S. Auguſtinus ibidem c. 2.] *vel certè maximè reperiuntur ad occultandam ſuam, quam putant, veritatem, dogmatizare mendacium :* eratque eorum Dogma ; *Iura, periura, ſecretum prodere noli* (vti refert Baronius) ; nèc reſponſio valet dicturos ipſos *mendacium*; nos verò *Reſtrictionem mentalem* dogmatizamus : non ſiquidèm ſuffragatur huiuſmodi excuſatio . Nàm *Reſtrictio* mutat nomen non rei vitium ; & eadem damna ex hac ſcatent, quæ D. Auguſtinus enumerat, ac diſputat ex mendacijs prodire . Si hoc ità non eſſet, nimioperè ignari, ac ſtulti fuerunt antiqui Patres, ac Sancti Martyres, qui in tot Eccleſiæ perſecutionibus ab Hæreticis, & Tyrannis, hanc non didicerint, nèc vſurpauerint tàm facilem Reſtrictionem mentalem, vt mortem, & plurium lapſum euitarent ; potuiſſent enim ſimulare huiuſmodi mentalis Reſtrictionis vſu, ſicuti S.Petrus ſimulabat factis ; cui tamèn in faciem reſtitit S.Paulus, aſſeuerans, quod reuera reprehenſibilis erat . Ergò multò reprehenſibiliores huiuſmodi ſimulatores ſunt cenſendi : Ergò (concluderet ad rem noſtram pius, & doctus Gerſo) : *Nobis ad certam regulam loqui fas eſt, poſita hæc ſententioſiſſima, veriſſimaque Auguſtini ſententia, quæ tollit barbaram confuſionem linguarum à Sacra Doctrina : nàm qualis altera eſſet efficacitèr via probibendi ædificationem turris Dauidicæ in bonum, quàm ſi fieret nominum, vel terminorum*

S. Ioa. c. 15. — *S. Ioa. c. 18.* — *S. Th. 2. 2 q. 109. ar. 3. ad 1.* — *Sen. ep. 75.* — *Baron. ar. 38. n. 112.* — *S. P. Galat. c. 2.* — *Gerſo. p. 1. epiſt. ad Fratrem Bartol.* — *S. Aug. de Ciu. Dei l. 10. c. 23.*

Digitized by Google

rum pro libitu cuislibet variatio. Non enim tunc intelligeret vnus Alterum; ſed in quadam Babylonis confuſionem laberemur. Huiuſmodi confuſio ex Reſtrictione mentali procederet in humanæ conuerſationis, ac ſocietatis detrimentum.

VII. Cauſa verò iuſta vtendi his Amphybologijs (hoc eſt à *Reſtrictione mentali* procedentibus) nulla eſt; ſed quæ affertur pro iſtis, militat pro æquiuocis, ac Amphybologijs à communi hominum inſtituto approbatis. Qui autem ex huiuſmodi approbatis æquiuocis, ac Amphybologijs decipitur, ſuæ debet imperitię imputare; vel importunitati, qua alterum vrget dicere, quod dicere non tenetur; qui propterea ad celanda animi ſui arcana, vtitur iure ſuo, adeò, vt deceptio ſit potius accepta, quam data. S.Luc.c.11

VIII. Chriſtiani tamen hominis profeſſio eſt ſimplicitas (vt dictum eſt ſupra): vnde æquiuocationibus in ſimplicibus verbis, vel factis, vel Amphybologijs in orationibus, non debemus vti paſſim; ſed cum iuſta cauſa ſubeſt, his vtendi. Tunc verò aduertendum videtur, quod quælibet ſcientia, Ars, & Facultas ſuos habet terminos, & vocabularia; extant enim lexica Grammatica, Logica, Theologica, Legalia, Scripturalia; ſicuti etiam Vrbanitas, ſeu Ciuilis conuerſatio habet & ſuum Dictionarium, vt docet etiam Sanctus Franciſcus Saleſius: quæ verba, ac facta ciuilia, ſi rigoroſè intelligantur, ſecundum alterius Artis, vel ſcientiæ lexica, ſunt mendacia, V.G. *Ego ſum ſeruus tuus:* millies prodigerem vitam pro te; ciuiliter, & vrbanè ſunt intelligenda: quamobrem ad ſupradicta lexica poteſt confugere vnuſquiſque. V.G. Interrogatur aliquis. *Feciſti ne hanc rem?* Alter reſpondet non feci nihil: hæc reſponſio ſecundum vocabularium ciuile, ac locutionem vrbanam negat ſimpliciter; ſed iuxta lexicum logicale, affirmat: quia duo negationes affirmant. V.P.2. Flo. 10 n.6.

IX. Ad argumenta verò contraria, & pro maiori huius confirmatione eſt obſeruandum etiam, quod verba intelligenda ſunt iuxta ſubiectam materiam, in qua ſolent concurrere variæ circumſtantiæ, quæ aliquo modo mutant, vel explanant dicendi rationem, uti etiam interrogatio, & reſponſio caſu cohęrent (ut dici ſolet); hoc eſt reſponſio debet accommodari interrogationi, uel propoſitioni, & eorum circumſtantijs, & ex hiſce ſolet colligi locutionis ſenſus. V.G. Chriſtus inuitatus fuit aſcendere Ieroſolymam, ad manifeſtandum ſe: *vade, & manifeſta te ipſum.* Ipſe autem reſpondit: *non aſcendo.* Ex hac reſponſione oritur apud Theologos grauis quæſtio, cum reipſa Chriſtus aſcenderit Ieroſolymam. Verùm obſeruandum eſt, quod in primis dicit in præſenti, *non aſcendo*, non in futuro, non aſcendam: deindè non aſcendo [dixit] iuxta propoſitam copulatiuam, S.Ioan.c.7.

uam,

uam, *vt ſe manifeſtaret*: dixit enim, *non aſcendo ad diem feſtum hunc*: propoſitioni non ſimplici, ſed copulatiuæ Ipſe reſpondit; cuius ueritas in coniunctione eſt. Chriſtus autem copulatiuam negat, *ad diem hunc*, ſeu cum iſtis circumſtantijs propoſitis: idcircò dicit Sanctus Ioannes, quod aſcendit poſt eos, *quaſi in occulto*; ſicut ſi dicerem. *Petrus eſt animal, & impaſſibile*; alter benediceret, nego: etiam ſi pars ſit uera; quia negatur copulatio, cum negatur propoſitio copulatiua: uidetur explicari factum Chriſti facto Benedicti Vndecimi eius Vicarij, ad quem accedens Mater ſericis ueſtita, dixit Papa, *hæc non eſt mea Mater*; ſic dies feſtus non eſt meum tempus, quod nondum eſt impletum pro mea manifeſtatione; & ideò cum hiſce circumſtantijs non aſcendo: cohærebat reſponſio tunc ſubiecto ſermoni, cui ſimilis uidetur locutio ipſius Dei in Iſaiæ capite quadrageſimo primo, ubi dicit Iſraeli: *quære eos* [ideſt Ægyptios] *& non inuenies rebelles tuos*, & tamen Iſrael inuenit eos mortuos ſuper aquas: ubi ſic exponit Liranus. *Non dixit abſolutè non inuenies; ſed non inuenies rebelles tuos; ideſt perſequentes*.

Odericus in Annal. Ration. an. 1304. n. 35.

X. Ex dictis patet, quod Reſtrictio mentalis ſit uitanda, tamquam doloſa locutio, ac pernicioſa humanæ ſocietatis, utpotè contraria ueritati, quæ eſt Sol Mundi Ciuilis: Vndè concludit Sanctus Ambroſius apud Gratianum; Vnuſquiſque ſimplicem ſermonem proferat; nec fratrem ſuum circumſcriptione uerborum inducat, uel ſeducat; ſed ſermo ſit ſimplex, ut monet Gratianus.

Grat. cau. 22. q. 4. c. vnuſquiſque.
Grat. cau. 2. q. 5. c. Iuram.

Propoſitiones.

Innoc. XI.

26. *Si quis vel ſolus, vel coram alijs, ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte; ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec eſt periurus.* Contra. Mentitur, & periurat. Vide ſup. num. 5. 6. Imò dupliciter reus eſt; quia aſſumit nomen Dei in uanum, & quia proximum dolo capit, inquit S. Iſidorus citatus ſupra c. 20. prop. 25.

Innoc. XI.

27. *Cauſa iuſta vtendi his amphybologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, uel quemlibet alium uirtutis actum, ità ut ueritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Contra. Mentiri numquam licet, nec periurare. Vide ſupra c. 20.

Innoc. XI.

28. *Qui mediante commendatione, uel munere ad Magiſtratum, vel*

Digitized by Google

vel officium publicum promotus eſt, poterit cum Reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. Contra. Reſtrictio huiuſmodi uetatur. Vide ſupra, & uide etiam ſupra c. 20. Prop. 25.

CAP. XXXVI.

De Mendacio.

I. Lingua, & locutio datæ ſunt hominibus; ut cor, quod eſt inſcrutabile, poſſit aliorum mentibus patefieri: Nam ſi uult, in ipſius poteſtate eſt, tacere: uerum ſi loqui decernit, cor aperire debet, & mentem oſtendere: ſecus *mentitur*, hoc eſt, *contra mentem it*: mendacium uerò adeò repugnat Diuinæ Sapientiæ, ac ueritati; ut cum ſit ipſe omnipotens, nihilominus *impoſſibile eſt mentiri Deum* (ut ait Sanctus Paulus), ipſique Deo ualdè diſplicet; quare conqueritur per Prophetam. *In corde, & corde locuti ſunt*: nimirum cor vnum præſeferunt in ore, & cor aliud reſeruant in pectore: verum *va duplici corde*. Hinc docent Sancti Patres mendacium nunquam licere etiam propter bonum finem: vt pluribus probat S. Auguſtinus & refert etiam Baronius. *Non enim ſunt facienda mala; vt veniant bona*; vt dicit Sanctus Paulus: Mendacium autem dupliciter fit 1. *Verbis*, cum quis ea loquitur, quæ eius menti non reſpondent 2. *Factis*, cum ſimulando, ea monſtrat ſe ſentire, ac velle, quæ reuerà non ſentit, nec vult: nam ad virtutem veritatis (ait S. Thomas) *pertinet, vt quis talem ſe exhibeat exterius per ſigna exteriora, qualis eſt. Signa autem exteriora non ſolum ſunt verba; ſed etiam facta. Vndè ſimulatio propriè eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum*. Ità vt ſimulatio ſit loquax factum; ſicut diſſimulatio eſt veluti ſilentium in factis. Non enim tenemur omnia prodere, quæ in mente ſunt, quamuis cum loqui volumus, tenemur menti conſentanea effari; cum D. Thoma conſentit D. Ambroſius apud Gratianum ſic, *non ſolum in falſis verbis; ſed etiam in ſimulatis operibus mendacium eſt*. Vndè ſcandaloſæ ſaltèm ſunt hæ.

S. P. Heb. 6. Pſal. 11. Eccl. c. 2. S. Aug to. 4 lib. contra mendaciũ. Baron. an. 51 n. 36. 37. S. P. Rom. c 3. Grat. cau. 22 q 5. c. cauere. S. Thom. 2. 2. q. 111. ar. 1.

Pro-

Digitized by Google

Propoſitiones.

Innoc.XI. 43. *Quidni, nonniſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falsò crimine elidere ?*

Innoc.XI. 44. *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.*

CAP. XXXVII.

Occaſio & periculum peccandi.

I. Magnus ille Abbas Antonius Sanctitate, ac Scientia Sanctorum celeberrimus, aliquandò maiori intùs lumine perfuſus, contemplatus eſt ſpiritualia hominis pericula: vndè exclamauit; *Heu mihi, quot laquei? quis euadet?* reſponſum autèm accepit. *Humilitas. Humilitas autem eſt veriſſima ſui cognitio, qua homo ſibi ipſi vileſcit*: (vt dicit S.Bernardus) & humilis cum Diuo Paulo profitetur, quòd *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, & reſponſum mortis accipimus; vt non ſimus fidentes in nobis; ſed in Deo.* S.P.Cor.2. c.3. S.P.Cor.2. c.1.

II. Laquei autèm nobis parantur à *Dæmone* multiformitèr per ſuperbiam 2. à *mundo* per auaritiam 3. à *Carne* per luxuriam. *Omne enim quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt: Et concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* (ait Sanctus Ioannes): verum Dęmon detectus ſigno Crucis fugatur; mundus agnitus contemnitur. Caro autem nobiſcum eſt; in nobis eſt, & à nobis amatur. *Nemo enim* (ait Sanctus Paulus) *carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet.* Carnis verò ſenſus incraſſatus, impinguatus recalcitrauit; vnde Diuus Paulus, & cum eo D.Hieronymus, quamuis caſtigaret corpus ſuum, & in ſeruitutem redigeret; nihilominùs lamentabatur dicens: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: datus eſt enim ſtimulus carnis meæ, qui me colaphizet.* S.Ioa.1.c.2. S.P. Epheſ. c.5.

III. Caro enim ſpiritum circumdat, vt hoſtis caſtrum, cuius portas iàm habet, quæ ſunt corporei ſenſus. Hi enim ſunt carnei, carnique famulantur: præcipuè uerò oculi, Tactus, ac loquela. Oculi nàmque ſunt in amore Duces, & *vrit videndo fæmina*: undè monet

Digitized by Google

net Eccleſiaſticus; *Virginem nè concupiſcas, nè fortè ſcandalizeris in decore illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & nè circumſpicias ſpeciem alienam; Proptèr ſpeciem mulieris multi perierunt; & ex hac concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Speciem mulieris alienæ multi admirati ſunt, reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius, quaſi ignis exardeſcit.* Sichem uidit Dinam, uidit, adamauit, uim intulit, & ſibi, uniuerſæque urbi excidium parauit. Dauid Sanctiſſimus uidit Berſabee, concupiuit, adulterium commiſit. Salomon Sapientiſſimus alienigenas amauit, & à Deo apoſtatando Idola Gentium coluit; nàm *vinum, & mulieres aſportare faciunt Sapientes*; (ait Eccleſiaſticus); quinimò uirgo quædam aſpexit Veneris ſtatuam, & ſimilis facta eſt illi; ut refert Baronius. Eccl.c.9. Baron. an. 434.n.15.
Tactus ſimilitèr ualdè carni fauent, & ſpiritui nocent. Tactus uerò alius eſt merè naturalis, ex quo oritur in ſenſu quædam delectatio ſenſibilis, cùm tangibile conueniens tactui ſuaptè natura adeſt; cuiuſmodi ſunt mollia, ut caro etiàm in pudendis ob aliquam neceſſitatem, ſi ſiſtitur tamèn in illa ſuperficiali delectatione, nèc excitatur libido; nèc ad excitandam uenerem fit. Nàm ſi excitatur libido, uel ad hanc commouendam fiat; Tactus eſt libidinoſus, & delectatio eſt uenerea, & ducit ſuaptè natura ad ulteriora. S.Philippus Nerius uetabat tactus etiàm ioco, & purè naturales etiàm felium; quià unus Tactus facilè mutatur in alium tactum, præſertim intèr perſonas ſexu differentes; Hinc iterùm Eccleſiaſticus monet; *Cum aliena muliere nè ſedeas omninò, nèc accumbas cum ea ſupèr cubitum. Numquid* [ait Salomon] *poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? Aut ambulare ſupèr prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cùm tetigerit eam; colloquium autèm illius quaſi ignis exardeſcit*; repetit Eccleſiaſticus. *Et à ſcintilla vna augetur ignis.* Verba ènim amantium ſunt tela ignita Diaboli; & ex Amante alio accenditur alius. Ad hanc rem ſcripſit & Plato; *Bona verba quæſo, ò Amice, libentiſſimè hæc; tamquàm furioſum, agreſtemque Dominum aufugi.* Non Platonis tantùm; ſed Sanctiſſimi Franciſci Saleſij grauiſſimum eſt præceptum enixè eadem ſcribentis. Vita lib. 2. c.7.13. Eccl.c.9. Eccl.c.11. Plato l.31. Dial 1. de Repub. S.Sales Introd.p.3. c.18.21.

IV. Amor autem eſt uirtus unitiua (ut docet cum D.Dioniſio S. Thomas) Amor ſpiritualis tendit ad unionem ſpirituum; hinc *qui adhæret Deo vnus ſpiritus efficitur*: ait S.Paulus: & de Ionatha filio Saul dicitur, quod anima eius conglutinata erat animæ Dauid. Amor carnalis tendit ad vnionem corporis intèr fæminam, & maſculum, vt ſint duo in carne vna: vndè Ariſtoteles dicit, quod materia appetit formam, ſicut fæmina marem. Hanc diſertè tradit do- S.P.Cor. 1. c.6. Reg.1.c.18. Ariſt.phiſ. l.1.

S.Salei Introd.p.3.c.18.20. ctrinam S.Franciſcus Saleſius dicens huiuſmodi Amores vanos tendere, etſi amantes non intendant,in carnalem maculam.

V. *Occaſio*, alia *remota*: alia *proxima*: idem de periculo. Proxima eſt, in qua poſitus homo ſæpiùs labitur in peccatum, cui proxima eſt talis occaſio. Remota, è contrà: modus euadendi peccata eſt occaſionem fugere, præſertim in materia Caſtitatis; vndè dicebat illuminatiſſimus S.Philippus Nerius, quod cætera peccata carnis fugiendo vincuntur, & hinc addebat: *alla guerra del ſenſo vincono i Poltroni*. Nàm in his potiſſimùm, *qui amat periculum, peribit in illo, & quis* (ait Idem Eccleſiaſticus) *miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtijs*; quam labendi occaſionem, vt remoueret Stephanus Epiſcopus Gratianopolitanus Gregi ſuo, cui ſe præbet in omnibus exemplum bonorum operum, mandauit mulieribus cooperire pectus, & modeſtè veſtiri. Idem vrget fieri hiſce diebus Innocentius Vndecimus bis Sanctiſſimus Romæ.

Vit.lib.2.c.3. Eccl.c.3. Eccl.c.12.

VI. Hæc expertus S.Martinianus ſibi repetebat: *Martiniane fuge*; & hiſce eruditus S.Vrſicinus, poſt datam operam cum vxore ſeparatim Deo per quadraginta annorum ſpatium, & extremum agens ſpiritum, cùm vxor admouiſſet aures ipſius naribus, vt dignoſceret, an reſpiraret, vel expiraſſet, ipſe periculi terrore, ac Caſtitatis amore; quaſi ex mortuis reſurgens, ac reliquarum virium conatu, dixit: *diſce à me mulier: adhuc igniculus viuit: paleam tolle*: vt refert Baronius, & S.Gregorius: *Memento igitùr quod tu non es Dauid Sanctior, nèc Salomone ſapientior*: monet Sanctus Hieronymus.

Baron. an. 58.n.27. S Greg. Dial.l.4. c.11. S.Hier. ep. ad Nepot.

VII. Proh dolor! Alicubi homines, quaſi forent facti ſtatuæ, vel Angeli diu aſpiciunt, confabulantur amatoriè, ac ludunt cum mulieribus, & Confeſſarij annuunt vſui, imò abuſui: tùm D.Thomas, cui ab Angelo fuerunt diuinitùs præcincti renes cingulo puritatis, interrogatus quarè natus de muliere, mulieres fugeret, reſpondit; imò quià de muliere natus ſum, eas idcircò fugio: *Omne enim animal diligit ſibi ſimile*, & diligendo mollitur, ac vincitur; & ſal ex aqua conflatus, aquæ contactu ſoluitur: Itèm: *Vbi non eſt ſepes* (ait Eccleſiaſticus) *diripietur poſſeſſio*; & Eccleſiaſtes confirmat eamdem ſententiam, dicens: *qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber*; ideſt vbi non eſt ſepes cautelæ, ac cuſtodiæ ſenſuum, ac cordis, perdetur gratiæ poſſeſſio, & mordebit eum peccati coluber: hinc eximius Illuſtriſſimus Ordinis Prædicatorum Patriarcha Dominicus, ſuis hoc teſtamentarium reliquit monitum pro caſtitate tuenda: *fugite occaſiones, nèc veſtra confidite virtuti*: ſic refert in eius vita

Eccl c.36. Eccl.c.10.

Digitized by Google

vita Ribadeneira; *Omni igitùr cuſtodia ſerua cor tuum* : monet expertus Salomon. Prou.c.4.

VIII. Decipiuntur aliqui ſpecie amoris ſpiritualis : ſed (ait S. Paulus) *videte; nè cum ſpiritu cæperitis, carne conſumemini*; vti periclitatus eſt Epiſcopus magnæ virtutis cum ſanctimoniali (vt refert S.Gregorius), quod exemplum (ait S.Gregorius) *ad hoc legentibus, vt valeat, exopto; quatenùs qui corpus ſuum continentiæ dedicant, habitare cum fæminis non præſumant, nè ruina menti tantò repentina ſubripiat, quantò ad hoc, quod malè concupiſcitur etiàm præſentia concupitæ formæ famulatur. Qui Epiſcopus certus de ſua, eiuſque continentia, ſecum hanc permiſit habitare, cuius tentatione inclinatus in terga eiuſdem ſanctimonialis fæminæ blandiens, alapam daret. Ecce Paradiſi Cedrum concuſſam audiuimus; ſed non euulſam, quatenùs infirmis nobis, & de eius concuſſione naſcatur timor, & de eius ſtabilitate fiducia; qui mox tandèm, & cæteros de ſuo habitaculo expulit; ergò in medio mulierum* (monet, ac concludit Eccleſiaſticus) *noli commorari, de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*. Sequentes igitùr pertimeſcite.

S.P.Galat. 1.c.3. S.Gregor. Dialog l.3 c.7. S.Gregor. Dial.l.3. c.7. Eccl.c.42.

Propoſitiones.

40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.* Alex.VII.

41. *Non eſt obligandus Concubinarius ad eijciendam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum Concubinarij, vulgò regalo, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & culpæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur*. Contrà vide etiàm c.39. & S.Franciſcus Saleſius hos Confeſſarijs iuſſit non abſolui : vti patet ex Epiſtola circulari ad Parochos, & prædicabat, *diſrumpe, amputa huiuſmodi vincula iniquitatis*. S.Franc. Sal.l.7.ep. 70.c.5. Introd.P.3. c.21.

61. *Poteſt aliquandò abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*. Contrà vide n.5. Innoc. XI.

62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quandò cauſa aliqua vtilis, aut honeſta non fugienda occurrit*. Contrà vide c.39. infrà. Innoc.XI.

63. *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi* Innoc.XI.

pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi. Contrà vide etiàm c.*39*.

CAP. XXXVIII.

De Cooperantibus ad peccatum.

Eccl. c. 17. S. Aug. lib. quæſtion. ſup. Leu. q. 74. S. P. Cor. 1. c. 13. Eccl. c. 29.

I. VNicuique *mandauit Deus de proximo ſuo* (ait Eccleſiaſticus). *Proximus autèm eſt omnis homo homini* [inquit S. Auguſtinus]: hinc faciendum omni homini bonum. (Nàm *Charitas benigna eſt*, ait S. Paulus) & impediendum eidem malum: vndè præcipitur *correctio fraterna* ad lucrandum illum à perditione æterna; vt idem Eccleſiaſticus monet, dicens; *Recupera proximum tuum ſecundùm tuam virtutem*.

C. Quia quæſitum de offer. Iudic. S. P. Rom. c. 1. Iſa. c. 1. Pſal. 49. Caſſiodor. in pſal 49.

II. Cùm igitùr teneatur fidelis abducere proximum ſuum à malo; multò magis tenetur non cooperari eidem ad peccandum; ſecùs *ſi fecerit ſcire debet* (inquit Pontifex) *quod Agentes, & conſentientes pari pæna puniuntur*: ſiquidèm [confirmat S. Paulus]: *non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiàm qui conſentiunt facientibus*. Hinc dolebat Deus per Prophetam Iſaiam: *Principes tui ſocij furum*: & per os Dauid: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*: vbi ſic exponit Caſſiodorus: *Si quis dando pecunias, aut conſiliando, aut laudando, adminicula præbet adultero, quibus ſua vitia perficiat, habere, ibi ſinè dubio, dignoſcitur portionem. Nam ſi cui facultas ſuppetit, & à malo non reuocat excedentem; & ipſe quoquè particeps probatur erroris: quià debemus hanc conſcientiam Charitati; vt neque nos, neque alios perire patiamur*. Idcircò in Sacra ſugellantur Scriptura complures Reges Hebræorum, quod *excelſa* non abſtulerint, & in Apocalypſi Angelus Tyaturæ reprehenditur; quià permittebat mulierem ſeducentem, & Alius ſimilitèr; quià permittebat tenentes doctrinam Nicolaitarum; quantò magis, qui nòn ſolùm *permiſſiuè*, ſed & *effectiuè* concurrit, caſtigabitur? Nàm *dare alicui occaſionem damni, vel periculi, ſempèr eſt illicitum* (inquit D. Thomas): cui accedit S. Auguſtinus apud Gratianum, ſic dicens; quod non ſolùm illicitum dare occaſionem, ſed etiàm conſentire accipienti occaſionem peccandi, ac etiàm non corrigere: *ſic duobus modis non te maculat malus, ſi ei non conſentias, & ſi redarguas, neque conſentientes ſitis mali*,

Reg 3. c. 14. Reg. 4. c. 12. 14. 15. Apoc. c. 2. S. Tho. 2. 2. q. 77. ar 3. Grat. cau. 23. q. 4. c. Amatis. C. ita plane C. recedite.

mali, vt aprobetis, neque negligentes, vt non arguatis. Meritò igitùr exploditur ſequens.

Propoſitio.

51. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcientèr adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtrapandum Virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat moralitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne à Domino male tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur*. Contrà vide etiàm ſup.c.37. & P.3.c.15.n.7. quià hic, & nunc in indiuiduo non eſt ampliùs indifferens actio; lege etiàm c.ſequens.

CAP. XXXIX.

De excuſantibus à peccato.

I. OMnes Filij Adam hæredes ſunt Euæ, cuius hæreditas eſt excuſatio peccati; hinc excuſantes ſe à peccato appellabat D.Philippus Nerius. *Domina Eua*, quæ pro accuſatione peccati, ſubſtituens excuſationem, idem aggrauauit; idcircò Rex Dauid, ne aggrauaret; ſed minueret delicta, Deum exorabat, dicens. *Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Nulla enim eſt ratiò, quæ permittit Dei offenſam, cum ipſi debeatur omnis cultus, & amor. *Pſal.140.*

II. Duo ſunt, quæ hominis uoluntatem, & cor mouent ad oppoſita. Bonum excitando amorem ad proſecutionem. Malum, excitando odium, ad fugam. Bonum autem eſt duplex. 1.*Bonum naturæ*, 2.*Bonum gratiæ*. Malum item duplex. 1. *Malum pœnæ*, contrarium Bono naturæ. 2.*Malum culpæ*, contrarium bono gratiæ. Nullum autem bonum naturæ, imò totus uniuerſus non æquiualet bono gratiæ; nec uniuerſum naturæ malum præponderat malo culpæ. *Quod enim* (ait Dei Filius, ac Sapientia) *prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur. Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua*, ideò *nolite timere* (ait iterum Ieſus) *eos; qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam*. *S.Mat.c.16* *S.Mat.c.10*

III. Di-

III. Diuinæ igitur legis obſeruatio nullo naturæ bono, uel malo eſt deſerenda, ne bonum gratiæ amittatur, & malum culpæ incurratur. Hinc iuſtè exprobati fuerunt in celeberrimo Calcedonenſi Concilio quidam Epiſcopi, lapſi propter timorem, quod. *Chriſtianus neminem timet*; *Catholicus neminem formidat*; uti refert Baronius; qui præclarum exemplum in S.Dunſtano narrat; aliud quoque affert S.Auguſtinus de quodam Epiſcopo, qui uocabatur Firmus; ſed uirtute Firmior, qui noluit ullo modo manifeſtare Tyranno innocentem. Deus namque cum ſit Omnipotens, & legis, & gratiæ author, legem dando, dat & gratiam; & præcipiendo opus, adiuuat ad operandum, accommodatque uires hominum Diuinis mandatis. Legislator uerò humanus cum gratiam non det; idcircò accommodat leges uiribus ſubditorum, quibus cum magnum incommodum cenſeatur moralitèr impoſſibile; propterea lex humana non obligat cum tanto incommodo [ut innuimus ſupra]: undè rationabiles cauſæ, ueluti periculum amittendi notabile naturæ bonum, uel labendi in graue damnum, excuſant à legis humanæ obtemperatione. Non autem excuſant à tranſgreſſione legis Diuinæ. *Pro nullo* enim *metu debet quis mortale peccatum incurrere* [inquit Innocentius Tertius] *& melius eſt, vt emolumentis carnalibus careas, quam dum vis lucrifacere, cauſam habeas ruinarum*; ſubdit Sanctus Hieronymus. Vide etiam ſupra c.12.n.4. Hinc damnantur.

Baron. an. 451.n.74. & an.971. n.12.
S.Auguſt. contra Mendaciū c.13.
Innoc.III. c.ſacris de his quæ vi vel metu.
S.Hieron. in Math. lib.3.c...

Propoſitiones.

Innoc.XI. 29. *Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*. Contrà vide etiàm ſuprà c.18. & P.1.c.22. n.22.

Innoc.XI. 51. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcientèr adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multotiès eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortalitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur*. Contrà vide etiàm c.38.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XL:

De Ieiunio.

I. DVabus partibus conſtat homo, quæ intèr ſe differunt, ſicut
Cælum diſtat à terra. 1. *Spiritus* creatus à Deo immediatè, vt Deum *in ſpiritu, ac veritate* adoret; ſed, vt adoret, priùs
vt agnoſcat, & deindè amet, & ſeruiat eius voluntati: (vt inquit Eccl.c.12.
Eccleſiaſtes: *Deum time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt enim
homo.* 2. *Corpus*, & caro ex limo terræ formatum, quod terram
reſpicit, & terram cogitat, & terram amat: vndè *Corpus* (ait Sapiens) *quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio impedit ſenſum multa cogitantem*: hinc perenne oritur bellum; Sap.c.9.
Caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem
(ait S.Paulus). *Hæc enim ſibi inuicèm aduerſantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* S.P.Galat. c.5.

II. Quæ vni proſunt, alteri obſunt: hinc *frequens meditatio* (quę
animæ eſt cibus: Nàm *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*) *carnis afflictio eſt* [ait Salomon], *&
antè tempus ſenectam adducet cogitatus* (Eccleſiaſticus addit): E
contrà carnis fomenta ſunt detrimenta ſpiritus, & blandimenta Eccl.c.12.
corporis ſunt irritamenta vitiorum; vt dicit etiàm Seneca: & *homo* S.Math. c. 5.
impinguatus, incraſſatus recalcitrauit: vti quamplura Scripturæ Sen.ep.51.
loca probant; qui igitùr ſpiritui opitulari cupit, carnem reprimere
oportet: vti S.Paulus dicit: *Cùm infirmior, tunc potens ſum*.
Nàm *virtus in infirmitate perficitur*.

III. Feruor ſanguinis eſt robur carnis: nam *anima carnis in ſanguine eſt* (ait Moyſes) *ſecundùm autèm ligna ſyluæ exardeſcet ignis*: Leuit. c.17
[monet Eccleſiaſticus]: ſi lignum eſt aridum, ſi ſanguis eſt feruidus, facilè exardeſcit ignis, facilè feruet concupiſcentia: Idcircò Eccl.c.28. S.Leo ſer.4 de quadr.
Moyſi, Eliæ, & alijs inſpirauit Deus virtutem Ieiunij; & Chriſtus S.Baſil.
exemplo comprobauit, & Sancti Patres plurima de Ieiunio prædicarunt æncomia, & Caſſianus docet, & S.Philippus Nerius itèm Mag.ho.1. de Ieiun.
confirmat, fundamentum victoriæ Chriſtianorum eſſe cibi ſobrietatem: vti docet etiàm D.Paulus, ſcribens ad Corinthios: quod *qui* S.Athan. l.2. de virgin.vita
in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: vbi Cornelius à Lapide lib.2. c.14.
ſic dicit: *In hoc ſtadio, & certamine Antagoniſta eſt mundus, caro,* S.P. Cor.1.
Dæmon; *Coliphium* (cibus atletarum parcus) *eſt victus ſobrius*, c.4.
& Ieiunium. Pugna eſt caſtigatio corporis; qui igitùr ſunt Chri- Cornel. ibid.ver. 25.

ſti,

S.P. Galat. c.5. *ſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs*: ait Sanctus Paulus. Crucifigitur autèm caro, ſi ieiunijs mortificatur: nàm *ſinè Cerere, & Baccho friget Venus*; vt cum Poeta dicit Sanctus Hieronymus, *id eſt per abſtinentiam cibi, & potus tepeſcit* luxuria, vt commentatur Diuus Thomas: hinc S. Gregorius deſcribere videtur *Ieiunium* apud Gratianum ſic: *Par eſt, vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem, ieiunamus; à lacte videlicet, caſeo & ouis. Cæterùm piſcium eſus ità Chriſtiano relinquitur, vt hoc & infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium. Denique qui à carne abſtinet, nequaquam ſumptuoſiora marinarum belluarum conuiuia præparet. Vinum quoque ità bibere permittitur, vt ebrietatem omninò fugiamus*: cuiuſmodi abſtinentia *à carnibus & ouis, & lacticinijs* eſt communis fidelium conſuetudo; confirmat Diuus Thomas, qui etiam citat Concilium Cabilonenſe decernens, quod *nullatenus credendi ſunt Ieiunare, qui antè manducauerint quam veſpertinum celebretur officium*. Eademmet docuit Clerum ſuum Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, qui carmina compoſuit, quæ die Palmarum concini ſolent, & incipiunt *Gloria, Laus, & Honor*, vti refert Baronius; imò Synodus ſub S. Gregorio Septimo prohibet tempore quadrageſimali comedi oua, & caſeum: ex dictis ſequens Ieiunij definitio poſſet tradi. *Ieiunium eſt actualis abſtinentia à conſueto genere, pondere, & tempore ciborum, apta ad mortificandam, affligendamque carnem, non deſtruendam.*

S.Tho.2.2. q.147.a.1.

S.Tho.2.2. q.147.a.8.

Baron. an. 855.a.22.

Baron. an. 1085.n.5.

IV. Ieiunium ergò eſt infirmatio carnis per imminutionem feruoris ſanguinis, non deſtructio eiuſdem. *Rationabile* enim vult Deus *obſequium noſtrum* (vt inquit Sanctus Paulus). Quanti autem ſit faciendum Ieiunium, & quot commodis Chriſtianum afficiat; Sanctus Athanaſius diſertè deſcribit. *Ieiunium morbos ſanat; diſtillationes corporis exſiccat, Dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus ſanctificat; Denique ad thronum Dei hominem ſiſtit. Magna vis in Ieiunio, & magna, ac præclara fiunt per illud.* Conſentit hiſce Ieiunij laudibus Sanctus Thomas, & Sanctus Gregorius Papa, Sanctus Hieronymus, Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Ioannes Chryſoſtomus apud Gratianum.

S.P.Rom. c.12.

S Athan l. 2.de virg.

S.Tho.2.2. q.147 ar 1.

Grat. diſt 5 de conſecr. c.16.18.19 20.21.22. 24.25.28. 29.30.

V. Mater autèm Eccleſia Ieiunium, quod animabus, corporibuſque ſanandis inſtitutum eſt, aliquibus anni temporibus præcipit, & cum ſit ieiunium adeò ſalutare, notabiliterque proſit, à nemine, qui 21. annum expleuit, eſt frangendum: vti diſertè apud Gratianum iubet Sanctus Euſebius Papa dicens. *Ieiunia in Eccleſia à Sacerdotibus conſtituta ſine neceſſitate rationabili non ſoluantur*:

Grat. diſt. 5.de conſ. c.17.Ieiun.

Digitized by Google

tur: quæ Euſebij Papæ ſtatuta renouantur à Concilio Tridentino, ſic præcipiente. *Præcipuè ſint obſequentes* (illis ſcilicèt Statutis) *quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus, & ieiunia.* *Trid. ſeſ. 25. de delectu ciborum.*

VI. Ieiunij verò præceptum, ſicut, & cæterarum virtutum triplicitèr uiolari contingit, (vt dicit Diuus Thomas) 1. vel ex ignorantia, aut inaduertentia 2. vel quia aliud proponitur, & occurrit, quod homini magis placet, quam ſit res præcepta 3. vel quia non occurrit aliquid magis æſtimatum, ac gratum; ſed quia homo ipſum præceptum non æſtimat, ſed contemnit: vt dicit Diuus Thomas: eſt enim contemptus actus opinionis in id, quod nihil dignum æſtimatur: vt dictum eſt cum Ariſtotele: & hoc uidetur etiam dici peccatum *ex electione, de induſtria, & malitia formali*: indicia verò contemptus ſolent eſſe [vt dicit etiam Sanctus Franciſcus Saleſius,] 1. cum quis correptus nugatur, nec pænitet, 2. perſeuerantia abſque deſiderio, ac voto reſipiſcendi, 3. cum contendit præceptum non eſſe opportunum, 4. vel ſtudet alijs generare eamdem opinionem, eiuſque tranſgreſſionis timorem demere. *S. Sales Tractat. 1.*

VII. Ieiunium autèm (vt dictum eſt) ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrænandam; ità tamèn, quod natura ſaluetur (dicit Sanctus Thomas) ac Sanctus Auguſtinus in libro *de vtilitate Ieiunij*. Hinc *ſi immineat* [ait idem Sanctus ibidem] *neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel étiam multum laborandi, & ſimul cum hoc non poſſit Eccleſiæ ieiunia obſeruare, non obligatur homo ad ieiunandum*. Ex ſuperioribus ergò patet rectè fuiſſe damnatas has. *S. Tho. 2.2 q.147. a.6. Ibidem ar. 4 ad 3. S Aug. to 9 Vide ſup p. 2. c.84. 85.*

Propoſitiones.

23. *Frangens Ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, niſi ex contemptu, & inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubijcere præcepto*. Contra. vid. n. 5. *Alex. VII.*

29. *Propoſitio 29. in die Ieiunij, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium*. Contra *per partes peruenitur ad totum*; dicit etiam Seneca, & *Fraus legi fit, vbi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit*. *Alex. VII. Sen. ep. 108 L. Fraus ff. de legibus &c.*

30. *Omnes Officiales, qui, pro Republica corporalitèr laborant, ſunt excuſati ab obligatione Ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Ieiunio*. Contra. vide n. 5. 7. vide etiam. P. 1. c. 8. *Alex. VII.*

Digitized by Google

Alex.VII. 31. *Excuſantur abſolutè à peccato Ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant*. Contra. vide n.7.

Alex.VII. 32. *Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima obliget*. Contra. vide n.3. Non eſt ſolum

Baron: an. 1085.n.6. conſuetudo: ſed & lex Concilij: vti refert Baronius.

CAP. XLI.

De Beneficijs.

S.Io.c.15. Beda l.4. c... in Luc. I. ECcleſia poſſidet aliqua bona, ſicut & ipſius ſponſus Chriſtus eam exemplo informauit [vt ait venerabilis Beda] qui Chriſtus loculos habebat apud Iudam; vt ſcilicet ſuis vſibus, vel pauperum neceſſitatibus ſuggererentur. De quibus Eccleſiæ bonis ſic ſcri-

Breu. Roman die 25.Maij. pſit S. Vrbanus Papa, ac Martyr. *Ipſe res [ait] Fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios vſus, quam Eccleſiaſticos, & Chriſtianorum fratrum, vel indigentium conuerti; quia vota ſunt fidelium; pretia peccatorum; ac Patrimonia pauperum*.

II. Huiuſmodi autèm bonorum Summus Eccleſiæ Paſtor eſt ſupremus moderator, ac Arbiter, & quæ ſunt immobilia alienari vetat, & horum fructus in ſupradictos vſus impendi iubet: vt Sacri Canones docent.

III. Fructuum capiendorum *Ius* pro ſua ſuſtentatione, vt Deo, animabuſque inſeruire impenſius queant, dat Summus Pontifex aliquibus Eccleſiaſticis, & hoc *Ius* percipiendorum fructuum ex bonis Eccleſiæ dicitur *Beneficium*, & qui hoc Iure potiuntur, appellantur *Beneficiati*.

IV. Beneficiati autèm cum præcipuè Diuino cultui ſint addicti, vult Eccleſia, quod cæteris præcellant, digniores que præferantur à Collatoribus Beneficiorum [vt diſertè iubet Concilium Tridentinum] & hoc non tantùm, vt merces aliqua detur operarijs; ſed vt exemplo bonorum operum cæteros fideles promoueant ad maiora Chriſtiani nominis merita. *Nihil enim eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe Diuino minyſterio dedicarunt. Cum enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciuntur, in eos tanquam in ſpeculum reliqui oculos conijciunt, ex ijſque ſumunt, quod imitentur*:

Trid.Seſſ. 22.c.1.de Reform. vt dicit idem Tridentinum, iuxta illud Chriſti ad Diſcipulos: *Vos eſtis lux mundi; luceat lux veſtra coram hominibus; vt videant*

5.Mat.c.5. *opera*

Digitized by Google

opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. Integritas enim Præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Idem Tridentinum aſſerit *Trid. ſeſſ. 6. c. 1. de Reform.*

V. Prælati verò ſunt ſeruus ille prudens, ac diſpenſator fidelis (vt dicit Sanctus Hilarius) quem conſtituit Dominus, vel Summus Pontifex Domini Vicarius ſuper familiam ſuam, vt diſtribuat illis, & tritici menſuram, ac Officiorum onera, ſeù honores, quæ & ipſi præſtare tenentur gratis abſque vllo pretio, ſicuti & ſine pretio acceperunt. *Gratis enim accepiſtis, gratis & date:* indicit omnibus Chriſtus: *vos enim eſtis lux mundi*; Sol autem non vendit; ſed gratis radios diſpenſat (vt ait S. Bonauentura): Eò magis conferenda ſunt Beneficia gratis, quo Sacri Canones iubent dignioribus eſſe conferenda. Vndè ſi ſecus fieret, Prælati ius quæſitum violarent, ac auferrent dignioribus, quæ Canonum conditor, ac Dominus Papa illis dat, fieretque propterea illis iniuria. Si verò pecunia interueniente conferret, duplex committeretur peccatum. 1. *Simoniæ*; quia res ſpiritualis, vel ſpirituali adnexa pretio conferretur. 2. *Iuſtitiæ*; quia ius alterius venderet eidem, & Collator ex alieno iure lucrum caperet: ſiquidèm, qui digniorem omitteret hunc iure ſuo, plebem exemplo, ac fructu, Pontificem obedientia, Deum honore fraudaret, & infidelis ſeruus foret, ac venderet, quod diſpenſare gratis à Domino Papa ei mandatum eſt: non diſpenſator eſſet: ſed mercator. Domini Papæ miniſter eſt ad dandum, non Dominus ipſe ad negotiandum. Epiſcopi enim vocati ſunt *in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis:* vt ait Pontifex Gregorius apud Gratianum. Idcircò has reſpuas. *S. Hilar. Comment. in Math. Can. 27.* *S. Math. c. 10.* *S Math. c. 5.* *Gratian. c. Decreto cau. 2. q. 6.*

Propoſitiones.

22. *Non eſt contra iuſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interueniente, non exiget illam pro collatione Beneficij; ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Contra Collator tenetur conferre Beneficium, cui cum adnexum ſit emolumentum temporale, & hoc illi eſt conferendum: Nam *Acceſſorium ſequitur naturam Principalis*. C. Acceſſorium. De Reg. Iur. in 6. *Alex. VII.*

47. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortalitèr peccare, qui niſi quos Digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint ad Eccleſias promouent. Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi* *Innoc. XI.*

dignitatem eligendorum ſumpto comparatiuo pro poſitiuo, vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandèm loquitur tertiò quandò fit concurſus. Contra. *Verba accipienda ſunt cum effectu*: declarat Alexander Tertius, & Clemens Quartus addit: quod *verba aliquid operari debent*. Ergò *digniores* debet accipi cum effectu, quod ſint *digniores*, nec ſterile nomen debet eſſe; ſed operari aliquid in dignioribus.

C. Relatū. de Cler. nō Reſid. C. Si Papa. de Priu. in 6.

CAP. XLII.

Horæ Canonicæ.

Pſal. 47. Iſa. c. 6. Apoc. c. 4. Eccl. c. 43.

I. M*Agnus eſt Dominus, & laudabilis nimis*, canit Pſaltes: hinc Iſaias Propheta audiuit, quod Seraphim clamabant alter ad alterum. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. & Sanctus Ioannes iterùm dicit, quod *requiem non habebant die, ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens. Maior eſt enim* [ait Eccleſiaſticus] *omni laude*.

II. Quamobrèm Eccleſia, vt Cæleſtes imitetur Spiritus, & vt Deum, quem etiam laudant aſtra matutina, aliquibus proſequeretur laudibus, inſtituit; vt Eccleſiaſtici, qui Diuino famulatui peculiaritèr ſunt mancipati, Diuinas perſoluerent laudes, & hi præſertim, qui *Beneficiati* dicuntur. Nam inter alia, quæ præſtare debet Eccleſiaſticus, eſt laudare Deum, & idcircò Diuinæ preces communiter *Officium Diuinum* dicuntur: *Officium* quaſi *Efficium*, quod efficere potiſſimùm, ac præſtare nos oportet: indè enim hæc deriuatur dictio (vt inquit Sanctus Ambroſius): ſiquidem *Te decet hymnus Deus in Sion*: ait Dauid, & Ipſemet Deus profitetur dicens: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam ſalutare Dei*.

S. Ambr. off. l. 1. c. 8. Pſal. 64. Pſal. 49.

III. Præcipit igitùr Eccleſia Beneficiatis, & ad Sacros Ordines promotis (vt dicit Concilium Mediolanenſe) in primis *ſeptem preces quotidianas*, quæ & *Horæ Canonicæ* dicuntur, vt faciebat Dauid: *Septiès in die laudem dixi tibi*; 2. cuique diei *ſuas peculiares affixit*. 3. *Ritumque* eorumdem præſcripſit; vti declarat Summus Pontifex Pius Quintus: *Neminem* (ait) *ex ijs, quibus hoc dicendi, pſallendique munus neceſſarium impoſitum eſt; niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe: tàm in Choro, quàm extrà Chorum*: vbi præcipitur *opus* pſallendi, & *modus*: quarè vtriſque eſt ſatisfaciendum.

Concil. Mediol. p. 1 tit. de Hor. Pſal. 118. Pius V conſtit. Quod à nobis anno 1568.

Ad

Digitized by Google

Ad hanc rem expedire videtur, quod ex S.Petro Damiano refert Baronius: *Completorium in lecto, nec ſalus eſt, nec profectus*. Et S.Quidam Epiſcopus cruciabatur valde in igne Purgatorij ob vnum quod cùm eſſet Conſiliarius Regis, pluribus addictus curis, non recitabat Horas debitis, & diſtinctis *temporibus*; ſed omnes ſimul. *Baron. an. 1062. n. 82 83.*

IV. Honor Eccleſiaſtici Ordinis eſt *perſonalis*; vndè perſonale oportet ſit onus, & ideò obligatus, per ſe ipſum recitare debet Diuinum *Officium*: vti monet Concilium Tridentinum, dicens: *Cogant Epiſcopi cætera omnia officia, per ſeipſos exercere, quæ debent in cultu Diuino exercere. Pſalmiſtatus* enim, ad quem per *primam Tonſuram* videntur vocati; magnoperè ſpectat ad Dei cultum [vt patet ex S.Iſidoro apud Gratianum]; eò magis, quò ſepoſitis curis ſæcularibus, diuinis laudibus addicti, faciliùs cæleſtia contemplentur, & reipsà dicant: *Dominus pars hæreditatis meæ; & verè Clerici* dicantur; quià *de ſorte Domini ſunt*; vel, quià *Domini partem habent*; vt dicit ibidèm S.Iſidorus. *Trid. ſeſſ. 22. c. 4. de Reform.* *Gratian. C. Cleros. diſt. 21. Pſal. 6.*

V. Beneficiatus autèm ſi Horas Canonicas bis in ſpatio dierum quindecim non recitat, fructus Beneficij non facit ſuos; erogandi propterea ſunt pauperibus, vel Eccleſiæ; vt refert ordinatum in Concilio Lateranenſi, & à B.Pio Quinto Cardinalis à Lauræa; nàm dum Beneficium confertur, videtur iniri iſte contractus intèr Eccleſiam, & Beneficiatum: *Do, vt facias: ſin autèm non feceris, non do fructus*. Ergò reſtituendi ſunt, ſi officium non perſoluitur, & quotiès recitationi deeſt, totiès rata fructuum portio deſinit eſſe Beneficiati, & tamquàm res aliena eſt reddenda; vt diſertè dicit, & declarat B.Pius Quintus. Reprobentur ergò hæ. *A Lauræa Epitome Canonum, V. officium non recitãs V. Benefic. B. Pius V. conſtit. 135 ex proximo.*

Propoſitiones.

20. *Reſtitutio à Pio Quinto impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia antè ſententiam declaratoriam Iudicis, eò quod ſit pæna*. Contrà vide n. 5. *eſt debitum rei alienæ, non pæna*. *Alex. VII.*

21. *Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet. ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet*. Contrà vide n. 4. *Alex. VII.*

33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui Beneficij fecerit*. Contrà vide n. 5. Nouum debitum, noua ſolutione extinguitur. *Alex. VII.*

34. *In die Palmarum recitans Officium Paſcale ſatisfacit Præcepto.* *Alex. VII.*

Digitized by Google

cepto. Contrà vide n.3. & opus, & modus præcipiuntur à B.Pio V. qui vetat recitari, *niſi hac ſola formula*.

Alex.VII. 35. *Vnico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino*. Contrà vide n.3. qui duo debet, non ſatisfacit ſoluendo vnum.

Innoc.XI. 47. *Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortalitèr peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles, ipſi iudicauerint, ad Eccleſias promouent. Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparatiuo pro poſitiuo, vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandèm loquitur tertiò quandò ſit concurſus*. Contrà vide ſup.c.41.Prop.47.

Innoc.XI. 54. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autèm reliquas Horas, ad nihil tenetur; quià maior pars trahit ad ſe minorem*. Contrà cùm diuiduæ ſint Horæ Canonicæ, qui non poteſt vniuerſo debito ſatisfacere, debet ſoluere, quod poteſt. V.P. 2.c.39.n.6.

CAP. XLIII.

De Regularibus.

Machab. l.1.c.13. Machab. l.1.c.5.

I. IVdas Machabæus Dux erat vniuerſi exercitus Iſrael, habens ſub ſe Tribunos, & Centuriones; ſed præterea *adiuuabant eum omnes Fratres eius, & præliabantur prælium Domini cum lætitia, & dilatauit gloriam populo ſuo*: quoniàm verò Ioſephus, & Azarias prætergeſſi mandata Iudæ, exierunt ad prælium, fugati ſunt, & ceciderunt: quià Iudam non audierunt; ſic Dux vniuerſalis Eccleſiæ Militantis eſt Summus Pontifex, habens ſub ſe Epiſcopos, & Parochos Adiutores Dei: (vt loquitur S.Paulus); ſed cùm meſſis eſſet multa, & operarij pauci, Diuino conſilio prodierunt *Regulares*, quorum aliqui etiàm *Fratres* vocantur, qui adiuuant Summum Pontificem, & Epiſcopos, & Parochos; ſuntque *Coadiutores* (vt dicit S.Thomas) *Adiutorum Dei*; quibus vt libentiùs, & fructuoſiùs in Eccleſia Dei laborent, conceſſit plura, & magna priuilegia Summus Sacerdos, quæ cùm ab ore Pontificis naſcantur per conceſſionem, per eiuſdem oraculum moriuntur, per reuocationem; *Omnis enim res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur*: *nèc amplianda ſunt priuilegia magis, quàm ſonant*: *nàm inſpi-*

C.Omnis de Reg. Iur.

Digitized by Google

ſpicienda ſunt priuilegia, & ipſorum tenor eſt diligentiùs attendendus; ait Papa; Si verò volent prætergredi Summi Pontificis conceſſiones; vt Ioſephus, & Azarias non proficient, ſed cadent ab opinione fidelium; quarè reijciant cum Alexandro Septimo has. *C. Recipimus. De Priuil.*

Propoſitiones.

4. *Prælati Regulares poſſunt in Foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa*. Aduerſatur expreſsè Concil. Trident. Seſs. 24. c. 6. *De Reformat.* vbi hæc habentur verba; *Liceat Epiſcopis abſoluere in hæreſis occultæ crimine in eodem Foro conſcientiæ, eis tantùm* (nota) *non eorum Vicarijs*, ac etiàm aduerſatur Concilio Viennenſi ſub Clemente Quinto; *nèc in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum ordinarijs reſeruatis quemque abſoluere poſſunt*. Eadem repetit Benedictus Vndecimus. *De Caſibus Epiſcopis, & Superioribus, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſe nullatenùs intromittant.* Demùm extat declaratio ſequentis tenoris. *Alex. VII. Clementina. c. Religioſi l. 5. tit. 7. de Priuileg. Extrauag. comm. l. 5. tit. 7. de Priu. c. Inter cunctos*

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs Epiſc. & Regul. præpoſita de mandato ſpeciali Clementis Papæ Octaui iubet, & præcipit Sacerdotibus omnibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, nè quis eorum prætextu priuilegiorum quomodolibet conceſſorum ab vllo ex Caſibus in prædicta Bulla contentis, vel aliàs à Sede Apoſtolica, vel per Ordinarios reſeruatis, aut reſeruandis abſoluere præſumat ſub pæna excommunicationis, &c. ipſo facto abſquè vlla declaratione incurrenda, &c.

Cùm autèm dubia quædam circà intelligentiam præfati Decreti emerſiſſent, eadem Sacra Congregatio, de mandato eiuſdem Sanctiſſimi declarauit præter Caſus in Bulla Cœnæ, & per Ordinarium reſeruatos comprehendi ſub eadem prohibitione, & pæna. 1. *Violationem* immunitatis Eccleſiæ in terminis Conſtit. Greg. XIII. incip. Cum alias. 2. *Violationem Clauſuræ Monialium ad malum finem.* 3. *Prouocantes, ac pugnantes in duello*: iuxta Decr. Trident., & Conſtit. Gregor. XIII. incip. *Ad tollendam*. 4. *Injicientes manus violentas in Clericos*: iuxta Canonem. *Si quis ſuadente*. 5. *Simoniam realem ſcientèr contractam*; *atque etiam confidentiam* beneficialem: *quod Decretum, eiuſque declarationem; nec non cenſuras, & pænas confirmat, atque innouat Paulus V. ab omnibuſque Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus etiam neceſſariò exprimendis inuiolabilitèr obſeruari mandat, non obſtantibus priuilegijs &c.* Horum quinque Caſuum Summo Pontifici reſeruatorum

rum

Digitized by Google

S.Sales l.5 ep.70 c.. rum meminit S.Franciſcus Saleſius; & hinc iuſtè reijciuntur ſequentes aſſertiones.

Alex.VII. 12. *Mendicantes poſſunt abſoluere à Caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ob id Epiſcoporum licentia.*

Alex.VII. 13. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato; ſed ab eo iniuſtè reprobato.* Aduerſatur item Concilio Tridentino ſeſſ. 23. c. 15. *De Reformat*; vbi decernitur, quod nullus etiam Regularis poſſit Confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, niſi ab Epiſcopis approbationem obtineat, vel Parochiale beneficium: & cum Concilium Tridentinum concedat Epiſcopis facultatem approbandi, ſi ei videbitur; *non videtur iniuriam facere, qui vtitur iure ſuo*; vti dicunt Sacri Canones. C. de Eccleſia. de Elect.

Alex.VII. L.2. Ei incumbit. ff. de Probat. 37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo Quinto hodiè ſunt reualidatæ.* Contra. *Qui dicit, probare debet*: eſt legale Axioma: nam conſtat de reuocatione. Ergò probari debet noua reualidatio.

CAP. XLIV.

De Excommunicatione.

I. IN Eccleſia Catholica, quæ eſt Corpus Chriſti Myſticum, & *Domus* Dei eſt, profitemur *Sanctorum Communionem*. Omnes enim fideles ſunt membra eiuſdem corporis, ac domeſtici eiuſdem domus, & per Charitatis vinculum *vnum* ſunt, & bona opera

Pſal. 118. mutuò cummunicantur: vndè canebat Dauid. *Particeps ego ſum omnium timentium te.*

II. Aliqui autem ob eorum delicta, vt membrum putridum, abſcinduntur ab hoc corpore, & eijciuntur extra Domum Dei, quæ eſt Eccleſia: adeò vt diuiſi à cæteris, non fruuntur amplius communibus Eccleſiæ bonis, & idcircò *Excommunicati* dicitantur quibus bonis priuentur hi, carmine hoc continentur.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

niſi ob cauſas hoc carmine contentas,

Baron. an. 1078. n 10 Trid. ſeſſ. 14. c. 6. & Can. 10. S.Math. c. 16. *Vtile, lex, humile, res ignorata neceſſe.*

ità declarauit S.Gregorius Septimus: quæ excommunicatio ab ijs, qui ligandi poteſtatem habent, proficiſcitur, à quibus ſimilitèr eſt reuocanda; habent enim ſimul poteſtatem ligandi, & ſoluendi: vt dicit Tridentinum cum Euangeliſta S.Matthæo.

III. Ex-

III. Excommunicatio autem cum ſit pæna, exigit poteſtatem Iuriſdictionis, tàm cum infligitur, quàm cum tollitur; nam *ſententia à non ſuo iudice lata eſt nulla: & omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.* Refutantur propterea hæ. *C. Omnis de Reg. Iur.*

Propoſitiones.

3. *Sententia aſſerens Bullam Cænæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quandò publica ſunt, & non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus, ſermo eſt anno 1629. 18. Iulij in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.* Contra. *Qui dicit, probare debet:* ſecus gratis dicit, & *qui citò credit, leuis eſt corde* (ait Eccleſiaſticus). *Alex. VII. Eccl. c. 19.*

5. *Quamuis euidentèr tibi conſtet Petrum eſſe Hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* Contra: Non tenetur probare; ſed denunciare; vti docet Cardinalis à Lauræa. *Epitome.* V. denunciare, & V. Hæretici reuelandi. *Alex. VII.*

44. *Quo ad forum conſcientiæ, Reo correcto, eiuſque contumacia Ceſſante, ceſſant cenſuræ.* Contra. Vide etiam C. 28. A nobis eſt lib. 5. tit. 39. de ſentent. excommunic. vbi abſoluitur etiam defunctus. Ergò ceſſante etiam contumacia in defuncto correcto, adhuc non ceſſant cenſuræ, niſi ab Eccleſia tollantur. *Alex. VII.*

45. *Libri prohibiti donèc expurgentur, poſſunt retineri vſque dum adhibita diligentia corrigantur.* Contra, vide Regul. 10. Indicis lib. prohibit. indiſtinctè prohibet habere. Vbi autem *aliquid alicui generalitèr prohibetur, quòd expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum;* Inquit Summus Pontifex: nam (ait Sanctus Bernardus) *nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil:* eò magis, quò expurgatio poteſt diu differri, & interim Domi venenum extat, quò vel conſultò, vel caſu quis infici poteſt. Charitas autèm cum obedientia non permittunt; vt ſcandalum, ac offendiculum ponatur proximo. *Alex. VII. C. exiui in Clement. de Verb. ſig. S. Bern. l. 2. c. 8. de conſider.*

Digitized by Google

CAP. XLV.

DECLARATIO PAPÆ INNOCENTII XI.

Super cæteris Caſiſtarum Propoſitionibus.

I. *Exceptio firmat Regulam in contrarium*; dici ſolet: quamobrèm Recentiores dicere potuiſsent; cum Summus Pontifex ex tot Caſiſtarum Propoſitionibus has exceperit, & condemnauerit, indirectè videtur reliquas confirmaſse: nam qui *tacet, conſentire videtur*: & ideò tutò ſequi eas valemus; cui Recentiorum diſcurſui maturè occurrit Innocentius Vndecimus, ſic ſe declarans.

C. Qui tacet. De reg. Iur. 6.

II. *Idem Sanctiſſimus D. N. re maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit pro nunc* (nota) *ſequentes* [ſed nobis ſunt præcedentes] *propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimum tamquàm ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamèn Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas* (nota) *vllatenùs approbare*. Ergò Recentiorum corruit excuſatio; nèc ſilentium Papæ laudat Doctorum ſententias, niſi & hæ firmis innitantur Rationibus, vel alijs firmentur modis. Superiora profitetur Summus Pontifex in Præfatione Decreti: quaſi dicat cum Chriſto, Chriſti Vicarius: *Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadduceorum. Tunc intellexerunt; quià non dixerit cauendum à fermento panum; ſed à Doctrina Phariſæorum*: Nullus ergò ſe fallat, dicendo: *Opinio hæc, vel illa non eſt reiecta, nèc damnata. Ergò poſſum eam ſequi*. Non enim conſequitur ex dictis; non eſt damnata. Ergò bona: ſed *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*: cum D. Paulo mònet, & Summus Pontifex iterùm. Ad hanc rem videatur *Index* in hac quarta parte cap. 12. vbi ex profeſſo de hac re diſſeruimus.

S. Matt. 16

S. P. Theſſ. 1. c. 15.

Ad maiorem Dei, Deiparæque Virginis gloriam, & honorem. Ad Veritatis obſequium; Proximi bonum; ac meorum veniam peccatorum. Die Feſto S. Hieronymi 1685.

FINIS.

Digitized by Google

REGVLÆ SEXTI

Decretalium

BONIFACII OCTAVI

Quæ Alphabetico ordine digeruntur, & vna indicantur vbi in ſecunda Parte Indicis *elucidantur*.

ACceſſorium naturam ſequi congruit principalis. Cap. 33.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. Cap. 52.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſinè inſtitutione canonica obtineri. Cap. 50.

Bona fides non patitur, vt ſemèl exactum iterùm exigatur. Cap. 18. Cap. 38.

Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contrà legis nititur voluntatem. Cap. 5.

Contrà eum qui legem dicere potuit apertius eſt interpretatio facienda. Cap. 4.

Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur. Cap. 20.

Cui licet quod eſt plus, licet vtiquè quod eſt minus. Cap. 67.

Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet quo minus conditio impleatur, haberi debet perindè, ac ſi impleta fuiſſet. Cap. 54.

Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo. Cap. 33.

Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. Cap. 34

Cùm quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere. Cap. 38.

Cùm ſunt partium iura obſcura, reo fauendum eſt potiùs, quàm actori. Cap. 43.

Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet non alijs imputare. Cap. 21.

Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum. Cap. 11.

Digitized by Google

Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. Cap.13.
Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem. Cap. 18.
Ea quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt. Cap.42.
Eum qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet. Cap.3.
Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod viſus extitit impugnare. Cap.61.
Exceptionem obijciens, non videtur de intentione aduerſarij confiteri. Cap.30.
Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſteà eueniat à quo non potuit inchoari. Cap.37.
Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat. Cap.17.
Generi per ſpeciem derogatur. Cap.47.
Ignorantia facti, non iuris excuſat. Cap.38.
Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. Cap.54.
In alternatiuis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri. Cap.29.
In argumentum trahi nequeunt, quæ proptèr neceſſitatem aliquandò ſunt conceſſa. Cap.6.47.
In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimilitèr in ſpecie conceſſurus. Cap.8.
In iudicijs non eſt acceptio perſonarum habenda. Cap.41.
In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari. Cap.17.
In obſcuris minimum eſt ſequendum. Cap.9.
In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis. Cap.23.
In pœnis benignior eſt interpretatio facienda. Cap.10.
In re communi potior eſt conditio prohibentis. Cap.48.
In toto partem non eſt dubium contineri. Cap.46.
Indultum à iure beneficium, non eſt alicui auferendum. Cap.11.
Infamibus portæ non pateant dignitatum. Cap.70.
Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimiliùs, vel quod plerumque fieri conſueuit. Cap.14.
Is qui in ius ſuccedit alterius, eo iure quo ille vti debebit. Cap.69.
Is qui tacet, non fatetur, ſed nèc vtiquè negare videtur. Cap.55.
Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura. Cap.68.
Mora ſua cuilibet eſt nociua. Cap.28.
Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentū. Cap.25.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari. Cap. 27.

Nemo poteſt plus iuris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur. Cap. 69.

Non debet aliquis alterius odio prægrauari. Cap. 13.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. Cap. 28.

Non eſt obligatorium contrà bonos mores præſtitum iuramentum. Cap. 40.

Non eſt ſinè culpa qui rei, quę ad eum non pertinet ſe immiſcet. Cap. 49.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit. Cap. 37.

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit. Cap. 50.

Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. Cap. 64.

Nullus ex conſilio dummodò fraudulentum non fuerit obligatur. Cap. 51.

Nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur. Cap. 30.

Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari. Cap. 9. 10.

Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum. Cap. 16.

Peccati venia non datur, niſi correptis. Cap. 15. 16.

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta. Cap. 72.

Plus ſempèr in ſe continet quod eſt minus. Cap. 67.

Poſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. Cap. 24.

Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum. Cap. 32.

Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur. Cap. 39.

Priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. Cap. 7.

Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere. Cap. 19.

Quæ à iure communi exhorbitant, nequaquàm ad conſequentia ſunt trahenda. Cap. 6.

Quæ contrà ius fiunt, debent vtiquè pro infectis haberi. Cap. 35.

Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus. Cap. 30.

Qui contrà iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere. Cap. 38.

Qui facit per alium, eſt perindè ac ſi faciat per ſe ipſum. Cap. 24.

Qui prior eſt tempore, potior eſt iure. Cap. 66.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & contrà. Cap. 62.

Qui tacet conſentire videtur. Cap. 55.

Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum. Cap. 7.

Quod

Quod alicui ſuo non licet nominè, nèc alieno licebit. Cap.34.
Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum. Cap.22.
Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Cap.48.
Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe. Cap.44.
Quod ſemèl placuit, amplius diſplicere non poteſt. Cap.25.
Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari. Cap.67.
Rationi congruit vt ſuccedat in onere qui ſubſtituitur in honore. Cap.63.
Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum. Cap.67.
Scienti, & conſentienti, non fit iniuria, nequè dolus. Cap.19.
Semèl Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos vlteriùs transferendum. Cap.71.
Semèl malus ſempèr præſumitur eſſe malus. Cap.39.
Sinè culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus. Cap.12.
Sinè poſſeſſione præſcriptio non procedit. Cap.24.
Vtile non debet per inutile vitiari. Cap.53.

IN-

Digitized by Google

INDICANTVR

Propoſitiones Damnatæ ab Alexandro VII. Vbi deli-
bentur in *Indice ad Vitam Æternam*, & inde
aliæ Damnatæ ab Innocentio XI.

	Parte 4.
Propoſitio 1.	*Cap.* 15.
Prop. 2.	*Cap.* 27.
Prop. 3.	*Cap.* 44.
Prop. 4.	*Cap.* 43.
Prop. 5.	*Cap.* 44.
Prop. 6.	*Cap.* 23.
Prop. 7.	*Cap.* 23.
Prop. 8.	*Cap.* 22.
Prop. 9.	*Cap.* 22.
Prop. 10.	*Cap.* 22.
Prop. 11.	*Cap.* 19.
Prop. 12.	*Cap.* 43.
Prop. 13.	*Cap.* 43.
Prop. 14.	*Cap.* 19.
Prop. 15.	*Cap.* 19.
Prop. 16.	*Cap.* 19.
Prop. 17.	*Cap.* 26.
Prop. 18.	*Cap.* 26.
Prop. 19.	*Cap.* 26.
Prop. 20.	*Cap.* 42.
Prop. 21.	*Cap.* 42.
Prop. 22.	*Cap.* 41.
Prop. 23.	*Cap.* 40.
Prop. 24.	*Cap.* 29.
Prop. 25.	*Cap.* 29.
Prop. 26.	*Cap.* 41.
Prop. 27.	*Cap.* 15.
Prop. 28.	*Cap.* 33.
Prop. 29.	*Cap.* 40.
Prop. 30.	*Cap.* 40.
Prop. 31.	*Cap.* 40.
Prop. 32.	*Cap.* 40.

Prop.

Digitized by Google

	Parte 3.	Parte 4.
Prop.33.		Cap.42.
Prop.34.		Cap.42.
Prop.35.		Cap.42.
Prop.36.		Cap.19.
Prop.37.		Cap.43.
Prop.38.		Cap.19.
Prop.39.		Cap.19.
Prop.40.	Cap.24.	Cap.29.37.
Prop.41.	Cap.24.	Cap.37.
Prop.42.		Cap.31.
Prop.43.		Cap.34.
Prop.44.		Cap.44.
Prop.45.		Cap.44.

Pro-

Digitized by Google

Propoſitiones Damnatæ ab Innocentio XI.

	Parte 3.	Parte 4.
Propoſitio 1.		*Cap.*18.
Prop. 2.		*Cap.*15.32.
Prop. 3.	*Cap.*4.	*Cap.*15.
Prop. 4.		*Cap.*15.
Prop. 5.		*Cap.*17.
Prop. 6.		*Cap.*17.
Prop. 7.		*Cap.*47.
Prop. 8.		*Cap.*28.
Prop. 9.		*Cap.*29.
*Prop.*10.		*Cap.*17.
*Prop.*11.		*Cap.*17.
*Prop.*12.		*Cap.*34.
*Prop.*13.	*Cap.*24.	*Cap.*27.
*Prop.*14.	*Cap.*24.	*Cap.*25.
*Prop.*15.		*Cap.*25.
*Prop.*16.		*Cap.*16.
*Prop.*17.		*Cap.*16.
*Prop.*18.		*Cap.*16.
*Prop.*19.		*Cap.*16.
*Prop.*20.		*Cap.*16.
*Prop.*21.		*Cap.*16.
*Prop.*22.		*Cap.*16.
*Prop.*23.		*Cap.*16.
*Prop.*24.		*Cap.*20.
*Prop.*25.		*Cap.*20.
*Prop.*26.	*Cap.*24.	*Cap.*35.
*Prop.*27.		*Cap.*35.
*Prop.*28.		*Cap.*35.
*Prop.*29.		*Cap.*18.38.
*Prop.*30.		*Cap.*27.
*Prop.*31.	*Cap.*24.	*Cap.*26.
*Prop.*32.		*Cap.*26.
*Prop.*33.		*Cap.*26.
*Prop.*34.		*Cap.*26.
*Prop.*35.		*Cap.*26.

	Parte 3.	Parte 4.
Prop.36.	*Cap.24.*	*Cap.30.*
Prop.37.		*Cap.30.*
Prop.38.		*Cap.30.*
Prop.39.	*Cap.24.*	*Cap.30.*
Prop.40.		*Cap.31.*
Prop.41.		*Cap.31.*
Prop.42.		*Cap.31.*
Prop.43.		*Cap.36.*
Prop.44.		*Cap.36.*
Prop.45.		*Cap.24.*
Prop.46.		*Cap.24.*
Prop.47.		*Cap.41.42.*
Prop.48.		*Cap.29.*
Prop.49.		*Cap.29.*
Prop.50.		*Cap.29.*
Prop.51.	*Cap.15.*	*Cap.38.39.*
Prop.52.		*Cap.21.*
Prop.53.		*Cap.21.*
Prop.54.		*Cap.42.*
Prop.55.		*Cap.19.*
Prop.56.		*Cap.19.*
Prop.57.		*Cap.19.*
Prop.58.		*Cap.19.*
Prop.59.		*Cap.19.*
Prop.60.		*Cap.19.*
Prop.61.		*Cap.37.*
Prop.62.		*Cap.37.*
Prop.63.		*Cap.37.*
Prop.64.		*Cap.16.*
Prop.65.		*Cap.16.*

Elen-

Digitized by Google

Elenchus rerum notabilium.

Littera P. ſignificat Partem. C. Caput. N. Numerum. Adm. Admonitionem ad Lectores.

Abſolutio Reſeruatorum ad quos ſpectet. P.4.c.43.
Acceſſorium ſequitur principale. P.2.c.33.
Actio iuridica quid ſit, quotuplex, & vndè oriatur. P.2.c.30.
Actus legitimi qui ſint, & an recipiant conditionem tacitè, vel expreſsè. P.2.c.52.
Actus humani, ſeu mores quid ſint. P.2.Introd.
Affirmatio, ac negatio, ac indifferentia quid ſint. P.2.c.55.
Antiquitas venerabilis eſt. P.2.c.66.
Antiquorum doctrina exquirenda. P.1.adm.1.n.21.& adm.3.n.5.
Arbor non debet eſſe fructifera excidenti eam. P.2.c.61.
Argumentum à fortiori valet. P.2.c.67.
Auctor omnis non eſt audiendus. P.2.c.74.
Auctoris mens eſt veritatis, ac animarum zelus. P.1.adm.1.n.11.
Axiomata Theologorum in 72. Capitibus elucidantur. P.2.
Axiomata Recentiorum P.2. à Cap.73. vſquè ad Cap.93.
Axiomata 14. Recentiorum explicantur. P.2.c.90.
Axiomata 13. ſimilitèr elucidantur. P.2.c.91.
Axiomata iterùm 21. exponuntur. P.2.c.92.
Axiomata alia 22. enucleantur. P.2.c.93.
Beneficium Eccleſiaſticum quid ſit, & quot modis canonicè confeatur. P.2.c.50.
Beneficiorum doctrina, ac Propoſitiones de iiſdem damnatæ. P.4. c.41.
Beneficium, vel datur motu proprio, vel ad petitionem, & quid interſit. P.2.c.50
Beneficium Principis quid ſit, & an maneat. P.2.c.11.
Beneficiarij qui ſint, & quibus virtutibus debent pollere. P.2 c.50.
Bona Fides quid ſignificet, & quantùm proſit. P.2.c.18.
Bona Fides excuſat: quomodò intelligatur. P.2.c.78.
Bona Fides non patitur bis idem exigi. P.2.c.18.
Culpa iuridica quid eſt, & quotuplex ſit. P.2.c.20.
Culpa ſua qui damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire. P.2.c.21.

Cauſa quid ſit, & quotuplex. P.2.c.31.P.4.c.13.
Cauſa omnis per ſua contraria diſſoluitur. P.2.c.31.
Cauſa alia Principalis, alia Inſtrumentalis. P.2.c.32.
Cauſæ principali tribuitur factum à Procuratore. P.2.c.32.
Cenſor debet prius audire totum. P.1.adm.2.n.13.
Chriſtianiſmus quid ſit. P.1.adm.1.n.5.& c.22.
Conſcientia eſt vera magiſtra. P.1.c.21.
Conſcientia quid ſit, & quotuplex. P.1.c.21.P.2.c.18.
Conceſſio generalis non comprehendit quæ in ſpecie quis non conceſſiſſet. P.2.c.8.
Collegium quid ſit, & ex quot conſtet. P.2.c.48.
Collegium dupliciter agit, vel collegialitèr, vel vt ſinguli. P.2.c.48.
Celebrationis Miſſarum Doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.22.
Charitatis doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.17.
Clauis communis ad Theologiam moralem ex Ratione naturali. P.4.c.8.
Clauis argentea ex Prudentia acquiſita. P.4.c.9.
Cardinalis Iulius Spinula effertur. P.4.c.22.
Cardinalis à Laurea allegatur. P.4.c.21.42.44.
Clauis aurea ex ſupereminente Charitate. P.4.c.11.
Clauis ferrea ex odio turpis lucri. P.4.c.12.
Claues morales ex cauſis. P.4.c.13.
Claues ex dolis, & fallacijs. P.4.c.14.
Confeſſionis doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.19.
Conſilium quid ſit, & quotuplex, & quandò differat à Præcepto. P.2.c.51.
Commune communitèr tractari debet. P.2.c.48.
Commodum, & incommodum ſeſe concomitantur. P.2.c.62.
Contractus ſunt Pacta veſtita, & peculiare nomen ſortiuntur. P.2.c.75.
Contractus contrario modo diſſoluitur. P.2.c.31.
Contractus quid ſit, & vndè dicatur, & quot ei inſint. P.2.c.31.
Contractus ex conuerſione legem accipiunt. P.2.c.26.
Conſiliarij boni, pauci, & quibus egeant dotibus. P.2.c.51.
Conſilium niſi ſit fraudulentum non obligat Conſiliarium. P.2 c.51.
Conditio quid ſit, & quotuplex. P.2.c.52.54.
Conſcientia prohibente ſi fiat peccatum eſt. P.2.c.57.
Conſcientia eſt Regula proxima actionum. P.2.c.57.
Cooperantis ad peccatum doctrina, & Propoſitiones damnatæ. P.4.c.38.

Cre-

Creditor quis ſit, & quotuplex. P.2.c.29.
Cui committitur cauſa, committuntur quæ ad eam ſpectant. P.2.c.33.
Cui prohibetur terminus, per ſe prohibentur omnia media ad illum; ſecùs ſi prohibeatur medium, non terminus. P.2.c.34.
Culpa quid ſit, & quotuplex. P.2.c.12.21.
Culpa eſt ſe immiſcere alterius officio, vel rei. P.2.c.49.
Decalogus quid ſit, & quotuplicia præcepta contineat. P.1.c.7.
Decretum quid ſit. P.1.c.9.
Declaratio quid ſit, & quomodò differat à promulgatione legis. P.1.c.12. Et quotuplex ſit. P.4.c.6.
Declarator quotuplex ſit. P.4.c.6.
Doctrina antiqua colenda. P.1.adm.1.n.7.
Doctorum ſententiæ quamplures Sacris Scripturis aduerſantur, & contrariantur. P.1.c.22.
Doctor quis ſit, & quanti æſtimanda eius opinio. P.2.c.74. P.3.c.18. 19.
Doctores aliqui cauendi, aliqui ſequendi, & qui. P.3.c.20.21.
Doctorum numerus non ſufficit; ſed Doctores Sancti ſequendi. P.3.c.22.33.
Doctorum Recentiorum monſtruoſum commentum, ac Phantaſiæ. P.3.c.29.30.
Doctorum Recentiorum Apologia refellitur. P.3.c.31.32.
Doctorum Recentiorum aliæ excuſationes reijciuntur. P.3.c.33.
Deliberatio rei grauis tribus indiget. P.1.c.18.n.4.
Diſpenſatio non eſt trahenda ad exemplum. P.2.c.6.
Doctores, ac Magiſtri aliqui cæci ſunt, & Duces cæcorum. P.1.c.20.
Doctor, ac bonus conſiliarius eſt cor proprium. P.1.c.21.
Doctrina Apoſtolorum, ac Succeſſorum Apoſtolicorum eſt audienda. P.1.c.22.
Doctrinæ Sanæ Regulæ ex Sacris Scripturis. P.1.c.22.
Doctores ſi Pontificis Doctrinæ diſſentiunt, non ſunt Doctores, ſed ſeductores. P.4.c.5.n.7.
Delictum, ac dolus non debet alicui prodeſſe. P.2.c.22.
Debitor moroſus ſibi nocet. P.2.c.28.
Debitor quis ſit, ac quotuplex. P.2.c.29.
Debitum alternatiuum obligat ad vnum tantùm, quod debitori placet. P.2.c.29.
Dolus quid ſit, & quod nocet intellectui, & vis voluntati. P.2.c.19.
Diana expenditur. P.3.c.33. P.4.c.2.n.11.
Doctorum pondus non numerus eſt attendendus. P.3.c.22.
Doctor, Theologus, Canoniſta, Legiſta, & Doctor Spiritualis: qui

qui ſint. P.3.c.17.P.4.c.8.
Doctores Recentiores non ſunt præponendi veteribus. P.2.c.77.
Doctores Moderni fauent potiùs amori proprio, quàm ſpiritui. P.2.c.77.
Eccleſia non iudicat de occultis, & quæ ſint eiuſmodi. P.2.c.60.
Eccleſia non obligat cum magno incommodo: declaratur. P.2.c.86.
Edictum quid ſit. P.1.d.9.
Eleemoſynæ doctrina, ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.44.
Excuſantium à peccato Doctrina, ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.39.
Error communis facit ius quomodò intelligatur. P.2.c.58.
Error quod ſit, & quotuplex. P.2.c.58.
Equiuocationis doctrina,& an differat à reſtrictione mentali.P.4.c.35.
Errori reſiſtendum,quamuis videatur incurabilis. P.2.c.59.
Error circa qualitatem non vitiat actum, elucidatur. P.2.c.84.
Exceptio actionis quid ſit, & quotuplex. P.2.c.30.
Exempla ſi legibus concordāt ſunt ſectanda,ſecus non.P.2.c.45.58.
Exempla ſæpè fallunt: ideò animaduertendum. P.2.c.58.
Excommunicationis doctrina, ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.44.
Fauor non eſt retorquendus in diſpendium. P.2.c.22.
Facta contra ius pro infectis habentur. P.2.c.35.
Facta contra legem; alia ſunt irrita, alia ſunt irritanda. P.2.c.35.
Facta vi, metu, clàm, non ſubſiſtunt. P.2.c.36.
Factum legitimè in principio non firmatur ex poſt facto,& è contrà. P.2.c.37.
Fidei doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.16.
Feſtorum doctrina,& eorum Propoſitiones damnatæ. P.4.c.21.
Finis & medium,ſeu opus ad finem ordinatum differunt. P.1.c.13.
Fides ſeu fidelitas quid ſit, & quotuplex. P.2.c.17.
Fidem frangenti non eſt fides ſeruanda. P.2.c.17.
Fides ſeruanda ſemper niſi ſeruata vrgeat ad peccatum. P.2.c.17.
Fraus legi fieri quid ſit. P.2.c.5.
Furti doctrina, ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.30.
Gulæ doctrina, ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.28.
Hæreſes oppugnant Fidem, laxitates Charitatem. P.1.adm,1.n.2.
Homo agens naturale, & aliquandò, vt Agens liberum operatur. P.2. Introd.
Homicidij doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.26.
Honoris doctrina, ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.27.
Horarum Canonicarum doctrina, ac de eiſdem Propoſitiones damna-

natæ. P.4.c.42.
Ieiunij doctrina,ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.40.
Ignorantia quid ſit quotuplex,& quæ excuſet. P.2.c.38.
Ianſeniſmus quid ſit. P.1.adm.1.n.5.
Index quid ſit, & cur appelletur iſtud opus. P.1.Adm.1.n.1.
Indicis criminatores refelluntur. P.1.Adm.1.n.5.
Indicis partes quot, & quæ contineant.P.1.adm.1.n.10.& ad.2.4.5
Index admonet de notis ne prætereantur. P.1.Adm.3.n.4.
Indicis ſcopus pleniùs reuelatur. P.1.Adm.2.n.1.
Improbabilitas quæ ſit & quotuplex. P.2.c.81.
Improbabilitas duplex. P.2.c.86.
Indicis ad vitam Æternam Apologia. P.3.c.34.35.
In dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem declaratur P.2.c.89.
Indifferentia quæ ſint. P.3.c.15.
Infamia & fama quid ſint, & quotuplex, & infames arcendi à dignitatibus, P.2.c.70.
Iniuria non fit ſcienti, & conſentienti. P.2.c.19.
Innocentij XI. Declaratio de cæteris Propoſitionibus nondum damnatis. P.4.c.45.
Innocens non eſt puniendus. P.2.c.12.
Iniuria vndè dicta, & quod iniuriam non facit, qui vtitur iure ſuo. P.2.c.20.
Intentio bona non ſufficit vt actio ſit bona: ſed hæc debet eſſe recta ſeu conformari regulæ rationis, ac legum. P.1.c.2,
Interpretatio auctoritatiua legũ quid ſit,& à quo facienda.P.1.c.16
Interpretatio Doctrinalis, & quibus regulis facienda. P.1.c.17.
Interpretatio legis,ac humanę mẽtis debet fieri claris verbis.P.4.c.4
Interpretatio verbi,ac ſermonis obſcuri fit contra loquentẽ.P.2.c.4
Interpretatio fraudulenta quomodò fiat. P.2.c.5.
Iudex ſi excedat limites ſui officij nihil agit. P.2.c.42.
Iudex quis ſit, & quomodò iudicare debeat.P.2.c.41.43.P.4.c.32.
Iudex debet reſpicere merita cauſæ,non faciem perſonę. P.2.c.41.
Iudicium quid ſit, & quot requirat. P.2.c.41.
Iudicis Decretum quid ſit, & quando faciendum. P.2.c.43.
Iudicium quot modis peruertatur. P.2.c.41.
Iugum Dei ſuaue quomodò intelligatur. P.1.c.19.P.2.c.76
Iuramentum illicitum non obligat. P.2.c.40.
Iuramenti doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.32.
Ius Gentium quid ſit, & quæ ſtatuat. P.1.c.6.
Ius Canonicum quid ſit, & quos partes comprehendat. .1.c.9.
Ius Ciuile quid ſit. P.1.c.10.

Ius

Digitized by Google

Ius commune quoad fieri poteſt inuiolatum maneat. P.2.c.6.
Ius quid ſit, & quotuplex, Actiuum, ac Paſſiuum. P.2.c.20.
Iuſtitiæ, & Iudicij doctrina, & Propoſitiones damnatæ. P.4.c.32.
Lex æterna quid ſit, & quomodò nobis illuceat. P.1.c.3.
Lex naturalis, ſeu Ius naturale quid ſit, & quæ diſponat. P.1.c.4.
Lex Rationis naturalis quid ſit, & quæ præcipiat. P.1.c.5.
Lex Euangelica quid ſit, & quænam ſint ipſius mandata. P.1.c.8.
Lex debet eſſe manifeſta, non obſcura. P.1.c.11. P.1.c.1.n.6.
Lex promulganda ſolemnitèr. P.1.c.12.
Legis finis publica vtilitas. P.1.c.13. P.2.c.1.n.45.
Lex humana obligat in conſcientia. P.1.c.14.
Legiſ obligationem quænam remoueant. P.1.c.14.
Legis ſigna vt agnoſcatur. P.1.c.15.
Lex eſt inuentio Veritatis. P.1.c.18.n.8.
Lex Dei eſt iugum, ſed ſuaue, & quomodò intelligatur. P.1.c.19. P.2.c.76.
Lex quid ſit, & quot ad eam requirantur qualitates. P.2.c.1.
Lex aliquid duplicitèr continet, vel vi comprehenſionis, vbi eſt identitas rationis, vel vi extenſionis; vbi eſt Rationis paritas. P.2.c.1.n.8.9.
Lex notificata non eſt vlteriùs notificanda. P.2.c.3.
Legi fraus ſit quatuor præſertim modis. P.2.c.5.
Legis Diuinę interpretatio noua à Recentioribus. P.3.c.24.
Legis Doctrina, ac eius propoſitio damnata. P.4.c.33.
Liberum arbitrium quid ſit, & qua ratione ſit dirigendum. P.1.c.1.
Librorum Cenſuræ diuerſæ, ac diuerſimodè propoſitiones notantur. P.4.c.7.
Liquida non frangunt ieiunium: exponitur. P.2.c.88.
Lucrum cum alterius iniuria minimè captandum. P.2.c.68.
Lutheraniſmus quid ſit. P.1.adm.1.n.5.
Luxuriæ doctrina, ac eiuſdem propoſitiones damnatæ. P.4.c.33.
Medium quotuplex. P.2.c.16.
Mendacij doctrina, ac eiuſdem propoſitiones damnatæ. P.4.c.36.
Magis, & minus non mutant ſpeciem: explicatur. P.2.c.83.
Modus non præcipitur, ſed opus. P.2.c.87.
Mohatra quid ſit, & an liceat. P.4.c.31.
Moralis actus requirit cognitionem rei faciendæ, voluntatem, ac libertatem in faciente. P.2.c.36.
Multitudo dicentium, vel facientium eſt argumentum mali. P.2.c.58. P.3.c.33.
Nemo dat quod non habet. P.2.c.69.
Notificatio fieri debet ignotorum, non notorum. P.2.c.3.
Nul-

Nullum iure, nihil iure efficit. P.2.c.64.
Numerus auctorum an ſufficiat vt prudentèr agatur. P.3.c.22.
Obligatio quid ſit, ac quotuplex, & quæ requirat. P.2.c.27.
Obligatio quot modis conſtituitur. P.2.c.28.
Obligatio conditione pendente nondùm vrget. P.2.c.28.
Occaſionis Doctrina. Vide *Periculi Doctrina*.
Occultum quid ſit, & è contrà publicum, &c. P.2.c.60.
Odioſa debent reſtringi, fauorabilia extendi. P.2.c.9.10.
Officium Diuinum. Vide *Horas Canonicas*.
Officium exigit dotes congruentes eidem in habente. P.1.c.49.
Officium triplicitèr violatur ignorantia, paſſione, malitia. P.2.c.49.
Officium non eſt affectandum, nèc Magiſterium. P.2.c.49.
Officium quid ſit, & quotuplex in Eccleſia Dei. P.2.c.50.
Opinio non mutanda ad placitum: ſed ad rationum pondus. P.2.c.56.57.
Opiniones firmis debent inniti rationibus. P.2.c.57.74.
Opinio eſt actus intellectus, qui rationibus mouetur. P.2.c.57.74.
Opinionum libera electio perpenditur, ac cenſetur. P.2.c.57.
Opinionem probabilem qui ſequitur prudentèr agit; explicatur. P.2.c.75.
Opiniones laxæ laxant habenas appetitui, & indè irritatur Deus. P.2.c.77.
Opiniones probabiles ſunt æquè tutæ: elucidatur. P.2.c.79.
Opiniones laxæ ſunt per accidens ſecuriores: explicatur. P.2.c.80.
Onus, & honor ſibi inuicèm ſociantur. P.2.c.63.
Opinionum probabilitas antiquiſſima, &c. quomodò intelligatur. P.2.c.82.
Opinio, & opinari quid ſit. P.3.c.1.
Opinari non eſt in noſtra poteſtate. P.3.c.2.
Opiniones laxæ periculoſæ ſunt ſaltèm in praxi. P.3.c.11.
Opinionum libertas diuiſio Vnitatis etiàm Eccleſiæ. P.3.c.26.27.28.
Opinionum varietas turbat doctrinas. P.1.adm.1.n.3.
Papiſta idem ac Catholicus. P.1.adm.1.n.5. P.4.c.5.n.13.
Papatus neceſſitas, ac inſtitutio. P.4.c.12.
Papæ nomen, ac Papæ definitio. P.4.c.2.n.1.
Papa eſt infallibilis. P.4.c.1.c.2.n.4. &c. c.3.n.3.
Papa ſi audiatur tot Recentiorum, ac Nouatorum ceſſabunt ſententiæ. P.4.c.1.
Papæ Vnitas, ac ſuprema Poteſtas. P.4.c.2.n.2.

Papa poteſt omnia, quæ non implicant contradictionem Fidei. P. 4.c.2.n.1.
Papæ obedire tenentur omnes. P.4.c.2.n.10.11.c.3.
Papa ipſe oſtenditur habere Claues Regni Cælorum. P.4.c.2.n. 12.13.
Papalis Poteſtatis confutatur modernus obtrectator. P.4.c.2.n.16. 17.18.c.5.n.12.
Papatus Succeſſio, ac Duratio. P.4.c.3.n.12.
Papæ Tituli, ac Priuilegia. P.4.c.3.n.6.
Papa Supremus Magiſter eſt Fidei, ac morum. P.4.c.3.n.8. & c. 5.n.9.&c.
Papa quià non auditur, indè hæreſes, ac Doctrinæ ſchiſmata. P. 4.c.1. & c.4.n.1.
Papalis dignitas aſtruitur à Sanctis, atquè Doctoribus. P.4.c.4.
Papa eſt Doctor ſupèr omnes Doctores. P.4.c.5.
Papa abſoluere poteſt ſubditos à Iuramento fidelitatis ſi Princeps ab Eccleſia deficiat. P.2.c.40.
Papa etſi vnum Eccleſiæ Caput eſt quoddam Totum in plenitudine Poteſtatis. P.2.c.46.
Papa vocat cæteros Epiſcopos in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem Poteſtatis. P.2.c.46.
Papa Concilijs dat robur, & confirmat. P.2.c.46.
Papa non cogitur obtemperare Concilijs. P.2.c.47.
Papa an, & quandò intelligatur ex Conſtantienſi Concilio obedire. P.2.c.47.
Papa eſt Supremus omnium in honore, & poteſtate. P.2.c.47.
Parentum amoris doctrina, ac eiuſdem propoſitiones damnatæ. P.4.c.25.
Petrus cognomen eſt dignitatis non nomen perſonæ, quale eſt Simon. P.4.c.2.c.3.
Pœnæ debent molliri, ac minui benigniori interpretatione. P.2. c.10.
Pœna non infligitur innocenti. P.2.c.12.
Pœna quotuplex ſit. P.2.c.12.
Pœna infligenda vni peccatori, nèc delictum perſonæ in alium redundat. P.2.c.13.
Philoſophi ſunt idonei teſtes rationis naturalis. P.4.c.8.
Periculi doctrina, ac eiuſdem propoſitiones damnatæ. P.4.c.37.
Pluralis numerus duo ſaltèm continet. P.2.c.72.
Pactum quid ſit, quotuplex, ac ſeruandum. P.2.c.25.
Pactum omne parit obligationem; ſed Pactum vetitum ſolum parit actio-

actionem. P.2.c.25.
Præbenda quid ſit. P.2.c.50.
Præſcriptio quid ſit, ac vſucapio, & quæ requirat. P.2.c.24.
Poſſeſſio quid ſit, quotuplex, & quæ priuilegia conferat. P.2.c.22.
Poſſeſſor primus omnium Deus eſt, eiuſque Miniſtri. P.2.c.22.
Præiudicium, ac damnum quomodò differant. P.2.c.20.21.
Præſumptio quid ſit, & quotuplex. P.2.c.39.
Præſumitur bonus homo, niſi probetur contrarium. P.2.c.39.
Princeps ſuam debet obſeruare legem. P.2.c.56.
Prior tempore potior iure. P.2.c.66.
Probabilitas ferè ſunt omnia ex Recentioribus. P.2.c.74.
Probabilior eſt eligenda. P.2.c.75.
Probabilius, & melius non ſunt idem; ſed quandòque Probabilius eſt minus bonum. P.2.c.76.
Probabilitas duplex eſt, & quæ. P.2.c.2.
Probabilitas quid, & qui eius gradus. P.3.c.3. P.4.c.15.
Probabilitas quælibet non ſufficit, vt prudentèr quis operetur. P.3.c.4.
Probabilitas certò probabilis ſequenda eſt. P.3.c.4. P.4.c.15.
Probabilitas eſt eligenda, & Tutior. P.3.c.6.7.8.9.10.
Probabiliſtarum Recentiorum abſurda. P.3.c.25.
Propoſitiones damnatæ ab Alexandro Septimo, & Innocentio Vndecimo elucidantur. P.4. à cap.15. vſque ad cap.45.
Propoſitiones rediguntur ad Tutelas Virtutum, vel vitiorum. P.4. in dictis capitibus.
Propoſitiones damnatæ an approbentur. P.4.c.45.
Probabilitatis doctrina, & propoſitiones damnatæ. P.4.c.15.
Priuilegia indulta, & ſimilia non debent trahi ad conſequentiam. P.2.c.6.
Priuilegium perſonale perſonam ſequitur. P.2.c.7.
Priuilegium quid, & quotuplex. P.2.c.7.
Priuilegiorum tenor attendendus. P.2.c.7.
Probabilior ſententia eſt ſequenda. P.2.c.14.
Prudentia quid exigat, eiuſque doctrina. P.4.c.15.
Pſeudoprobabilia quæ ſint, & eorum gradus, ac Radices. P.3.c.12.13.14.15.
Pſeudoprobabilium aliæ Radices. P.3.c.17.
Publicum, manifeſtum, ac notorium quid ſint. P.2.c.60.
Reſcriptum quid ſit. P.1.c.9.
Ratio eſt naturæ imitatio. P.2.c.1.
Ratio eſt anima legis, & lex legum. P.2.c.1.n.5.
Ratihabitio quid ſit, & quandò mandato comparetur. P.2.c.65.

Regula, qui vtitur à ſe intorta, ſemetipſum fallit. P.2.c.73.
Regularium doctrina, & eorumdem propoſitiones damnatæ. P.4.c.43.
Regula vndè dicatur, & quid ſit. P.2.c.2.n.1.2.
Reſtrictio mentalis quid ſit, & an differat ab æquiuocatione, ac eiuſdem propoſitiones damnatæ. P.4.c.35.
Romanæ Eccleſiæ Veritas, ac Veracitas. P.4.c.3.n.5.
Regulæ Iuris quæ ſint, & quæ eorum Intelligentiæ proſint. P.2.c.2.n.4.
Regulam in contrarium firmat exceptio. P.2.c.2.n.5.
Reſtitutio alicui facienda. P.2.c.16.
Reſtitutionis verbum quid importet. P.2.c.16.
Reſtitutionis Radices quæ, & quot. P.2.c.16.
Romana Eccleſia eſt Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. P.4.c.3.n.5.
Salus noſtra diligentèr eſt procuranda. P.1.c.18.
Sacerdos Doctrinam, ac Veritatem docere debet. P.1.adm.1.n.4.
Sacramentorum Doctrina, & eorum propoſitiones damnatæ. P.4.c.18.
Sacræ res quæ ſint, & non debent ampliùs ad prophanas transferri. P.2.c.71.
Sancti ſunt Teſtes idonei quid Charitas velit. P.4.c.11.
Sapiens eſt ſempèr idem, ſibique ſimilis. P.2.c.56.
Sapientis eſt mutare conſilium, ſi mutetur conſilij ratio. P.2.c.57.
Scienti & conſentienti non ſit iniuria. P.2.c.19.
Sedes Apoſtolica ſeu Cathedra Petri eſt fundamentum Catholicæ Eccleſiæ. P.4.c.2.n.7.
Sedes Apoſtolica non approbat multa, quæ tolerat. P.4.c.7.
Sedes Romana eſt firmiſſima omnium, ac infallibilis. P.4.c.2.n.7.9.
Sententia vndè dicatur, & quid ſit. P.2.c.56.
Sententia Sapientis omnibus eſt eadem. P.2.c.56.
Simoniæ Doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.24.
Solicitationis doctrina, & eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.23.
Specialia generalibus derogant. P.2.c.47.
Subditus Superiori obedire tenetur, nec ei imputatur factum. P.2.c.44.
Subtilitas quæ noceat, & ſimplicitas quæ proſit. P.3.c.16.
Titulus quid ſit. P.2.c.26.
Taciturnitas quando intelligatur affirmare. P.2.c.55.
Tranſmigratio Ciuilis. P.2.c.65.
Theologia Recentiorum omnibus facilè patet. P.2.c.81.
Theo-

Digitized by Google

Theologia ſana ſtudium requirit. P.2.c.81.
Theologia Sophiſtica, & Theologia Sana quid ſint. P.3. c.12. 14. 16.P.4.c.75.81.
Totum continet partes, & Pars aliquandò continet Totum. P. 2. c.46.
Veritas amica ſimplicitatis. P.1.adm.1.n.15.
Veritas ac Ratio ſemper ſectandæ. P.2.c.75.
Veritas debet eſſe finis diſputantium. P.1.adm.1.n.19.
Veritas debet eſſe lectori amiciſſima omnium. P.1.adm.2.n.15.& adm.3.n.1.
Veritas eſt bonum Intellectus. P.3.c.2.
Veritas eſt querenda diligentèr, non ſegnitèr. P.1.c.18.
Veritas profitenda. P.1.Adm.1.n.9.
Venia non datur niſi correptis. P.2.c.15.
Verborum ſenſus potiùs quam ſonus eſt attendendus. P.2.c.5.
Verborum ſenſus ex circumſtantijs facilè colligitur. P.2.c.5.
Virtus eſt filia Rationis, ſeu eſt viuere ſecundum Rationem. P.1.c.5
Vis quid, & quotuplex. P.2.c.36.
Vis, metus, & dolus, nullum reddunt actum. P.2.c.36.
Vtile, inutile, ſuperfluum, otioſum, nociuum quid ſint. P.2.c.53.
Voluntas quotuplex ſit. P.2.c.54.
Voluntas conditionata, abſoluta quid ſint. P.2.c.54.
Voluntati non imputatur ſi deeſt facultas. P.2.c.54.
Vtile non vitiatur per inutile, quomodo intelligatur. P.2.c.53.
Vſuræ doctrina, ac eius Propoſitiones damnatæ. P.4.c.31.

F I N I S.

Digitized by Google

Lector Beneuole.

Dubium mihi non eſt, Lector beneuole, quod perſpicacior ſit futurus oculus tuus in legendo, quem fuerit meus in corrigendo. Et quamuis omnem adhibuerim diligentiam, nihilominùs quià tàm prima, quàm ſecunda exemplaria manu imprimuntur, ideò aliqui irrepſere errores, qui vt principaliores inferiùs notantur. Sperantes quod ſi alij ſunt vt potè qui ſenſum non mutant, ſinè cenſura perleges. Vale.

		Errores	Correctiones
Pagina 5. Linea	12.	Iacoporus	Iacoponus
pag. 12. lin.	23.	ab oriuntur	oboriuntur
pag. 31. lin.	1.	Gregorius	Gregorij
pag. 31 lin.	3.	Clemens	Clementis
pag. 66. lin.	13.	fierit	fieri
pag. 66. lin.	18.	puritatem	parit atem
pag. 94. lin.	23.	rationis	rationes
pag. 102. lin.	26.	locari	iocari
pag. 103. lin.	22.	innito	inuito
pag. 112. Tit.	35.	habere	haberi
pag. 113. lin.	18.	faſta	facta
pag. 114. lin.	30.	pertingit	perſtringit
pag. 124. lin.	23.	Martificialis	Inartificialis
pag. 193. lin.	24.	timen	timent
pag. 222. lin.	14.	præceda	præcedat
pag. 238. lin.	33.	velut	vult
pag. 252. lin.	31.	ſubobſuro	ſuboſcuro
pag. 259. lin.	3.	ſunt	ſum
pag. 342. lin.	27.	Pater	Paſtor
pag. 350. lin.	7.	audiſſe	accidiſſe
pag. 359. lin.	28.	inuincibilis	vincibilis
pag. 364. lin.	42.	imperaà	imperat
pag. 378. lin.	24.	Simeon	Simon
pag. 384. lin.	14.	Iudicium	Iudicum
pag. 402. lin.	36.	Decretalis	decretales
pag. 409. lin.	5.	mortale	morale
pag. 436. lin.	15.	capiti	capti
pag. 451. lin.	17.	vocate	vacate
pag. 511. lin.	41.	quos	quot

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google